I. BALDE S.I. POEMATA: JACOBI BALDE ... POEMATUM TOMUS 4...

Jakob Balde

Digitized by Google

6
21-d
54

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 F
7

iotheca
ll. Rom.
Jesu

20 - c - 12

20
C
11

Digitized by Google

6_21 d 54.

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI BALDE

è

SOCIETATE IESV

POEMATVM

TOMUS IV,

complectens

MISCELLANEA.

COLONIÆ UBIORUM,
Apud JOANNEM BUSÆUM.
M. DC. LX.

Cum Privilegio Cæſareo.

De Vanitate Mundi.
Agathyrsus.
Olympia Sacra.
Lessus.
Templum Honoris.
Philomela.
Jephtias, Tragoedia.

Digitized by Google

JACOBI BALDE S. J.

POEMA
DE VANITATE MUNDI

CANDIDO LECTORI AUCTOR.

P*Oema de Vanitate Mundi*, ſive Sæculare Carmen, aliquoties ante quidem vulgatum; ſed nunc primum in modum Certaminis, clamore Martio, fragore tubarum, & quibuſdam velut ſtimulis agitatum tibi ſiſto. *Vanitas Vanitatum*, dixit Eccleſiaſtes, *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas*. Ex quo ſapientiſſimi juxta atque experientiſſimi Regis Oraculo, velut puncto, cētum lineas quaquaverſum deduximus; Vanitatem ridēdam riſu; flendam lacrymis, ſuperbam ſarcaſmis, miſeram cōmiſeratione proſecuti.

Idem Argumentum diſertiſſimè pertractavit D. CHRYSOSTOMUS, *Sermone in Eutropium, qui habetur Operum Tomo quinto* cujus Sermonis bonam partem huc transfero & præfigo, exhibituram quodammodo Synopſin: ut conſtet, quam meritò miſerabilis Eunuchus Stropham LXII. impleverit. ſimul Unius mentio facta, & ſancti Patris teſtimonio roborata, cæteris quoque augeat fidem. Eutropius Spado, Patricius ac Conſul, Præfectuſque cubiculo Arcadii Aug. cùm offenſo Principe, deliteſceret ſub altari Eccleſiæ, cui ipſe antea Jus Aſyli abrogare conatus fuerat; occaſionem dedit Aureo Oratori, exagitandi inconſtantiam Fortunæ, omneſque Vanitates uno eodemque ictu jugulandi. Audientia ſibi factâ ita peroravit.

Si unquam antea, nunc maximè licet dicere: Vanitas Vanitatum, omnia Vanitas. *Vbi nunc inclytus ille Conſulatûs ſplendor? ubi illuſtres faces? ubi applauſus illi ac choreæ, epulæque & feſti conventus? ubi coronæ & aulæa? ubi ſtrepitus Vrbis, & illa Circenſium ſpectatorum fauſtæ acclamationes? Omnia illa perierunt. Procella vehemens folia dejecit, arborem ſpoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem: tantaque vis venti impacta eſt, ut cùm nervos ejus univerſos concuſſerit; tum ipſam funditus proſternere minetur. Vbi nunc fucati illi amici? ubi compotationes & cœnæ? ubi paraſitorum examen, & merum per totam diem exhauſtum, variaque coquorum artes, & potentatûs cultores illi, ad gratiam omnia dicere ac facere aſſueti? omnia illa nihil niſi nocturnum ſomnium fuerunt, appetente die evaneſcens. Flores fuerunt verni. Vere exacto emarcuerunt omnia. Fumus erant, & ſoluta ſunt. Bullæ erant, & diſrupta ſunt. Araneæ erant, & laceratæ ſunt. Quapropter ſpirituale hoc dictum occinimus, indeſinenter dicentes:* Vanitas Vanitatum, omnia Vanitas. *Hoc enim dictum in parietibus, in veſtibus, in foro, in ædibus, in viis & feneſtris, in januis: ſed potiſſimùm in ipſa cujuſque conſcientia continenter inſcriptum eſſe oportet, omnique tempore cogitationi obverſari. Quandoquidem negotia fraudulenta, & perſonata ac inimica, veritatis opinionem apud pleroſque ſibi patraverunt. Hoc dicto in prandio, in cœna, in cœtu hominum, quemque proximum ſuum compellare oportebat, idemque ab illo viciſſim audire: nempe* Vanitas Vanitatum, omnia Vanitas. *An non aſſiduè tibi dicebam fugitivas eſſe divitias? tu verò nos non ferebas. An non dicebam fugitivi ſervi*

naturam

naturam eas habere? tu verò credere nolebas. Ecce experientia docuit, quòd non ſolùm fugitivæ & ingratæ, ſed homicidæ etiam ſunt: ut quæ in metum nunc te conjecerint. Nonne dicebam tibi, quum me indeſinenter objurgares vera monentem, quòd ego potiùs tibi amicus eſſem, quàm adulatores? &c. Nonne & hoc addebam: fide digniora eſſe vulnera ab amicis, quàm ultrò ingerentia ſe oſcula inimicorum? ſi mea vulnera tuliſſes, haudquaquam tibi illorum oſcula hoc exitium attuliſſent. Mea enim vulnera ſanitatem afferunt: illorum oſcula morbum immedicabilem. Vbi nunc pocillatores tui? ubi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuasque laudes apud omnes deprædicabant? transfugerunt, deſeruerunt amicitiam tuam, ſuam ſecuritatem tuis periculis quærunt. Theatra magnis obſequiis à te culta, quorum cauſſa ſæpiùs nobis offenſus fuiſti, & prodiderunt te, & perdiderunt. Et hæc nunc dico, non quò proſtrato inſultem: ſed quod eos, qui adhuc ſtant, tutiores reddere cupiam; nec ut plagas vulnerati refricem; ſed ut nondum vulneratos in ſanitate conſervem: non, ut jactatum fluctibus demergam; ſed ut eos, qui ſecundis auris navigant, erudiam, ne fortè cum ipſo navigio in profundum deferantur. Quo autem modo caveri poſſit? Nimirum, ſi rerũ humanarum mutabilitates cõſideremus. Si enim iſte mutationem timuiſſet, nunc eam non pateretur. Sed quoniam iſte nec domeſticis nec alienis conſiliis corrigi potuit; vos ſaltem, qui divitiis extollimini, hujus calamitatem in veſtrum profectum convertite. Nihil eſt enim humanis rebus infirmius. Quapropter quocunque nomine earum vilitatem ſignificaveris, minùs quàm pro rei veritate

dixeris: vel ſi fumum eas, vel fœnum, vel ſomnium, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaveris uſque adeò ſunt fragiles, & magis nihili, quàm Nihil ipſum. Quòd autem non ſolùm nihil ſint, ſed & in præcipiti ſtent, vel hinc apparet. Quis hoc nomine fuit excelſior? nonne in toto Orbe divitiis præcellebat? nonne ad ipſa faſtigia honorum conſcendit? nonne omnes eum formidabant ac verebantur? ſed ecce factus eſt & vinctis miſerior, & ſervis miſerabilior, & mendicis fame tabeſcentibus indigentior: per ſingulos dies gladios præ oculis habens in ſe exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam quæ ad ſupplicium ducit. ac neque memoriâ præteritarum voluptatum fruitur: imò ne luce quidem communi; ſed meridie quoque, tanquam in denſiſſimâ nocte, anguſtiis parietum incluſus, oculorum uſu privatur. Et quorſum hæc commemorare attinet? cùm quantumvis adnitar, nullis verbis exprimere valeam, quis illi animus ſit, per ſingulas horas capitis ſupplicium exſpectanti. aut, quid noſtris verbis opus eſt, quum ipſius calamitatis imago ob oculos noſtros verſetur? Nuper namq; miſſis ad eum à Rege, qui vel per vim hominem pertraherent, quum ad Sacraria confugiſſet; è buxo pallidior factus, nunc quoque nihilo meliorem quàm mortui colorem obtinet. accedit huc dentium arietatio, tremor totius corporis, vox ſingultiens & lingua titubans. in ſummâ, talis habitus, qualem oportebat habere animam, quæ metu diriguiſſet. Non minorem nunc video populi frequẽtiam, quàm in proxima Sacrata Paſcha celebritate. adeo exciti eſtis iſtius ſilentio. quod impræſentiarum quavis tubâ clariorem vocem emittit. Et Virgines penetralibus, & mulieres gynæceis, & viri foro vacuo

relicto

relicto univerſi huc concurriſtis, ut humanam naturam traduci videretis; & ſæcularium negotiorum momentaneam mutabilitatem detegi, illamq; in Republica verſantium ſpeciem, heri ac nudius tertius præclariſſimè ſplendentem. talis enim eſt ex alienis injuriis felicitas, quavis aniculâ rugosâ deformior demonſtrata mutatione reipublica, ac ſi ſpongiâ ejus tectoria fucoſq; abolente. tanta nempe eſt hujus infortunii vis, quæ Virum felicem ac conſpicuum, nunc omnium abjectiſſimum reddidit. Introeat dives aliquis, & magnam utilitatem percipiet, videns enim à tam celſo faſtigio delapſum eum, qui totum Orbem concutiebat, ac formidine confractum quavíſque rana aut lepore timidiorem, & abſque vinculis, columnæ huic hærentem, & vice catenæ, timore affixum trementemque; deprimet faſtum ſuum: & conſideratis, quæ in humanis caſibus conſideranda ſunt, diſcedet re ipſa doctus. quæ verbis Scripturæ nos docent. Quale eſt illud Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, ut flos fœni. aruit fœnum & flos ejus decidit. *item illud* ſicut fœnum citò areſcent, & ſicut olera virentia citò decident, quoniam ſicut fumus dies eorum ſunt. *& his ſimilia. Contra Pauper introgreſſus, & hoc ſpectaculum animadvertens, non diſplicet ſibi ipſe, neque ſortem ſuam deplorat: ſed gratias inſuper Paupertati habet, quæ ſibi & aſyli vice ſit tutiſſimi, & Portûs tranquilliſſimi, & arcis munitiſſimæ: & his viſis, ſi detur optio, mallet præſenti conditione contentus eſſe, quàm omnium facultatibus pauliſper occupatis, mox in proprii ſanguinis periculum venire.*

Hæc aureum os Græciæ. quâ quidem eloquentiſſimi Patris Hypotypoſi, nihil aut lucu-

 lentius

lentius ſcribi, aut ornatius dici poteſt. Concolor illi pænè tota Parænesis D. EUCHERII Epiſcopi Lugdunenſis, efficacibus verbis, virili dictione, profundâ ſapientiâ deplorantis Vanitatem Mundi, à quâ Valerianum Cognatum ſuum avertere laborat. ipſiſmet oculis præſentiſſimè ingerit defluentium rerum vilitatem.

Agitur humanum Genus, inquit, *rapida in occaſum mortalitate, omniſque poſteritas ſuccedentium ſæculorum lege decurrit Patres noſtri præterierunt, nos abibimus, poſteri ſequentur. velut ex alto undarum jactus, aliis atque aliis ſupervenientibus, in littoris extrema franguntur; ita in terminum mortis, ſuccidua alliduntur ætates Quidquid eſt, illarum rerum facies, adumbratis quondam nitoribus expolita jam obſolevit, omniſque fucatus ſplendor intercidit vix jam hoc habet Mundus, ut fallat. periit imago illa rerum ad decipiendum uſque decora Prius nos ſeducere vero cogitabat fulgore; non poterat: propè jam non valet & ipsâ nos falsâ oſtentatione corrumpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc aut tempus ſpecioſa ornant, aut in poſterum manſura confirmant. niſi noſmetipſi decipimus, pænè Mundus decipere non poteſt. Sed quid diſſimulamus ea expromere, quæ fortiora ſunt? diſſipatas loquimur opes Mundi, cùm jam ipſe Mundus in finem ſuum vergens ſpatiis agatur extremis Quantò iſtud majus & gravius eſt, quòd jam ipſe non in longum erit? quàm quod commemoramus attritam ejus rem & ſupellectilem? Nec immeritò in defectum viribus ævo conſumptis urgetur, adminiculiſque ſuis deſtituitur, cùm jam in ſenium nutanti onere ſuccumbat. Poſtrema Mundi ætas referta eſt malis, tanquam morbis*

morbu ſenectus. Viſa ſunt videnturque jam dudum iſta cano Sæculi; fames, peſtilentia, vaſtitas, bella, terrores. Hi ſunt in ultimis jam annis languores ſui. hinc ſæpe illa cernuntur ſigna motuſque terrarum, permutatæ temporum vices, monſtroſæ animantium fœcunditates: quæ omnia adhuc procedentis prodigia ſunt Temporis, ſed jam deficientis.

SAPIENTER, opinor, omnia, & cum nervo, dignaque EUCHERIO, qui magnorum ſui Seculi Pontificum longè MAXIMI nomen tulit. Habes, Amice Lector, Duûm PP. & eruditionis laude, & ambâ ſanctitatis illuſtrium cordatiſſimam conteſtationem. Vterque exclamat. *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas.* Cum utroque idem canto, gemo, ludo, ſcribo, perſono. Neque verò Mundus ipſe hoc negat. Sed quia meretriciam frontem perfricuit, idcircò pudore non confunditur. Primas Odæ ſimplicis editiones, utcunque pronâ voluntate, etiam voluptate accepit; nævis autem oſtenſis & SUO TURPI, in ſpeculo nihil offenſus arriſit. quaſi diceret: Hoc SUMUS. hoc decet. A Trojano buſto facem accendi. nam quid ante ILIUM in profana hiſtoria æquè memorabile? aut quid celebrius fumantibus PERGAMIS? cùm præſertim Vana Nobilitatis oſtentatio ad *Trojanum Equum* ſe referat, ligneo ventre generata. Quam faſtuoſam phreneſin, ſi ſuperaret proavus horum, ipſe doli fabricator Epeus; utique riſu confirmaret. Inde VANITATEM emuſſam, poſtquam omnes Mundi ſaltus inſedit, inſperato inopinatoque Poemate, (an indagine dicam?) quaſi ex inſidiis ſeſtam circumveni. Compulſam in maculas, col-

lectamque in ſcopum, metris, velut jaculis, confixi. Et nunc perfoſſa, latè eviſcerationem ſui præbet.

Genium Verſuum ſi requiras: Epigramma dici refugiunt, & tamen ſtricturas emittunt, ad pravii Anacreontis inclinationem conformati. Defricantur propinqui neceſſariò ejus ſalibus. Ita quo more lingula Magnetica Septentrionem petit; vergunt illi Occidentem verſus & Bilbilim, Patriam Martialis; quò tamen nunquam perveniunt.

ANACREON BIFRONS, *Certantium chorum ducit, & puſilli Carminis odorâ vi ad prædam, quam exploravit, invitat. Latino Germanicoque idiomate editus à me multò antè, prodierat.*

Sequuntur ELEGIÆ: *illius quidem lacrymoſæ, & magnæ dolorum amorumque Matris Filiæ: nunc tamen non præficæ, ſed pharetratæ Amazones. Tempus lugendi, tempus & ridendi, certandique. Domi plorent: in campum & ſilvas ſiccos afferant oculos. Quanquam ubique ſe prodit ſexus. Protervitam jocandi vexant humore coacto. Improviſæ inſurgunt in haſtas, & repentè ululantes demittunt, rurſumque in fletu vulnera dividunt. Prima cæſim crebriùs; punctim Altera. Prima modeſtior, tolerabilem ferociam arenæ intulit: cautiùs ſervat Anacreontis ambages & flexus; certiùs premit abeuntis veſtigia; redeunti cedit ſolertiùs quodque apud Maximum Poetam fatis debitus Aruns in Camilla tentavit; id noſtra Camilla in perſequendo Anacreonte eſt auſa. Nam*

Velocem jaculo & multâ prior arte *Poetam*
Circuit, & quæ ſit Fortuna facillima, tentat.
Quà ſe cunque furens medio tulit agmine *Vates*:
Hâc Virgo ſubit, & tacitè veſtigia luſtrat.

Quà

Quà Victor redit ille, pedemque ex hoſte reportat.
Hàc Virgo furtìm celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Vndique circuitum, & certum rotat improba telum.

Soror *audaciùs in certamen fertur, & in hoſtem velut contemptum ruit. Poſſit quandoque præceps videri, atque indulgentior unctis naribus, quàm Virginem ex Heliconio Parthenone deceat. Ludiam Romanam dicas ad palum exerceri, inclamante Satyrico.*

Aſpice quo fremitu monſtratos perferat ictus.
Et quanto galeæ curvetur pondere: quanta
Poplitibus ſedeat, quàm denſo faſcia libro.

Hendecasyllabi, *maſculi caloris Iuvenes, nihil femineum oſtentant, ſed ſtrenuè pugnant. Elegis conſerentibus manus, illi conferunt* pedes: *animoſi, nec facilè de ſtatione ſua deceſſuri.*

Scazon: *Mancipium crudum & bellicoſum,* Stat *mole ſua. Contumacis ingenii ſubiti. & ad cotem exaſperati, cærimonias Aulicas penſi non habet. Toroſam dictionem affert, Mihique, dum, quod ſentit, eloquitur, Scenam facit.*

Hiſce ego Symmachis, antequam tuba ſignum dedit, in medium convocatis, mentem meam explicavi; & quid de Poëſi ſentirem, aperui.

INSTRUCTIONES PRO AGONALIBUS HELICONIIS.

I. Conſiderandum: Poëſeos ſemina, non eo fine à Natura eſſe inſperſa animis, totque Vet. Poetarum ſeceſſibus maturata, ut anxii conglutinemus rixantes Syllabas, & virgula Verſum metiamur: Sed, ut habile ingenium red-

datur habiliùs, impletumque quàm optimis rebus ac ſententiis, de ſuo jam fonte, magnificam aut teneram dictionem, delectatione propulſam effundat.

II. Vt Nili deſcenſus aſcenſuſve, ſignum ſterilitatis aut fertilitatis in cauſſa eſt: ita, quo minùs magiſve Caſtalide lympha ſynceriore, ſe quiſque inundaverit; fœcundum aut infœcundum pectus in oracula concuſſurum.

III. Præter acre judicium, in lubrica libidine fingendi neceſſarium, dominatumque in certos affectus animi; vividas præterea requiri rerum imagines, deputato optimorum Verborum famulitio obſeſſas.

IV. Cæterùm animari *Poema* à *Senſis* ſive *ſententiis* inventis ſi raræ, ſi ſublimes, ſi teneræ: ſi divinæ, ſi feroces: tale Poema fore. ſi vulgares, humiles, depreſſæ, triſtes, marcidæ, obtuſæ; eandem indolem habiturum.

V. Quemadmodum Turcicum ſemen, quod opium vocant, præmorſum, continuò mentem efferat, dùm oblectat palatum: ita Senſa iſta, quæ inſtar ſpirituum ſuper aquam Pegaſeam feruntur, Poëmati inſperſa, vim habere titillandi ingenium, & cum voluptate quaquaverſum rapiendi.

VI. Beneficio horum ſpirituum, poſſe dignum aliquid grandi Poetâ efferri, verbis nitidis, etſi non exquiſitiſſimis. viciſſim arduis & ſeſquipedalibus, plebejam ſententiam, fungo dignam ſæpe veſtiri.

VII. Certum videri, *Naſonem* ipſius *Statii* armamentario incluſum, nihilominus mortem

Tibulli

Tibulli tenerè deploraturum fuiſſe; *Statium* Cupidinis arcu & pharetrâ inſtructum, omnique *Ovidii Naſonis* erotico apparatu, æque Thæbas everſurum.

VIII. Ex his, Poëtarum ingenia, velut oculos aquilarum ad ſolem probari. utque ſe Quidam in omnes partes gyrent, deprehendi tamen humiliorem aciem, & piſces in littore palpitantes.

IX. Hinc provenire, ut non minus iis, quibus vena micat, difficile videatur ad Veterum Poëtarum dignitatem aſpirare. quando etiam aureo Auguſti Seculo, tot Ingeniis radiante, tam paucos reperiri Poſteritas, quorum curam faceret ſuam.

X. Difficultatem inſuper augeri ex eo; quòd editus Mentis partus, non minorem ſollicitudinem ſibi ſumat, quàm edendus. nam niſi more urſi Virgiliani lambas; projeciſti informem maſſam. ſi arctiore complexu ſtringas; ſuffocabis ſimiam, tranſmiſſurus Amicis tuis, pollinctos myrrhâ, formoſa cadavera. cereas pupas; quarum manus, tametſi occulto artificio & tectâ fraude verſas, ut ſimulacrum vivere credatur. ſunt tamen nares, quæ mortem & putredinem olfaciunt. Odio ſunt Poëmata, quæ tantum redolent, quantum non redolent duo funera.

XI. Dari multos, qui de pernicitate ſuæ Muſæ gloriantur, horæque ſingula momenta totidem metris præcurrunt: quibus nihil eſt putidius. Dari etiam ſtudiis contrarios, qui ſuam Muſam non amant, niſi eam inſtar Zenobiæ grandibus gemmis onerent, laborantemque & prægravatam in triumpho ducant Aureliano Sed, an non ſtibium & ceruſſa, & timiditas animi. & forma naturalis attrita,

 pariunt

pariunt faſtidium? Certè Poëma ſeveriùs caſtigatum, quàm par eſt, tetricum dicetur, non maturum: nec tam gravitate venerandum, quàm horrendum rugis.

XII. Itaque ſatius eſſe, decente neglectu impensè colere pulcritudinem, quàm ad vivum ſpeculi argentum, doloſo veneno per laborioſam inſcitiam occidere. enitendum tamen Vati, ut quæ profudit, inter elaborata cenſeantur. quæ elaboravit, profuſa videantur. ita ex utroque Auctor caſtiſſimam hauriet voluptatem, riſurus ſæpe judicia examinantium artem & naturam, vanaque divinatione ſollicitantium Poetæ ludentis arcanum. Cui *ſoli* conſtare debet: quo pondere quave procellâ, vehemens *Natura* Poema protruſerit; quâ moroſitate difficilis *Ars* & ſevera perlinxerit.

(* * *)

IACO-

IACOBI BALDE
DE
VANITATE MVNDI.

I.

Attrita eſt Civitas Vanitatis. Eſaiæ 24.

FVERE TROES, ILIVM;
TROS, ILIVM FVERE.
Fuit, fuit Domus inclyta;
Noménque Dardanorum
Impreſſit altis mœnibus
Hoſtile Mars aratrum.
Vbi ſteterunt Pergama,
Nunc fluctuant ariſtæ.

I.

TRoia iſt hin/ein anders her/
Als wann ſie nie wär gweſen.
Verſchwunden ſeynd all Dardaner,
Schon tauſentmahl verweſen.
Mit Gmäur vnd Wänd/ vom Fundament/
Iſt Troia gantz verbrunnen.
Iſt Hectors Saal wachſt vberal
Wein/ Korn/ bey guter Sunnen.

Troja ſtetit. Priami ſunt hæc monumenta, Viator.
Eheu! cum gemitu dic: ubi Troja ſtetit?
Iam fruſtra Xanthus, Simois memoratur, & Ida,
Et ruber armigero raptus ab ungue Puer.
Vrbs æquata ſolo, captis cum civibus arſit.
Argolicus Phrygias Mulciber hauſit opes.
Horrea Triptolemi, vaſtus ſunt Pergama campus,
Inque Helenæ thalamo jam cubat ipſa Ceres.
Ergo Troja jacet? *jacet.* voravit
Ignis tecta Phrygum? *voravit ignis.*
Ergo ſtirps Priami ſuperba vixit?

Vixit

Vixit ſtirps Priami ſuperba, vixit.
Nullus Dardanidum puellus aulam,
In qua ludat, habet; puella nullam.
Sal totâ modo ſeminatur Vrbe;
Proſcindúntque ſolum *boves Vlyſſis.*
Ilion everſum eſt. Priamus jacet omnis, & ingens
Sarpedon: Danaum prævaluere doli.
QVI FVERANT TROES, NVNC SVNT SINE NOMINE MANES:
Occidit Æneas, & Puer ipſe *Paris.*
Ignibus à fundo Neptunia mœnia fumant.
Quæ fuit VRBS, ager eſt; Caula, quod AVLA fuit.
Hectoris effoſſam qui findunt vomere tumbam;
Illi etiam ſegetes *Hectoris enſe* metunt.

SCAZON I.

Vbi *Troja* nunc eſt? conflagravit exciſa.
Vbi Chorœbus, nobiliſque Caſſandra,
Panthúſque & Hector, & Paris capillatus,
Humeríſque Gnati ſublevatus Anchiſes?
Confuſa ſquallent hoſtibus dati præda,
Qui Dardanorum fata decolorârunt.
In Regis aulâ, ſive ſpreto campo,
VAH! turba prandet *alitum* Meſſorum.

II.

Quid ſuperbit terra & cinis? Eccli 10.

Hoc fine POMPA clauditur
In pulverem redacta
CONSTANS IN INCONSTANTIA
FORTVNA CVNCTA MISCET;
Figitque rebus terminum,
Quò ſumma vota vergunt!
PVGNARE, STARE, VINCERE,
PVGNARE, STARE, VINCI.

2.

Hie Pracht ſteht ſtill/ lauft weiter nit/
In lauter Staub verkehret.
Das Glück thut grauſamb breite Schritt/
Vnd lang bey keinem wehret?

Von

Von anbegin/geht alls dahin/
Verlieren/Gwinnen/Sigen:
Jetzt vberſich / jetzt vnderſich/
Bald ſtehn/ bald vnderligen.

Siſte gradum, Mundi quò lapſa ſuperbia tendis?
Dic cum Trojugenis: PVLVIS ET VMBRA SVMVS.
Diſce tuo damno, quid ſit Fortuna; Puella
Laſcivi ingenii, quam juvat eſſe levem.
Omnia confundit; ſumma imis, imáque ſummis;
Fértque ſuis leges hæc ATALANTA Procis:
Stare jubet, pugnare manu, decernere ferro.
Denique Victoris demetit enſe caput.
HEIC STAS GLORIA MORE COCHLEARVM
Vltra non equidem ſinetur unum
Ex hoc pulvere promovere paſſum.
Sors & Fata vetant. Volat per Orbem
Fortunæ levis ala ſævientis,
Eludítque puerperas Honoris.
Offert prælia, dividit triumphos:
Diviſis ſpoliis *Rotam* minatur.
I nunc pompa ferox, vultúmque in pulvere verſa:
Vilis Humus liceat dicere, *mordet humum*.
Turbida per Mundi partes Fortuna vagatur,
Nec ſinit ulla ſuo culmina ſtare loco.
Divitiis fartum complexibus obvia ſtringens,
Siſte, ait, à noſtra SPONGIA *preſſa* manu.
Neſcis, quæ Dea ſim? Pacem Bellúmque fatigo!
Nec patior ſummis creſcere colla Viris.

Scazon II.

Sic curſus omnis ſiſtitur; recedentis
Dum complicantur laxa vela Fortunæ.
Quæ circulatrix nunc *ubique*, nunc *nuſquam* eſt
Et huc & illuc currit inquies monſtrum.
Quos faſcinavit, vrget improbis juſſis.
Hîc Cræſe ſtabis: hîc Adolphe: Pellæe
Huc uſque. dura nempe Servitus, dura.
VAH! vana capita ſuſque deque gyrantur.

III.

Vanitati enim Creatura ſubiecta eſt. Ad Rom. 8.

Idem trecentis vocibus
 Natura tota clamat;
Hoc *mugit* in trionibus,
 Hoc *hinnit* in caballis:
Hoc *rugit* in leonibus,
 Hoc *latrat* in moloſſis
Hoc *barrit* in vaſtiſſimis
 Nigerrimíſque barris.

3.

Diß iſt das ſtettig wehe vnd wehe/
 Auß dem d' Natur gezimmert.
Das röhrt der Ochs/das brillt der Löw/
 Der Vndergang ſie kümmert.
Das kreet der Han/das ſingt der Schwann
 Das pfeiffen auch die Meiſen:
Auff dieſem dant der Elephant
 Durch Libyam thut reiſen.

Id, quod Naturæ diſcors Symphonia *ſentit*:
 Rectiùs imò *canit*: Veriùs imò *gemit*.
Omnia quæ vivunt, Leſſum meditantur in umbra,
 Leſſum Vacca ſuum mugit, & hinnit equa.
Leſſum latrat Hylax, & pontem nuper ad Oeni,
 Rugiit in medio torva Leæna rogo.
Acclinis trunco frendet ſibi Leſſum Elephantus,
 Hæc ſunt mortalis Muſica fata Chori.
 Quid vivit, niſi quod timet? ſupremam
 Non tantùm lepores tremunt ad horam,
 Aut damæ pavidi: ſed & leones.
 Et ſparſus ſonipes cruore belli,
 Et bos Pannonis, & canes Britanni,
 Et Barri Libyæ. Tuenda vita eſt?
 Quæ non bellua mugit ad ſecurim?
 NON EST VLLA SIBI COLVMBA NEQVAM.

Horrens

Horrent interitum, quæcunque videbis in Orbe,
 Piſcis, Avis, Quadrupes; Fortia, Blanda, Fera.
Perſtat acerba fremens, Divis ſacer, ante Popam bos;
 Cornipedes ſeſe calce tuentur equi.
Maſſylus ſuper alta leo venabula fertur;
 Eluctatur aprum dente timenda canis.
Defendit barros (manus admiranda) proboſcis,
 Et tamen infeſtum Rhinocerota timent.

SCAZON III.

FATIS AGVNTVR CVNCTA. TOTA SVB MORTEM
NATVRA RERVM CONTREMISCIT, AC SVDAT.
Bos ad macellum fortiùs pedem figit.
Equus, hoſte viſo, *naribus* minas efflat,
Pavent leones occinentibus gallis.
Lyciſca latrat inferos *odoratus*.
Bos Luca muris pertimeſcit occurſum.
VAH! vana vita quot paris tibi curas!

IV.

Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole; & ecce univerſa Vanitas & afflictio ſpiritus. Eccleſ. 1.

SVB SOLE QVIDQVID NASCITVR,
 DENASCITVR VICISSIM.
Alterna Sors, alterna mors,
 Alterna Fata trudunt.
Nam *Luna* frenat omnia,
 Mutabiliſque mutat;
 Volubiliſque volvitur,
SECVMQVE VOLVIT ORBEM.

4.

Alles was in den Lüfften ſchwebt/
 Das kan vnd muß verderben.
Eins vmb das ander ſtirbt vnd lebt/
 Vil Häfen gibt viel Scherben.

Alles

Alles vergeht mit dem Planet /
Der ſo viel Gſichter machet.
Jetzt láer / jetzt voll / jetzt taub vnd doll /
Bald ſchlaffet / vnd bald wachet.

Vita parit mortem ſub ſole jacentibus ægris,
Mors parili vitam conditione parit.
Sunt rerum Fatique vices! *alternaque* currunt
Iurgia Naturæ DEFICIT AC REFICIT.
Luna tot incertis certiſſima vultibus, & quæ
Non minùs eſt, *conſtans in levitate ſuâ*,
Frena regit Mundi, formáſque put edine mutat.
Hæc Metamorphoſes mille vel una facit.
Phœbi Cynthia, Cynthiæque Phœbus.
Cùm terras humileis tuentur, ambo
Ad ſpectacula noſtra vana rident:
Alternis, ut in Orbe, res in orbem,
Aſtris circumvagantur inquietis.
MORS ET VITA IOCANTVR; ſque Luna
Fit *lunaticus* Orbis, & rotatur
In vertigine mobilis Planetæ.
Expertum eſt, durare nihil, ſubſidere cuncta:
Idque vident toto Sol Phaethonque die.
NASCI & DENASCI, tam ſunt ſibi nexa viciſſim!
Lubrica quàm teſtæ cochlea juncta ſuæ.
Scilicet hunc Orbem Sidus Lunare gubernat,
Et nocet exemplo debilitátque ſuo.
Iam rubet aut pallet, mox eſt cava vallis & horror;
Quas non evertat *Femina* talis opes?

SCAZON IV.

Noctes Diéſque provehuntur alternis,
Et avehuntur. Eſt nova & vetus Luna:
Surgit cadítque, creſcit atque decreſcit.
Gyrata more vertagi; domi rarò
Præſens, *apud ſe rarius*, furit toto
Mutanda menſe; ſemper ipſa, nunquam ipſa;
Laſcivit hauſto pota Fratris argento.
VAH! Lunæ imago, verus eſt Typus Mundi.

V. Hoc

V.

Hoc eſt peſſimum inter omnia, quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Eccleſ. 9.

Nil uſque ſtat durabile,
Aut undequaque tutum.
Calcat myricas quadrupes,
Cedros trucidat Eurus.
Vrbes pavent Veſuvium,
Pontes timent *Araxen*:
Valles inundant lacrymæ,
Montéſque fulminantur.

5.

Nichts kan ich ſehen/das ewig werth/
Nichts ſichers kan ich finden.
Zerſchlagen wird das Gſtreiß vom Pferdt/
Gantz Wälder von den Winden.
Thonaw vnd Rhein/reißt Brucken ein/
Das Thal verſinckt im Nebel:
Reichs Stätt vnd Märck/auch hohe Berg/
Forcht Donnerklapff vnd Schwebel.

Actum eſt. ſecuri nihil hoc reperitur in Orbe:
Nec duraturas fert ſtatus iſte moras.
Et ſalices, celſáſque manent ſua funera cedros:
Æolus has, illas ſima capella metit.
Antiquum eſt iſtud: *ponti indignatur Araxes*:
Et ſua Parthenopen non minor Ætna coquit:
Fulmine *mons* Rhodope; nimbis Rhodopeia *Vallis*,
Altior iſte *flagrat*, preſſior iſta *natat*.
Hoc eſt, quod SAPIENS monebat olim:
NIL SECVRIVS ESSE, QVAM TIMERE.
Sic cedrus pavet Æoli lacertos;
Flos campi, teneram manum Puelli:
Propugnacula, SPINOLAM frementem;
Pontes, Strymonis alveum ruentem;
Vallis ſub nivibus ſepulta plorat;
Rupes fulmine tacta clamat, *Ohe*!

Deſine

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Deſine nutantis Mundi fulcire ruinam:
Labitur,& nullo nixus *Atlante* perit.
Atque adeò videas non ſolam Tybure ficum,
Sed Libani & Cedros,flante Aquilone,mori.
Eridanus ripas,pontes populatur Araxes:
Hinc eſt,quòd toto flumine ligna natent.
Quemque ferit ſua mors. hunc nimbi, hunc fulmina tundunt,
Sæpe Appennino *Peſque Caputque* dolent.

SCAZON V.

Quacunque vultum vorto,verſa & inverſa,
Vertenda & invertenda cerno:nil tutum.
Roſam ſalaces virginem metunt hirci:
Boreas rivalis regias Cedros truncat.
Nil non Araxes audet in ſuos pontes.
Tandem eſt & illa bella capta Rupella.
Valles,cloacæ montium,jacent.*Montes.*
Vah! hi POTENTES, hi *potenter* uruntur.

VI.

Si ceciderit lignum ad Auſtrum aut ad Aquilonem;in quocunque loco ceciderit,ibi erit,
Eccleſ. 11.

Silvas ſenectus deterit,
Et laſſa curvat ætas.
Vtcunque multos viderit
Idæa *Quercus* annos;
Nec vulneretur cædua
Bipennibus gigantum:
Procumbet ævo ſaucia.
Hoc vulnus,eſt ſupremum.

6.

Wie mancher ſchöner Eichbaum/
Befreundt mit den Cypreſſen/
Iſt mit der Wurtzel/da er kaum
Berührt/ins Grab geſeſſen.

Die

Die Eyche gſetzt werd nit verletzt/
Von keiner Axt vmbghawen:
Das Alter macht/das zboden kracht/
Nicht tauglich mehr zum bawen.

Sunt nemora æternum falsò ſpirantia numen.
Quà ſacra frondoſum porrigit Ida caput.
Hic habitant Quercus, quæ vertice ſidera pulſant,
Tartara demerſâ ſtirpe profunda petunt.
Duratura putes immania Robora tanto,
Quanto durabit tempore vita Iovis.
Fallere. vel ſenio tandem, vel mole, peribunt,
Et truncis, *ætas* ipſa, bipennis erit.
Audi Capripedum genus petulcum:
Prorſus nulla virebit uſque Silva;
Fruſtra putre nemus, necique dandum,
Cuſtodes Satyri rigatis unda.
Immortale nihil. ſecuris, eſto,
Quercum non reſecet, nec ignis urat,
Nec fulmen feriat: quis à ſenecta
Defendit? cadet Arbor abſque ferro.
Lucus gentilis, jam ſeptima ſecula paſſus,
Et Dodonæâ relligione ſacer:
Non eſt immunis, vel ab omni vulnere tutus.
SILVESTRES PARCÆ DANTVR ET ARBORIBVS.
Hiſpida *fila* trahunt, connectunt *ſtamina* glandes.
Cum foliis ILEX eſt *Colus* ipſa ſibi.
Hanc ſenium franget, Lacheſis licet horrida parcat:
Lugebunt omnes funus Hamadryades.

SCAZON VI.

Alpina Silva, Mater arborum *longa*
Et STIRPIS antiquiſſimæ, ſed & ſummi
Honoris ac *faſtigii*; parit Quercus
Proceritate nobiles gigantæâ
Tu vix moriri poſſe crederes ſenſim
Tamen hæc, & iſta carie, & illa, tabeſcit.
(Morbum hunc periti nominant *phthyſin* Fauni)
VAH! omne ROBVR, omne robur amittit,

VII.

VII.

Omnes morimur & velut aquæ dilabimur.
2. Reg. c. 14.

NON LONGA RES eſt VIVERE:
FINITVR INCHOANDO.
Plures in ipſo limine
Exordii perorant.
Vt *Actor* olim dixerat
Vrgente fine, DIXI:
Sic funerande, clepſydrâ
Dic effluente, VIXI.

7.

Das Leben ſchnell/als wie der Jin
Was gibſt was haſt/thut flieſſen:
Es fangt kaum an/ſo laufft s dahin/
Die Kinder thuts verdrieſſen.
Zu Rom der klagt/hat endtlich gſagt/
Richter/d Stund will zerrinnen.
Der Sterbend ſag/bhüt dich Gott/ Tag/
Jn d Nacht muß ich von hinnen.

Cui brevis & fluxæ vitæ conceditur vſus,
Iam *mortem orditur*, primáque Fata ſubit.
O cave, ne carpas ſpem vanam Neſtoris, & quâ
Eſſe cupis CORNIX, emoriare *Culex*.
Nam quid ages, ſi te Mors ad ſua jura citârit?
Actor eris? ſanè. dic, licet: *Hora fluit*.
At ſimul in guttum ſeſe exoneravit *arena*;
Te ſimul infoſſum funus arena teget.
CVRRIT NESCIA VITA DETINERI:
Vix Eleus equus citatiore
Metam tangit Olympicam quadriga.
QVOD VIS VIVERE, VIVE NVNC. SERENVM
CRAS NOLI TIBI MANE POLLICERI.
Coram Iudice te loqui memento.
Qui, ſi fluxerit una, nec ſecundam
Concedet, neque prorogabit horam.

Poſſe

Poſſe mori cœpit, cœpit qui vivere, fructus,
Vita brevis, placidæ labitur inſtar aquæ.
Primo vagitu, quem lactens edidit infans,
Sæpius offenſa eſt è tribus una Dea.
Sic mortalis habe: tetricas has eſſe Sorores;
Nec dare, quos poſcis Rhetoris ore, dies.
Clepſydra deſtillat: donec fluit illa, loqueris,
Fluxerit: actutum deſine velle loqui.

SCAZON VII.

Humana, non eſt LIVII DEcas, vita,
Dimenſa campo tot patente librorum;
Sed tantum *Epitome*, FLORIDI brevis FLORI,
Parvus libellus: unica (legunt *Parca*)
Perlectus horâ ſæpe. Pulcer, at parvus.
DIXI, atque VIXI clamet omnis ORATOR,
Menſura vitæ juſta, ſunt duæ voces.
VAH! vana vita, fluxa Clepſydræ ſtilla!

VIII.

Vidi in omnibus Vanitatem.
Eccleſ. 2.

Omnis Voluptas *palpitat*,
Quanquam doloſa *palpat*:
Domi ſuæ, non inſcia,
Quam curta ſit ſuppellex.
MOMENTA SUNT LIBIDINUM,
MOMENTA GRATIARUM.
Pennata plaudunt Gaudia:
Quæ tangis, *avolabunt*.

8

Kein Wolluſt iſt der kecken Art/
Daß er die Farb darff halten;
Mit dem/ was er zuſammen ſpart/
Kan ſich kaum ſelbſt erhalten:
Kein Augenblick werth kein Anblick
Der Schelm thut heimblich ſchleichen:
Die frewden erſt/ wanns recht begehrſt/
Mit vollem Flug außweichen.

Vive Voluptati;ſi te tamen,inter amores
    Sollicitum,pœnas nocte timere juvat.
Crede mihi,tantos nunquam ſatiabit hiatus:
    Ipſa domi,vix quod ſquallida *rodat*, habet.
Dulce Malum,crudele Bonum,miſerabile philtrum,
    VNUM MOMENTUM TOTA LIBIDO FURIT.
Tam citò læta Venus fugit,& ſe in nubila condit,
    Quâm cito,cum fraudem ſentit,alauda fugit,
        O fallax nimis & brevis Voluptas
        Quæ ſemper timet & facit timere.
        Non eſt filia *divitis Macelli*:
        Aut *Piſtoris*:eget.ſtolata byſſo,
        Peiorem patitur famem Sagunto.
        AMENS OMNIS AMANS,LIBIDO SANI
        EST INSANIA, TERMINANDA PUNCTO.
        O!verè volucris levis Voluptas
Angitur & pallet *curis perjoſſa* Voluptas,
    Riſus & in ficto flebilis ore ſalit.
Tu ne divitias jactanti crede *ſalaces*.
    Vix dotem unius pauperis aſſis habet.
POSTHVME,& hanc duces?ah!neſcis,quid ſit amare.
    Momentum eſt QVIDQVID CREDITVR ESSE VENVS
Avolat,ut venit,*veluti panthera,ſagitta*:
    Hoc etiam pueri *Grammaticique* ſciunt,

SCAZON VIII.

Quid eſt *Voluptas*,quàm timore,mœrore,
Dolore plena,recta ſerico Lena?
Mentitur IRA Cræſam,egena nummatam
*M*ullum petenti,gobij dabit ſquamnam
QUID EST LIBIDO BLANDA,QUAM VAPO-
    RATUM
TERTULIANI SORDIDUMQUE MOMEN-
    TUM;
ANGVILLA Venus eſt:*lubricamque* prenſurus,
VAH!fortè turpem prendit *Vberis* CAN-
    CRVM.

IX.

IX.

Vbi multa ſunt ſomnia, ibi plurimæ ſunt Vanitates.
Eccleſ. 5.

O! blandientum ſomnia
Non blanda ſomniorum!
Quocunque tandem VANITAS
Emiſit illa *Porta*:
Eburnea, ſeu *Cornea*,
Neutrave, tertiave:
SUNT VANA, VANA SOMNIA,
SUNT VANA, VANA, VANA.

9.

Ein Traum/ſag ich/iſt Eytelkeit/
Iſt als ein Traum/was Eytel
Vons Cræſi Gut/vons Salomons Freud
Traumt manchem läeren Beutel.
Sags noch einmal/ſags abermal/
Nichts ſeyn der Menſchen Jahren:
Dann ſauber nichts/pur lauter nichts/
Nur Lari Fari Waaren.

Stulte, quid ad Somni trutinas tua gaudia lancem!
Illa nimis fallax, noxque doloſa nimis.
Inter opes citharasque, & quæ ſibi dulcia DIDO
Finxit, & ad fonteis lactea labra ſedes.
Et *bibis*, & turges, tanquam omni ex parte beatus
Et canis, & Cyprias remige ſcindis aquas.
Sint hæc blanda licet, tamen ill Parœmia vera eſt;
Ex nihilo nil fit, Stulte, nec evigilas?
Eſt, qui compoſitus ſopore blando,
Credit Mænala ſe ſubire curru.
Perluſtrat nemus, hinnulosque figit
Et molleis capreas. Fatigat urſos,
Cervos porrigit, atque collocato
Dentes vellit apro. Vigil, jacere
In lecto ſtupet, Ergo ſomniavi?
Inquit languidus. *Ergo ſomniavi*.

O'ut permulſit mea membra papavere Somnus!
  Quàm mihi dulcis, ais, viſus hic eſſe Deus!
Neſcio quas Vmbras, ſed enim mihi Morpheus Vmbras
  Objecit, lepidis cinctus imaginibus!
Neſcio *qua porta* venientia numina vidi;
  Sed vidi; & ſemper viſa videre juvat.
SOMNIA SUNT, *Quæcunque vides*, SUNT SOMNIA, VANE:
  SOMNIA VANA VIDES, OMNIA VANA vides.

SCAZON IX.

Quid eſt ſuperbi vana Vanitas MUNDI,
Quàm turbulentus ſomniantium rhonchus?
Quàm vile noctis Phantaſique phantaſma?
Grallis per auras ambulant ſuper ſtellas.
Ceráque fictis Dædali volant pennis:
Rhenum frementem lacte ſpumeo potant.
Stupent Coronas purpurámque deferri.
Vah! vile Noctis Phantaſique phantaſma

X.

Vana ſunt opera & riſu digna: in tempore viſitationis peribunt. Jerem. 15.

Septena quæ *Miracula*
  Iactabat antè *Mundus*
Septena ſunt ludibria,
  Et nobiles Chimæræ.
Monſtret NEMUS *Semiramis*
  Muróſque ſulphuratos:
Rhodosque SOLIS æneum
  Extollat alta ſignum,

10.

Wo ſeynd die ſiben wunderwerck?
  VVas ſichſt an ihnen wunders?
Zerſchmettert ſeynds; O welt diß merck!
  Auffs wenigſt nichts mehr bſunders.
VVo iſt der Thron in Babylon?
  Der Garten in der mitten?
Dein Sonn Rhodis/der groſſe Riß/
  Hat Finſternuß gelitten.

Munde vale: revocor. priùs hæc *Miracula* cerne,
Dicit, & *immenſis* paſcere divitijs.
Nempe ubi ſunt? quis me volucri ſuper aëra curru
Raptum famoſâ ſiſtat in Vtopia?
Vel quis ad Euphraten præpes Babylonia ventus
Mœnia viſurum, ſulphure cocta, ferat?
Qua tamen aſpiciam Rhodon, immanemque Coloſſum,
Prima Dies fatui forſan *Aprilis* erit.

Mimeſis.

Ad Miracula (quod *loci* ſecundent)
Sic proceditur. Et quidem videtur
Primo, quod fuerint: *deinde,* quod ſint,
Nam Semiramis excitavit Hortos
Pendentes: Rhodos arduum Coloſſum.
Dicendum tamen: hæc fuiſſe quondam;
Nunc, non ampliùs eſſe. *Nam* nec umbra,
Vmbræ nec levis umbra reſtat. *Ergo,*
Aude aliquid: mirare tui miracula Mundi.
QVÆ, vel Vbi? QVANDO? QVALIA. QVANTA, QVOTA;
Septem, dicis, erant. Ah! quæ ludibria narras
QVIS non cordatus rideat illud, *erant.*
Sunt. Sunt, Quæ durant. Sed *Erant* Babylonis ſuperbæ
Portæ: ſed tantùm Penſilis Hortus *Erat.*
Per cujus poplites potuit roſtrata Coloſſi
Navis agi? non EST nunc quoque tantus, *Erat.*

SCAZON X.

Vbi ſunt ſtupendæ tot *Stuporibus* moles
Spectaculorum, quæ videnda miremur
Indocte Munde, ſtulte, barde, Bœote,
Numerare neſcis *Quinque,* qui queas *Septem*
Babylonis hortos penſiles adhuc nobis
Iactare! Olympo ſe Coloſſus æquâſſe!
Sub utramque ripam gurgitêmque me(t) 11. 1 2
Tranſiſſe naveis! *Vah!* jacet, jacet *vanum*

(*.*)

XI.

Impius facit opus inſtabile.
Proverb. 10.

Faſtigiata PYRAMIS
Memphiticis in oris:
Quæ decidenteis eminus
Suas recepit umbras:
Tam plana facta caſibus.
Quam campus eſt cylindro:
Capaque nunc Ægyptia
Vmbras jacit minores.

II.

Die Pyramis/ein ſchön gedicht/
Egypti Zier vnd Namen/
Brait undenher/ hoch uber ſich/
Geſpitzt zuſam wie flammen:
Iſt jetzt ſchabab/gebrochen ab:
Ein Handt voll ſtain wirſt finden.
ein ſchlechtes ding vmb Pfifferling:
Auch die thuns vberwinden.

Pyramis & Memphis, tam ſunt mihi fabula, quàm ſint
Pyramus & Thisbe, Naſo jocoſe, tui:
Tantus Hyperbolicæ conſurgit in æthera turris,
Altaque vicino Mons ferit aſtra jugo
Non ita me pridem ſtimulavit dira cupido
Tangendi ſeptem brachia, NILE, tua:
Vidimus Ægyptum. Sed non mihi viſa ducentos
Alta pedes Memphi Pyramis ulla fuit.
Famâ, quà patet Orbis, univerſum
Implet Pyramis. Horreum, an ſepulcrum?
Nam Reges Cereremque, cumque ſpicis
Fertur funera condidiſſe. Vertex
Nubes deſpicit: & baſin deorſum
Iactum miſſile tranſilire neſcit.
Mentiris, bone vir: *ſagitta* ſanctæ
Metas tranſilit iſta VERITATIS.

Com-

Commentarius.

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis.
Verius haud quidquam Bilbili ſalſa canis.
Barbara: nam quamvis altiſſima, barbara moles,
Barbara congeries, barbara terra fuit.
Pyramidum. quarum? quis nunc vides eminus ullam?
Non ſupereſt lapidum plena vel una manus,
Vel cophinus. *ſileat miracula* vitrea, fluxa,
Vana, caduca, nihil denique *Memphis*. Vbi eſt?

SCAZON XI.

Vbi Canopi *Sunt furentis* inſanæ
Subſtructiones? PYRAMIS, ſepulcrale
Onus tyranni, fertur aſtra ſublimi.
Pulſaſſe cono, cærulas ſupra nubes:
Lunæque curſu menſtruo fatigatæ
Sedem quietis præbuiſſe, credimus!
Quid, NILE, dicis? vana *tinniunt* ſiſtra.
VAH, præter *umbram* nil videtur obſcuram

XII.

Sed & magnæ Dianæ Templum in nihilum reputabitur. Actorum. 19.

TEMPLVM DIANÆ fulgidum
Amazonum pharetris;
Deſtruxit unus *Furcifer*.
Quod ſtruxerant IONES,
Incendit, atque *incendio*
Flagravit ipſe Famæ;
HEROST- ſcelus! reſorbeo,
Et nolo nominare.

IB.

Der Aſiatiſch Tempel voll
Dianæ Schätz vnd Waffen
Ich ſchäm mich / wan ichs ſagen ſoll /
Iſt nit allein vngſchaffen:
Sonder im fewr / gantz vngehewr
Im wildn Rauch auffgangen,
Das Teufels Kindt / ders angezündt /
Wolt mit der Brunſt erſt brangen.

De celebri Fano, nec prima, nec ultima reſtat
Tegula, qua poſſet *nuda Diana* tegi.
QVæ ſtetit immodico ſublimis & ardua ſumptu,
Machina procubuit decinerata ſolo.
QVi tantæ flammas admovit *Lucifer* Ædi;
Buſtum, materiam credidit eſſe joci.
Semper ego obſcurus tantum? nunquamne, ſed ex hoc
Dixit, iô, Nomen clarius igne feram.
QVid formoſius ulla vidit Ora
Delubro? quod Ionico paratu
Et ſumptu ſtetit; Vnius ſuperba
VENATRICIS ET INVIDENDA SEDES.
O! DIANA EPHESINA MAGNA, SALVE
Invidit, quia vidit unus (*Heros*)
Cum ſuccenderet, æſtuante Fano,
Clamavit *Nebulo* Diana magna,
O! Diana Epheſina magna, ſalve!
Nec Triviæ Templo molles laudentur Ionci.
Hoc quoque non vanè Bilbili ſalſa canis.
Vt ſteterit majus, quàm maximus ambitus Vrbis,
Et prope nil fuerint omnia præter *ebur*.
QVis tamen id laudet, quod non comparet, ab igne
Conſumptum, carbo, fumus, arena, cinis.
Roſtratus incendit vel *Heroſtratus*; atque favillam
Sedit ovans, velut ad Pergama capta Sinon.

SCAZON XII.

Vbi in paluſtri conditum ſolo *Fanum*
Vanum Dianæ, luſtra quod quater dena
Inſumpſit, Ædilèsque defatigavit!
Non illud hoſtis barbarus, vel hybernus
Subvertit imber, vel ſacrum Iovis ſulphur
Sed (*erubeſco*) ſed *quis ille*? ſed fruſtum
Lavernionis *nempe*? miſit in fumum.
Vah! ludibundus triſte plauſit ad buſtum

XIII.

Tu autem projectus es de ſepulcro tuo.
Iſaiæ 19.

Trophæa fixa Gadibus,
Et Herculis Columnas,
Non paſſus *Vltra* Nereus,

Iacto Tridente vertit
Quæ celſa mole pendulâ
Mauſolus incolebat,
Duxere labem marmora:
Sepulca ſunt ſepulcra.

13

Die Hercules am Vfer gſetzt/
Glaubſt nit was groſſe Saulen/
Hat nach vnd nach das mer abgfretzt
VVaiſt/wo die ſtuck verfaulen?
Das gangen gern biß an die Stern/
Dein köſtlichs Grab/Mauſole
Iſt gfallen ein mit Marmelſtein.
Ich möcht dich da nit hölen.

Amphitryoniades quæ toto ex Orbe tropæa,
In Gaditano fixerat alta Mari:
Dum coſtas balæna fricat, caudamq; retorquet;
Subvertit reflui vortice torta Sali.
d quod in aſtra ferunt *Cares* regale ſepulcrum,
Alter congeſtâ mors ſepelivit humo:
Nunc primum incluſæ ſaxis immanibus Vmbræ;
Facta eſt *Terra levis*, quæ fuit antè *gravis*.
vin ipſius & Herculis Columnæ
cerunt vitium, ruente fluctu
cidæque fuit *Noverca* Iuno,
on *primi* Ionis illa; ſed ſecundi
nbrarum, morientiumque faſtus;
uſolea ſoluta conciderunt.
ID NUNC MARIS HABET CADAVER ILLUD;
AM VILI FIGULUS LUTO SEPULTUS
culis erectas, famæ monumenta, Columnas
ſiccit toto littore ſparſa Notus.
quam alij incurſu vituli proſtrata marini;
ngo alij credant computruiſſe ſitu:
on jam medijs habitat Mauſolus in aſtris;
nbra nimis Tumuli forte ſuperba ſui. (SAXA
IA FRACTA IACENT. SAXIS SUNT OBRUTA
ÆRE ALIUM TUMULUM, QUI TEGAT IURE
TUMULUM.

Google

SCAZON. XIII.

Maris OBELISCOS, quos tremendus Alceides
Fixit; refixit, diruitque Neptunus.
Diſiecta molles fruſta neſciunt Gades:
Nimirum in imo marmoris jacent fundo.
Exaggeratum CONDITORIVM, ſub quo
Iacebat Artemiſiæ *putris* Conjux:
Terra movente, mugiente ſubſedit;
VAH! Funus hoc immane quàm gravabatur?

XIV.

Contrita ſunt pariter ferrum; teſta, argentum, & aurum. Dan. 2.

GOLOSSVS ille *Myſticis*,
Conflatus ex metallis;
Noctuque viſus objici
Chaldaico Monarchæ:
QVOT partibus decreverit,
Teſtatur *Ima teſta*.
De mole grandis Hybridæ
Vix parva gleba reſtat.

14.

Der groſſe Mann gehebt empor/
Auß vil Metall gegoſſen
Den gſehn Nabuchodonoſor.
Im ſchlaff zu letzt umbgſtoſſen:
VVas er nun gelt/bſechs in der welt
VVans einer je will wiſſen;
VVie Glas iſt er durchauß nunmehr
Zermalen/vnd zeriſſen.

Ille Vir, ille Gigas, variorum cauſſa laborum,
Corpore qui vaſto Regna quaterna tulit:
Ille tibi viſus, Pronepos ditiſſime Nini,
Ebria cum vinxit numine membra Sopor.
Heu! quantum atritus, quantum mutatus ab illo,
Quem vix æquabat fraxinus alta, VIRO.
Ad teſtam ventum eſt. Melioris maſſa metalli
Decidit, *inque luto ſecula pauca jacent.*

Oſten-

Oſtentum Babylonij Tyranni,
Per Chaldaica prata *mugientis*:
Cum Regnis prope vanuit quaternis
Toto corpore comminutus Heros
Late plauſit humum ſonante lapſu.
MORTIS POPLITIBUS LUTUM SEQUETUR
HAEC ENIGMATA SUNT POTENTIORUM;
HAEC LUDIBRIA SUNT ET AULICORUM.
Arduus atque ingens confuſâ mole *Coloſſus*,
Regnorum Mundi, quæ peritura, typus;
Olim Euphratæo viſus per ſomnia Regi,
Semiviroque bovi ſemiboviqne viro;
Quid moror effari? cecidit. fragmenta ſuperſunt
A caſu ſcopuli contremuere maris.
Vix per dimidius titubat de corpore tanto:
Si videas, dices: *Quid fuit iſte Cinis*,

SCAZON X.

Objectus HERMES *magnitudinis primæ*
Quem Rex ſuperbus ſomnians ad Euphratem
Suſpexit; ictus, lapſus, atque proſtratus,
Totum ruinâ, quà patet, tegit Mundum.
Vnus LAPILLVS tot metalla *confudit*.
Pars Tibiarum reſtat, (illa quantilla!)
Mixtumque teſtæ ſeminarium ferri.
VAH! QUIS MONARCHA STABIT HOC PA-
VIMENTO?

SCENA INTERCALARIS.

Poëta. Scazon.

A*Dverte Scazon Iam ſequetur immenſi ſeries laboris, tota Roma ſub viſum obeunda proponetur advoca vires: contende nervum, grande deſtinaturus (& en trabale) ſpiculum.* SCAZON. *Laceſſitus ut ego revertar? ut datâ manu ceſſem? pedibus ſalutem quero quod Poëtarum licet in duellis: Fide dextra non fallet Tã certa nobis, quam volantibus Parthis inſtãte viſcto.* POE. *Dij Deæq; Scazontẽ ſervate noſtrũ. Sic*

B 3 pla-

places SCA. *Iuro. Cortina dum me lata vi-ſtiet Phœbi, ſagatus iſta ſervius arma librabo.* POE. *Vides feroces, virginesque peltatas unà ſariſſis dimi-care vibratis. Non illa tecum prœliatur ancilla. quę lacte cygnos abluit, toros ſternit, Paphon Gnydonque verrit; èque dumetis trahit palumbes. nec tenere dig-netur ſuccincta pelvim: cùm ſub arietis ſigno procive tauri flammeâ calens febri, phlebotoma ſacrum ſan-guinem Venus mittit Castę pudica mentis & memor ſtirpis, ſervire turpe publicumque detrectat; certatque pugnas provocata pugnare.* SCA. *Haut pertimeſco, ſtat ſuo loco Scazon* POE. *Virile robur, inque feminis numen contuſus eſſe ſenties.* SCA. *Ego caſtum imma-nè ſurgens tollo qualis Entellus, torquere magni do-ctus Herculis clavam.* POE. *Elegia claves in caput retorquebit: periculoſa pluribus viris Arma.* SCA: *Ohe! quis augur! ut priùs mihi tellus dehiſcat ima. mene ſexus imbellis Colu fugabit? roſtra me colum-barum infeſta mactent, glandibus ſaginatus & far-re toſto penè major Alcide poſſum videri.* POETA: *Parce turgidas, Scazon, inflare buccas. Sæpe ſæpius vicit contemptus hoſtis; & ſuperbia tonum dejecit, obtrivitque flabiles criſtas humi voluta caſſidis. ni-hil proſunt linguę minacis verba. Re triumphatur: Vis frangit iras. Mars coronat Ajaces Scis, quę Ca-milla Virgili?* SCA *Scio.* POE. *At dextrè jecit ſecurim maximo Phrygum damno. Ad arma* Scazon. *uni-verſa procedit, ſeſeque ponit Roma Martio Campo.*

XV.

Tu es Caput aureum, & poſt te conſurget Regnum aliud minus te. & regnum tertium aliud æreum quod imperabit univerſæ terræ., & Regnum quartum erit velut ferrum, &c. Dan. 2.

Flavum CAPVT demeſſuit
Acinacis Syrorum.
PECTVS tremens Argenteum
Hauſit ſariſſa Pellæ,
ABDOMEN ingens Græciæ;
Et æris VMBILICVM,
Exenteravit funditus
Scrutata ROMA *ferrò*:

Is:

Das gelbe Haupt auß Gold gemacht
Hat Perſia abgſchlagen.
Die ſilbern Bruſt/ vnd Perſiſch Macht/
Hat Græcia abtragen.
Den vollen Bauch / nach Griecher brauch/
Auß Ertz gegrünte Lenden/
Hat Rom zerſtört / vnd nit auffghört
Mit Eyſenbrandt zuſchenden:

Anatomia.

Chaldæos ſtravere Syri Perſæque, ſuperbum
Scilicet ex *auro* nobiliore CAPVT.
Argolici Perſas fudere, HVMERISQVE micantes
Scilicet *argento* de meliore Syros.
Græcorum VENTREM *inſpexit* Romanus *Aruſpex*,
Armatique ſcidit militis *exta* manu.
In Spolium *ferro* ceſſit, quod in *ære* reliquit
Græculus. AVSONIÆ DEBITOR ILLE FVIT.
Auratum caput evocatus uno
Medorum Satrapes revulſit ictu.
Argento grave pectus, hauſit enſe
Græci filius improbus *Philippi*

Effultum femur ære, bellicoſi
Fregit ferrea *Romuli* ſecuris.
Ad tantum, reor, inde totus AERIS
CAMPANI ſonitum pavebat Orbis.

Conturbatio.

Flavicomum Medus caput à cervice revulſit,
Et ſpolium captâ de Babylone tulit.
Inque vicem Medi Macedûm ceſſere tyranno,
Qui Suſa excidio Perſepolímque dedit.
Æriſoni Ventris gravidique minacibus armis,
Sunt in Romano vendita fruſta Foro.
Æs emptum ferro fuit, impoſtúmque tributum
Italiæ Dominæ Græcia ſerva dedit.

SCAZON XV.

Dejecit alti PERSA verticis faſtum
Auri colore fulgurantis obrizi.
Vivo DARII: palpitantis argento,
Confodit extraxitque Cor ALEXANDER:
Quo ſeminante bella, GRÆCIÆ Venter
Concepit iras, ære Martio prægnans.
Enixa demum fudit obſtetricanti
VAH: ſerva ROMÆ facta ferreæ, ſervos.

XVI.

Venient in triremibus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabúntque Hebræos; & ad extremum etiam ipſi peribunt. Numer. 24.

Quid ipſa? quantum *roboris*
Servavit aut *decoris*?
SI SE VIDERET IN TYBRI,
PUDERET ESSE VISAM.
Os buxeum, frons cerea,
Genas reliquit OSTRVM:
Fluxere turres vertice,
Muríque *Fratre* tincti.

Bra-

16.

Vnd aber Rom/ wie lang iſt ſie
So ſtarck vnd ſchön verbliben?
Gleich wie ein Rebſtock in der Blüe
Vom Winter auffgeriben.
Nas/ Mund/ vnd Haar/ ſchwartz Augen klar/
Seynd biß in Todt verbrochen,
Die gantze Statt/ kein Maur mehr hat/
Wo Remus war erſtochen.

Hypotyposis.

Et tu *Paſtoris* pulcerrima Filia, quanto
Servâſti florem tempore, ROMA, tuum?
Non adeò longo. tenuem deflexit in umbram
Numinis ille decor, Nominis ille vapor.
Frons ſolitò minor eſt, & naſus acutior æquo,
Collaque ſunt buxus, bella labella cinis.
Hæccine Divorum genitrix æquata Cybelli?
Sanguine fraterno tam bene lota ſoror?

Nunc quo ROMA loco? fuit venuſta,
Fortis, Martia, glorioſa, felix.
Tu primam faciem, cave, requiras.
Cenſuram refugit: pudet videri,
Aſpectis potes expavere rugis,
Et muſſare ſilens: AN ISTA ROMA EST?
Fortaſſis via devium fefellit.
Hic nullum video Remi ſepulcrum.

Quem tamen in finem properata Potentia crevit?
An ſemper ſolidis oſſibus alta ſtetit?
SUMMIS STARE DIU, NUNQUAM NON FATA NEGARUNT.
Hoc quoque proſtrato corpore Roma probat.
Inſpiciat ſpeculum. proprio perterrita vultu,
Horrebit maculas viſa ſenecta ſuas.
Turrigeri crines *raſtro* e non pectine, vulſi,
Fatalem in foſſam procubuere Remi.

SCA-

SCAZON XVI.

Et ROMA manceps ſervitutis Argivæ;
Totius Orbis meſſe dives invectâ,
Quot, ede; ariſtas vidit, aut tulit ſpicas?
Et ipſa tandem rapta ceſſit in prædam.
Famoſa latro Gentium; ſuos Cives
Senſit Latrones. Væniit ſubhaſtata,
Contuſa, deformata, turpis, elumbis,
VAH! abſque muro nuda, ſemipagana.

XVII.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.

Num. 4.

Inſignis INFANS vagiit
  Sub Romulo Parente:
Cœpit *loqui* ſub Hernico,
  Crevitque ſub Camillo.
Sub Scipione *nubilis*
  Puella viſa Pœno:
ET NEMPE MVLTVM DEFVIT,
  QVIN NVPTA DVCERETVR.

17.

Ein edle Tochter / glaub ich wol/
  Hab Romulus geboren /
Die groß erwachſt / der Thürn ſo voll
  Auß allen Stätt erkoren.
Zu letzt Mannbar/im beſten Jahr /
  Werth/daß ein Heldt bekommen/
Vnd/wie man meldt/hats nit vil gfält/
  Der Hannibal hets gnommen.

Quis neget in paucis ſobolem genuiſſe venuſtam
  Te licet in paruâ, Romule Magne, casâ?
Roma decora genas, quondam florente Camillo
  Floruit, in patrio creſcere viſa ſinu.
Iámque viri patiens poterat ducenda videri,
  Cùm ſtipare latus SCIPIO juſſus erat.
Quàm prope tunc fuerat *vitiata* libidine MAVRI!
  Sed FABII *celeres* eripuere *moræ*;

Vrbi

Vrbs formoſior omnibus coævis ?
O ! quales habuit Puella ocellos.
O ! quàm bella nigros Puella crineis.
O ! quàm ſidereos Puella vultus.
Vidit Scipio : vidit & Camillus.
Et tu *beſtia curioſa*, POENE,
Viſani lumine non ſatis pudico,
Iſtam diceris ambiiſſe Sponſam.

Si licet, & fas eſt ab origine ducere gentem,
Nobilius nomen nulla Puella tulit.
ROMULUS huic genitor : Nutrix anus ACCA, CAMILLUS
Defenſor, Tutor publicus ANCUS erat.
Cùm duo Scipiadæ fremerent, jam digna marito
Creverat, à multîs ſollicitata procis.
Roma fuge : an nigro vis candida nubere Mauro ?
Annibal ante fores, candida Roma fuge.

SCAZON XVII.

ROMAE vetuſtum Stemma tot probant Ceræ.
Vt PASTOR illi natus Ilia Matre,
Ramis virentes expediverit cunas.
Favit Puellæ blanda mater Æneæ.
Raptæ Sabinæ *lac* dedere lactenti :
Volſci ſubacti ſervìere creſcenti,
Demum apta *duci*, flammeoque velari,
VAH ! pæne ab Afro fugit hoſte *compreſſa*.

XVIII.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.
Numer. 24.

Sed Africanas Nuptias
Sprevit, Ducémque *luſcum* !
Nulli *Proco* tractabilis,
Qui non LATINVS eſſet.
Bellona pelris incubans,
Exerta VIRGO mammas;
INGVRGITAVIT OMNIVM
SE GENTIVM RAPINIS.

18.

Aber ſie hat den Pœn veracht/
Groſsmútig ſich erzaiget.
Nach einem andern Heyrath tracht/
d'Welt, gegen ihr ſich naiget.
Und wie ſoll ein Amazon ſeyn/
Hat offt mit Feinden gſtritten.
Beym guten Muth / und Menſchen Blut
Niemalen durſt gelitten.

Pæan.

Tura date: inceſtos evaſit Hamilcaris ignes,
Nec ſatus hoc, tantâ Virgine dignus erat.
Barbarus accipiat Romanam, Afrúmne Latina?
Integra corruptum? *cæcum oculata* Iubam?
Infremuit, ſtantéſque comas erexit in altum,
Qualiter in Geticâ Pentheſilea nive.
Inſonuere tubæ, motóque ad claſſica Iano,
Sanguineos amnes ebria Roma bibit.

At non filia Romuli petulco
Mauro ſuccubuit; ſoluta ceſton.
MULTOS ILLA QUIDEM DEDIT COACTA,
DOTALEM TAMEN ANNULUM NEGAVIT.
Nam quo tempore ſæviebat armis;
Ambuſtæ veluti Camilla mammæ,
Implacabilis arſit, atque Signis
Inſcripſit duo verba: PRÆDA MVNDVS.

Roma offenſa metu, Libyci *Rivalis* amores
Odit: ego nubam rapta, habeámque Virum,
Qui terret, qui cogit? *amor non audit habenas*,
Non tolerat dominum. Vertere Maure retrò.
Sic ait, infeſtíſque (ita Iuppiter annuit) armis
Lenonem inſequitur. Vertere Maure retrò.
Inde leæna ferox, & major Amazone viſa,
Implevit ſpoliis Martis utramque manum.

SCAZON XVIII.

Olli libidinoſus Hannibal viſus
Eſt execrandus ; improbóſque complexus
Proci refugit verſipellis ad portam.
Quin imò proritata fraude laſcivâ,
Nigros capillos ungue caſtâ turbavit:
Iræque ſpirans nobilíſque vindictæ,
Qualeis in armis virgines lavat Strymon;
Pervaſit Orbem bellicoſa Prædatrix.

XIX.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.

Numer. 24.

Tunc BRVTVS à Cubiculis,
A Clavibus CATONES,
Prolem regebant Iliæ,
FASCEISQVE *colligebant*,
MARCVS rogatus liberè
Reſpondit in Senatu;
Cùm liber in ſententiam
Pedes Togatus iret.

19.

Diß alles zur zeit BRVTI gſchach/
CATONIS ſeines gleichen;
Die thäten Rom in diſer ſach /
Ein ſtarcke Handt darreichen.
Vil gult der Rath/vil der Senat/
Vil ieder Stand vnd Orden.
Was Hertz eingſagt / iſt vnverzagt/
Grebt vnd vollzogen worden.

Salve BRVTE, Pater Patriæ fortiſſime: ſalve
Fortunæ Domitor invidiæque CATO.
Primo laurigeræ debetur origo *ſecuris*
Quoſque gerit *faſces* Lictor & arma manu.

Tem-

Tempore quo totam complevit TVLLIVS Vrbem,
Et clamoſa Reis intremuere fora;
Quàm bene tunc Patriam Toga Conſulis *una* regebat!
Vna, ſed *innúmeris* anteferenda *Sagis*.
Fama eſt, *impenetrabilem* Catonem,
Et Bruti celeres in arma motus;
Feſſis auxilio fuiſſe rebus.
Hic faſces reperit, ligavit: ille
I lictor: pediáſque necte, dixit;
I, obnube caput: feri Securi.
Tunc Patres Patriæ ſecuta Plebes,
Senſit cum Cicerone, cum Senatu.
Tunc Cato, tunc Brutus, rerum legúmque periti,
Finibus Imperium continuere ſuis.
Regibus expulſis, virgas faſcéſque ſalignos
Ante novi lictor Conſulis ora tulit.
Libertas facilem rexit facunda Senatum.
Iam Cicero *Dixit*: jam *retulere* Patres.
Vt ſua cuique ſterit ſententia, ſic *referebant*.
Sic Plebes *ſcivit*, ſic *equitavit* Eques.

SCAZON XIX.

Politeja.

Olli CATONIS innocentis, & BRVTI
Virtus ſevera profuit. regebatur
Vrbs univerſa conſularibus curis.
Pulſo SVPERBO, fama ſtabat in tuto
Cives in omneis quod Senator edixit.
Aſtræa mentis in bilance librabat.
Vultis iubetis, tunc placebat anquiri.
Volumus iubemus, plebs rogata reſpondit.

XX.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.

Numer. 24.

A morte patris Romuli,
Et nutrientis Accæ;
PVPILLA ROMA SERVIIT

VIS

SVIS COACTA SERVIS,
Quivis in Vrbe *Vitricus*
Certabat eſſe Romæ:
Fas & *Nefas* defendere
Stricto paratus enſe.

20.

Nach Romuli ihrs Vatters Todt/
Vnd Accæ dieſs ernehret/
War ſie verlaſſen/vnd zum Spott
Selbſt von ihr ſelbſt zerſtöret.
Da der ſein wolt / was er nit ſolt/
Müſt Rom darzwiſchen hangen:
Vnd da Vnbill/ gwalt bſchützen will/
Iſt Rom den Berg abgangen.

Sed jam paulatim video declivia. Natæ
Mors tua quàm nocuit, Romule Dive, tuæ!
Vix ſacra claudebas ſupremo lumina ſomno:
Cùm fuit à Servis Roma ſubacta ſuis.
Fluxit in Ancillæ mores; & turpe lupanar,
Et *Catilinarum ſtupra* probrúmque tulit.
Quid faceret? ſonuere tubæ. Ius STABAT IN ARMIS.
Robore quiſque potens, crimine tutus erat.

Poſtquam funeris à toto paterni,
Sexcenteſima ſe meretbat æſtas,
Vrbi pabula conditæ datura:
Eheu! ROMA labare cœpit, Eheu!
Et ſervus Dominam ſuperbus oſtro
Orbam temnere, quæ regebat ORBEM.
Virtus ſub pedibus jacebat ima;
Crimen nobile ſedit in Curuli.

Hactenus optato *Zephyro* poſt fata Parentis
Cœpit ab adverſo turbine Roma quati.
Fraudibus *effulti* qui ſurrexere tyranni,
Deceptam blandis implicuere dolis.
Serva fuit, cum ſe dominari crederet. hoſtes
Suſtinuit proprios *ſtulta* vocare PATRES.
Qui FAS omne manu gladium ſtringente ferebant:
Quorum vaginæ *ſcrinia Iuris* erant.

SCA-

SCAZON XX.

Protervia.

Fregit Libido ſæva Patrias legeis;
Simúlque fractas ROMA perdidit vires:
Velut, Parente mortuo, minor natu
Circum-doloſi fraude-venta Tutoris.
Exin tumultus, livor, ira, contemptus,
Fædi *Cometæ*, fæda bella ſunt orta.
IUS QUOD DABATUR, HOC AB ENSE PENDEBAT.
VAH! CVRIONIS ſica, mors fuit legum.

XXI.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.
Numer. 24.

Sic itur in PHARSALIAM
Bubonibus ſiniſtris,
Emuntur iræ *Civium*
Non ſimplici talento.
Iiſdémque ſignis claſſica
Pulſantur & reſultant.
Pilis minantur æmula
Pari furore pila,

21.

Man kompt zu letzt gar in die Nacht/
Pharſali will ich ſagen.
Dort gſchicht ein Burgerliche Schlacht/
Lucanus thuts gnug klagen.
Vatter vnd Sohn/wie Feind da ſtohn/
Mit auffgehebten Bogen.
In zweyen Heer / gleich Adler mehr
Seynd gegen ander gſtogen.

Sacrilegium.

Vſque ad fatales rabies effuſa *Philippos*
Traxit: in Æmathiis hoc ſcelus hæſit agris.
Pila dicata Iovi, læſis rapiuntur ab Aris:
Martia conflatus tranſit in arma ligo.

Ceſſae

Cerno pares Aquilas, & utraque ex parte ſagatos,
Si credam lituis, hinc procul hoſtis abeſt.
Civis it in civem, fratrem cognatus, in ipſum
Quem genuit, Genitor procidit. *O Pietas!*

Mox totis tonuere bella caſtris.
Diſcordéſque *Togas*, ab enſe *ſciſſas*,
Civilis cruor imbuit rubore.
(Signabat color iſte CANDIDATOS.)
Hem! clangunt aquilæ pares, ad arma;
Adversúſque ſecat volatus auras!
Pila in pila cadunt. utrinque clamat
Hoſtis: IVPPITER, ô TVERE ROMAM.

Vos rubræ Rubiconis aquæ, téque *Alea iacta*
Alloquor, & tanti conſcia terra mali:
Quanti conſtiterint *plus quàm civilia* bella.
Dicite: quo pretio *vendidit Haſta* neces?
Terrarum cælique pudor! quæ prælia! Natum
Collocat Enſe pater, filius Enſe patrem,
Fraternas acies monſtrat Pharſalia Thebis.
Oedipus in Latio cum Polynice fuit.

SCAZON XXI.

Creſcit Megæra: crevit & furor belli.
Nam quà Philippi Theſſali, malo Fato
Signante, vaſtos porriguntur in campos;
Ejecta *ſe ſe* Roma, vidit extremum
Nefas ſuorum. pila Civium vidit
Tingenda cæde mutua coruſcare:
Ferríque Natos impotenter in Patres,
O Roma, Roma! jam perire cœpiſti.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.
Num. 24.

Gener Socérque provocant,
Hinc MAGNVS, inde CÆSAR,
Concurritur pro Crimine:
QUI PEIOR EST, TRIUMPHAT.

Dum

Dum *Punctum Honoris* unicum
Secántque dividuntque;
Stagnant cruenti Theſſala
Latè per arva rivi.

21.

Man laufft zuſam. Cæſar bereit/
Pompejus vnbeſunnen.
Glück vnd Vnglück zerthailt den Streit/
Der árger iſt/hats gwunnen.
O Ehr! O Layd! O Geitz/ O Neyd/
O wie vil Blut iſt gfloſſen!
Billich ſolt man/ all beed Tyrann
Die Naſen darauff ſtoſſen.

Siccine concurrunt; hinc Magnus, Iulius inde?
Hinc Gener, inde Socer; hinc tigris, inde leo?
Quò *Pueri*, quorſum? ſcelus eſt, quod morte paratis.
Triſte nimis vinci, vincere turpe nimis.
AMBITIO vexilla movet. DISCORDIA cædes
Stipat, & in tabo nat truculentus HONOR.
VMBRA honor eſt, veréque *nimis protecta*: ſed, ô quot
Hæc *vmbras* Orco fertilis VMBRA dedit.
Hinc CAESAR capit arma, MAGNVS inde:
Hinc *Calvus* furit, & *Comatus* inde.
Quod pellit *Socer*, hoc *Gener* repellit.
O! VICTORIA FLEBILIS VEL IPSI
VICTORI, NIMIVMQVE FLENDA VICTO.
Fit cædes ab HONORE (tunc creato
Vrbis CONSVLE.) ſanguis implet arua:
Hoc eſt, ROMA *tibi ſecare venam*
Iámque adſunt, Cæſar, Pompeianíque triumphi,
Iudice viſuri *juſtius* enſe *nefas*
Nel mora; per medium torquetur lancea cœlum.
HASTA igitur FIXA eſt: *Iudicium dabitur.*
Quale? quod horreſcant Thraces, ſecat agmina ferrum,
Vtque armenta ſolo funera trunca jacent.
Campi conſulibus pleni, foſſæque ſenatu,
Abſolvunt *Libram*, Brenne ſuperbe, tuam.

SCAZON XII.

Claſſicum.

Neſcit *priorem* ferre CÆSAR: *æqualem*
Magnus recuſat deſpicitque POMPEIVS,
Ad arma, ad arma, ad arma, ad arma clamatur.
Pugnatur. alta, ceu pilæ, volant pila,
Caliginoſo Mars furore laſcivit.
SEMEL NOCENTEM, BIS NOCENS TRIUMPHAVIT.
Latè refuſus ſanguinis ruit torrens.
O Roma, Roma! quo colore mutaris!

XXIII.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.

Numer. 24.

At ROMA languet interim
Venalis, ægra, feſſa.
Turbata mente linquitur;
Labant ſoluta genûa.
Luctam ſupremam nunciant
Vicina ſigna mortis,
Singultiunt arteriæ,
Formidat icta vena.

23.

Wie dieſes Mordgſchrey angelangt/
Vnd allenthalb erſchallen;
Iſt Rom trafftloß/ vnd ſehr betrangt/
Vor ſchmertz in Ohnmacht gfallen,
Legt ſich zu Ruhe/deckt d Wolffshaut zu:
Will allerdings verzagen,
Die Farb vergieng/die Wangen hieng/
Kein ader wolt recht ſchlagen.

Rumor hic afflictas ROMÆ ſimul impulit aures,
(Omnia miſceri; ſacra, profana rapi:)
In lachrymas ivit ſimul & ſuſpiria, totis
Turribus, & mœſto *funditus* ore tremens.
Spargit in incertum abſiſtens veſtigia gyrum:
Ante nigram Lacheſis ventilat ora Colum.

Flebile lingua gemit, dens formidabilè ſtridet.
Lugubrè vena micat, ſi tamen ulla micat.
Fatales ubi triſtium tubarum
Accepit ſonitus, & ejulatum;
Afflatæ nivis inſtar & pruinæ,
Subſedit medio ſoluta campo,
Tuno vultum malus occupare livor?
Tunc ruptis tunicis perire ocelli:
Tunc artus gelido quati tremore:
Tunc *pulſu fatuo* ſalire vena.
Fortè jacebat humi Tarpeio affuſa Tonanti,
Præſaga exitii ſquallida Roma ſui:
Cùm trepidam invaſit belli Pharſalicus horror,
Qualem, quem ſubiti perculit ira Iovis.
Cur tremo, dixit, & his mediis in vocibus hæſit,
Auditæ ſtragis conglaciata metu.
Sanguis hebet: paleæ ante oculos atomique vagantur.
Oeſtro funereo parcita Vena gemit.

SCAZON. XXIII.

Vocate Cives Æſculapium, *Cives,*
Cives adeſte. ROMA VESTRA ferali
Pavore conſternata cladis acceptæ,
Pallétque, ſoluitúrque frigidos artus.
Adeſte Cives. Vultus ecce collapſus:
Cor ſyſtole diaſtoléque confundunt;
Venæque nullo ſtant tenore ramoſæ,
Ah ægra Roma! quid canit tibi bubo?

XXIV.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.
Numer. 24.

Ad vltimum *ter ſternuit*
Sudore profluente;
Et voce mixtâ fletibus,
AVGVSTÆ NOSTER, inquit:
Vale. vale dulciſſime.
Tibi reſigno MVNDVM.
Mox bellicoſos exſpuit
Manes fremens ſub Orcum.

24.

Der kalte Todtſchwaiß laufft von ihr/
Nieſt dreymal in die tieffen.
Nach Auguſt ſtehe all ihr Begir/
Denſelben thut ſie rueffen.
Macht vor dem Endt ihr Teſtament:
Auguſte, nach meim Leben
Erb mich/vnd bett. Hats kaum außgredt/
Vnd ſtracks den Geiſt auffgeben.

Agon.

Ter collapſa toro eſt, *terque* à CICERONE levata,
Ter gelidùm ſudans ſternuit, & tacuit.
Mox iterum erigitur, mediáque in morte profatur:
AVGVSTVM NOBIS SISTITE: Dixit. adeſt.
ILLA. Deo Iuvenis nimiùm dilecte, migramus:
Eſto heres Romæ, maxime Cæſar, ait.
Sic effata truces oculos ad Tartara torſit.
Frigidáque exanimi corpore procubuit.
Fatis cedite. Ceſſit ipſa ROMA.
Sanctè: ſternuit. Et ter: *ominoſe*.
AVGVSTVM priùs allocuta CORAM
SEPTEM TESTIBUS, ET NOTANTE
MARCO,
SE TOTO DEDIT ASSE DIVIDUNDAM:
Adiecto quoque jure CODICILLI,
Quo præſaga *Triumviris* cavebat;
Torvùm immugiit, occiditque noctu.
Frontem involuerunt feralia nubila, mortis
Indicium pulſæ perſonuere fores.
Vivit adhuc tamen ægra, iubétque ad limina duci
AVGVSTVM, & cubito nixa, levata toro,
Macte, ait, ô Italis magnum decus addite terris,
Imperii poſt me frena regenda cape.
Dixit, & in cœlum deſcendit ad infera regna,
Semper *Iulæis* Manibus Vmbra gravis.

SCAZON XXIV.

Teſtamentum.

Sternutat. Eheu! TVLLIVS, *Salus*, dixit.
Sed fruſtra, apertis jam poris venenatæ
Maculæque livent, itque letifer ſudor.
Suprema vox hæc; *Dive noſter*, AVGVSTE,
Ex aſſe factus, inſtitutus, & ſcriptus
Heres, Iovem precare, ſolve Legata.
Sub iſta vixit, ſpiritúmque demiſit.
VAH! tota buxus, tota ROMA nunc mors eſt.

XXV.

Dabo te in manus hominum inſipientium & fabricantium interitum; igni eris cibus.
Ezech. 21.

DEFORME IAM CADAVER EST
FORMOSA ROMA QUONDAM.
Quod *extulit* Tiberius
Veſpillo purpuratus.
Sub parricida Claudio
Plenum parante BVSTVM,
Pars VRBIS arſit tertia,
Novæ favilla Trojæ.

75.

Laufft alle zu/vnd bſucht die Leich/
Werd nit vil ſchöns mehr finden.
Tiberius nit von ihr weicht/
Will biß ins Grab ihr zünden.
Ein anderer/ein anders plerr
Vmb diſes Aaß erwecket:
Ein gantze Meil/den dritten theil
Der Statt in brandt geſtecket.

Spectaculum.

Conclamata jacet. Viden, ut reſupina recumbat,
Inque humeros cervix pendula fiat onus.
Funus adornatur, tectúmque TIBERIVS effert
In Capreas. HEIC EST MORTUA ROMA SITI.

Quan-

Quanquam iterum in *ſeſe* iuſſu translata NERONIS:
Accipit extremi munera mœſta Rogi.
Perſonat accensâ *Nebulo Trabeatus* in urbe:
Hæc facies Troiæ, cùm caperetur, erat.

EXI ROMA TUIS HUMANDA PORTIS,
EXI, FUNUS ES ET CADAVER: EXI.
Sic tota populus fremit Suburra:
Et ſub fornice defodit *luparum*
Paſtam lacte *lupæ*, Neroniana
Mox incendia proſequuntur Vmbram.
Ardent omnia. Ventilare captâ
Iurâſſes Danaos in Vrbe tædas.

Dialogiſmus.

Edite ferales planctus, accurrite Cives:
Fœtet & in pheretro mortua *Roma* jacet.
Caldius infodit tumulo *Mero*. SISTE VIATOR.
Siſto. Quid hic? VRBS EST. *Quantula?* MUNDUS erat.
Quiſnam oculos clauſit: DUO CAECI *quis dedit ignem*
Funereum Populo collachrymante? Nero.
Cupreſſum accendit? TAXUM. *Rogus unicus arſit?*
VNICUS, ET PRIAMI QUALIS IN VRBE FUIT.

SCAZON XXV.

Rogus.

Ades Diaule nominate Pollinctor:
Effer cadaver Vrbis, effer, incende.
Sed nempe te Tiberius *ſenex Vulpes*
Prævenit, extulitque FVNVS IMMENSVM.
At ſumtuoſi defuit Rogi flamma
Et luculenti? ſcilicet. Nero Matri
Immane buſtuarius dedit buſtum.
VAH Roma! nunc es illa TROIA, quam jactas.

XXVI.

Haccine Vrbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ, Thren. 2.

Quæ? qualis? ô: quàm viluit
Mutata nunc ab *Illa*,

Quæ viribus Numantiam
Volſcóſque ſubjugavit:
Carthaginis *proboſcides*
Stridentis amputavit:
Rhenique & Iſtri *cornua*
Dejecit inter algam!

26.

Stainaltes Rom/wie wunderſam
Biſt gwichen von der Jungen/
Wer hat auß euch Numantiam
So gwaltigklich bezwungen?
Vnd die erbawt auff Ochſenhaut
Carthaginem zerſchlaiffet?
Der Teutſchen Paß/vnd vber das
Die Waſſerſtröm durchſtraiffet.

Ah! quàm non illa eſt, quàm non eſt illa Gradivi
Neptis, pinniferis inclyta Virgo comis!
Hæccine Caudinas ſub Furcas agmina miſit
Volſca! Numantinos torruit iſta Lares?
Hæccine ſubvertit Tyriæ Carthaginis Arces?
Iſta Iubæ vincto ferrea jura dedit?
Hæccine Danubii ſulcavit remige dorſum!
Percuſſit Rheni cæſtibus iſta caput!

Hoc ritu tumulata. Nunc ab illa
Poſſis quærere: ROMA QVID FVISTI?
Tu vallare Numantiam, fugámque
Parthi ſiſtere? ROMA QVID FVISTI?
Tu Carthaginis inſulas & arces
Fundo vertere! ROMA QVID FVISTI?
Tu Germanica terga liberorum
Virgis cædere? ROMA QVID FVISTI?

Metamorphoſis.

Faſcinor, & frontem magici vinxere corymbi?
An ſubito *fumus*, quæ fuit ante *Venus*?
An video Romam, quæ ſub juga *bobus* adempta
Egit Samnites, edomuitque Tagum:
Getulo metuenda Duci, Carthaginis horror,
Prædatrix Siculi, claſſe timenda maris!

Quæ *quercus*, Alemanne, tuas formidine movit,
Ex illis Latium ſculpere docta Iovem!

SCAZON XXVI.

An iſta ROMA! funus iſtud eſt ROMA,
Hic ROMA truncus? hoc cadaver eſt ROMA?
Quis me per! ô viciſſitudo Regnorum!
Ergo iſta Volſcos vicit, & Numantinos
Canes abegit SCIPIONE latranteis?
Hæc tauriformis abſtulit caput Byrſæ!
Quis me! fugavit iſta Larua Germanos!
VAH! *quis per altum me ferat?* VALE ROMA.

XXVII.

Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus. In Thren. 1.

Cunctis tremendæ Gentibus
Emarcuere vires.
Luxus *Nepotum* pignora
Materna diſſipavit;
MUNDIQUE PATRIMONIUM
EVOLVIT UNUS HERES.
Quod *his* reliquit, barbarus
Abſumſit ALLARICUS.

27.

Die Krafft iſt gſchwächt/ darob vor zeit
Gantz Africa erzittert.
Nero verzehrt die beſte Beut/
Als wann er wär drauff gwittert.
Der Welt Erbgut verthun thut z
Vnd was zu Rom fur Honig/
Hat ein Hurnauß gefreſſen auß/ d
Der Wiſigothen König.

Adverto, nec vana fides: *apoplecticus* illam
Corripuit faſtu deficiente *ſtupor*.
Dives opum, dives pictai veſtis, & auri
Aulaique (ſed hoc, quiſquis es, adde) FVIT.

Exhed

Exhauſit Tyberim Gangémque Tricongius auri,
Sanguinis humani turpis *hirudo* Nero.
Aut ſi quæ miſero de funere membra reliquit,
Harpyis Geticis vix pepulere famem.
Nimirum ſuperante morte vires,
In fœdam ſpecioſa fluxit umbram,
Summam pauperiem. Cruentus Heres,
Immanis patrimonii Charybdis,
Præter *pila vetuſta*, ſarculumque
Serrani, Curiíque nil reliquit.
AH! ET FUNEBRE LINTEUM, SEPULCRO
EFFOSSO, PROCUL ABSTVLERE GOTHI.

Porſena quas ſtupuit vires, jam nulla Sabina,
Nedum Nebrophone, vel Cleopatra timet.
Iactet divitias, quas abſumſere nepotes;
Quique Aviæ faciem convomuere ſuæ.
DEPOSITVM MVNDI, cenſus, æraria, fiſcum
Vertit Civilis depopulata fames.
Relliquias, Alarice, tibi ſervavit egeſtas;
Plauſtráque prædarum ſub Stilicone dedit.

SCAZON XXVII.

O vaſtitate febribúſque corruptam,
O deſtitutam viribus ſuis Romam!
Cui nec Sibylla triſtis ulla prædixit
Annis malorum copiam ſecuturis.
Summo labore parta, degener Gnatus
Inter Luparum fœda tranſtra conſumſit.
Analecta carpſit Allaricus Hunnorum.
VAH! Cæſar Vrbis, viſus Hunnus eſt Romæ!

XXVIII.

Vbi eſt Domus Principis? & ubi tabernacula impiorum? Job 21.

Eheu! *Quirites* poſteri
Stipem petunt honoris.
Tuæ *Vetuſtas* gloriæ,

Trajane,

Trajane, rupit ARCVM,
Sublime SEPTIZONIVM
Mitiſſimi Severi,
Luculliana Pegmata,
MOLES Titi *ſteterunt.*

26.

Alſo daß ich nit ſich/ wie vil
Sich Römer proglen mögen:
Weil ihnen gſteckt ein kurtzes Zil/
Auch deß Trajani Bögen:
Auch dem Gebäw/ das hoch von new
Auffgführt mit ſiben Gaden.
Luculli Raſt/ Titi Pallaſt/
Iſt auß mit dem pranaden.

Quis deſolatæ faciem miſerabitur Vrbis,
In qua de veteri reſtat honore *Nihil.*
Tempus edax fregit Trajani Cæſaris ARCVM,
Non aliter, quàm quem tendere, Parthe, ſoles,
Tortilibus ſpiris *Moles laqueata* SEVERI,
Fluxit in exiguum, fulmine tacta, globum.
Luculli vocale nemus ſubſedit, & Aula,
Quàm tuus exſtruxit, Veſpaſiane, Titus,
Ad *leſſum* propero. NIGRÆ PVELLÆ,
VESTRÆ PLANGITE MATRIS AD SEPULCRUM,
Trajani cecidit ſolutus Arcus.
(EHEV! PLANGITE) nec Severiani
Manſit integra Turris Heptacycli.
Dudum mole ſuâ Titus, ſuàque
Lucullus premitur. NIGRÆ PVELLÆ,
VESTRÆ PLANGITE MATRIS AD SEPULCRUM.

O! Domus Aſſaraci, & rerum translata poteſtas:
O! facies Vrbis mœſta, QVIRINE, tuæ.
Decidit ipſe ſuo Cæſar Trajanus ab Arcu:
Per quem nunc alium lauriger ibit Eques?
Iam ſeptem *Zonas*, CASTAM quibus ante SEVERVS
Vinxit, Romani prædo *pudor is* habet.
At non marmoreo recubat Lucullus in horto;
Deplorantque Titum mœſta theatra ſuum.

SCAZON XXVIII.

Sed & *ſuper te* (VAH !) *caput movent* gentes,
Femorique ſuram (ſic ſtupent) *ſuper ponunt*,
Mutíque dicunt : Arcus ecce Trajani,
Zoníſque ſeptem ſurrigens forum Cochlis ?
Regalis ecce picta ſponda Luculli,
Celſúmque pegma Molis Adrianææ ?
Amarulentùm ſibilant Viatores :
VAH? priſca ROMA, nulla nulla jam Roma es.

XXIX.

Et percutiam Domum hyemalem cum Domo aſtiva, & peribunt Domus eburneæ.

Amos 3.

Stillare ceſſant balſama
Menſæ Neronianæ :
Fædâ ſcatent uligine
Thermæ Neronianæ.
Antonianis balneis
Nunc anſeres lavantur.
TYBVR Vopiſci floridum
Tondetur à capellis.

29

Kein Tiſch kan ich erfinden mehr/
Der Balſam thäte ſchwitzen.
Schwaißbäder ſeynd verſeucht vnd läer /
Wie vbel ſtinckendt Pfitzen.
Gäns baden drin/daß d Kayſer ihm
Niemalen eingebildet.
Vopiſci Luſt/ wies wol bewuſt /
Tybur, iſt gantz verwildet.

Fabula ſunt citreæ ſudantes balſama Menſæ,
Nec Syrias halat mappa relicta roſas.
Fabula, trudentes argentea flumina thermæ :
Nulla per auratum fluxerat unda tubum.
Fabula, Nymphæum Veneris regale lavandæ :
Mœotis nequeat fœdior eſſe palus.

Fabulæ

Fabula, *Pierii* Tybur glaciale Vopiſci:
Semper, ut apparet, ruſtica villa fuit.
Iam nil de Cilicum liquore nudum
Prandentis fluit in caput Neronis.
ERGO PLANGITE. Nec *lavantis* vnctum
Fragrat malobathro nitente corpus.
CVR NON PLANGITIS? ille delicatus
Thermarum tepor alget. illa Villa
Tyburtina ruit. NIGRÆ PVELLÆ,
VESTRÆ PLANGITE MATRIS AD SEPULCRUM.
Quæ domus in tota latè fragraverat Vrbe,
In qua cœnabat *Plenâ Nerone* fames:
Effultóſque meris fontes & ſtagna ſmaragdis,
Quæ biberat loto *plena Nerone* ſitis:
Quáſque infudit aquas riguis Antonius hortis,
Omnia jam *ſicco* tranſeat *ore* Canis.
Nec Tybur platanos, nec habet ſua frigora Paſtor,
Dicere nec poſſit, *Tityre tu patulæ*.

SCAZON XXIX.

Vbi ſiderati nunc Neronis ex auro
Tornata menſa, digna Sole convivâ,
Et delibutis rore Medico Stellis?
Exaruerunt limpidiſſimæ Thermæ
Antonianæ, cum lavantibus Nymphis
Et æſtuantis Tybur umbra Dianæ,
Phœbi flagrante verberatur à curru.
VAH: priſca ROMA, nulla nulla iam Roma.

XXX.

Tranſierunt omnia illa tanquam umbra.
Sapient. 5.

Orcheſtra, Ludi, Munera,
Fontes, arena, Circi,
Et *Editores* munerum,
Aurique *ſparſiones*:
Tragœdiæ, Comœdiæ,
Socci Terentiani,

Spectator, Actor, (*Plaudite*)
VNA IACENT RVINA.

30.

Schatzkámmer/Zoll/Tribut/vnd Rendt/
Das Gold mit Säck außgmeſſen/
Vnd waiß nit was für ploderment/
Schawſpil / Schawplatz/Schaweſſen/
Comædi Frewd/ Tragædi Leyd/
Ballhauß mitſampt den Ballen/
Jr/Reich vnd Arm/daß Gott erbarm/
Jſt alles zhauffen gfallen.

SVMMA, nihil ſuperat. Perierunt omnia *Romæ*,
Maxima,parva,popæ,victima,fana, Ioves.
Occubuit Scaurus, Circenſia Munera ceſſant,
Everſis cuneis amphitheatra vacant.
Deletus *populus Statuarum*, ancilia Martis:
Fracta,togæ ruptæ, dilacerata ſaga.
QUÆ SEPTEM TUMULOS IACTANTIOR EXTULIT OLIM,
SUB SEPTEM TUMULIS VRBS TUMULATA IACET.

Nænia.

Nunc concurrite lacrymæ Sororum,
Veſtræque exequias parate Matri:
Namque unum in tumulum feruntur unà
Formoſa omnia, quæ fuere Romæ.
Saltem funebre dedicate Carmen.

HEIC EST
CONDITA ROMA
TOTA QVANTA.
QVAM CVM
TULLIOLA TERENTIAQUE
LVGENT
ITALIÆ
NIGRÆ PVELLÆ.

Longam odi pompam. Quin totum *elimino* funus:
Et ſimul & ſemel eſt mortua Roma Vetus.
Lictores,Conſul,Faſces,Dictator, Arator,

Curia,

Curia, Veſta Focus, Ludus, Arena, Forum,
Patritij, Ædiles, Equites, Aſinaria Plauti,
Nullo, quod ſtupes, ordine miſta jacent.
ROMA ANTIQVA *vale*, lacte enutrita lupino.
Salve ſparſa AGNI ſanguine ROMA NOVA.

SCAZON XXX.

Chaos.

Vides *cavernam*? quò, tonante ſub cœlo,
Lapſu repentè cuncta iacta ſunt uno:
Quæcunque bifrons extulit domo IANUS;
Corona lata, flava, querna, navalis,
Muralis; æs, H S; theatrales
Stichi Getæque, Roſciique Comœdi;
Veſtale Sacrum, buccinæque Florales.
Vah, Priſca Roma, nulla nulla iam Roma.

SCENA.

Scazon. Pœta.

H*Ac me ſub umbra feſſus atque laſſatus proſterno.* POE *Scazon ſurge. Surge non audis marcore ſegnis loripes? adhuc grandis via reſtat. Illa quippe meta, ſi neſcis, tangenda, quam centeſimus lapis ſignat. Elephante ſurge.* SCA. *Dum tuos bibo fontes, Comitiisque publicis vocor Verſu majore nunquam me ſcias fatigatum, aut fortiore dimicâſſe conflictu. Languent lacerti: pes tremit: ſtupent nervi.* POE. *Vt hiſcit inſtar Appula canis, rictu fumante, linguâ turpis oris exertâ. ut oſcitatur; ecce qualis Entellus, ſaperda vane, qualis Hercules; quantusque aſſurgis? hac promiſſa? ſic fidem ſervas?* SCA. *Fortes ut iſta Ludia, viriles que, immane quaſſis dant negotium peltis. Deſpero palmam ferre. Flent, gemunt, rident ſimulare doctæ. blandiuntur & damnant; laudant & urunt ingeruntque ſarcaſmos.* POE. *I nunc ſuperbe, teque feminis præfer, quas ante ſpernens ſibilan que diſſlabas pulmone toto. Iamne Amazonum caſtra ex-*

pertus horres; & ſagatus agnoſcis vires togatæ militiæ? ſtola cedit tua metallum ſtantis ære loricæ: peplo galerus Mercurî, mitra criſtæ. At non & illæ conqueruntur, aut pugnâ confectâ donec finiatur, excedent. Sic eſt: tremendus & ferocibus verbis omneis repletis curias forum ſilvas Heliconia totum; Marte ſerio nulli. Cognata Metra turgidi Phariſæi; quòd more veſtro claudicare contemnant, arcetu ore tetrico, gravi paſſu, ſufflante naſo perſonantibus rhonchis. Elegia mollis eſt, Adonij nani, Horatianum grãde, Saphicum vile. Phaleusiorum grex pipit, tonant turmæ Heroicorũ, ganniunt Iamborum. Sed vos natatu poma flava Scazontes, intérque Verſus vultis eſſe Prætores, & Conſulari dignitate fulgere. Vobis volumen tibia placet curva, plantam biformem calcante Spondæo. At nominatum cùm venitur in campum, ventres ſoluti palpitatis ad ferrum. Vt vos Iambi perduint! SCA Minas Vates ſtrictas reconde. Surgo præliaturus. POE. Cratera, Scazon quem furoris implevi peculiaris, fluminis ſacri plenum (ſtimulabit iras) ſume (ſuggeres vires) unoq́ue tractu nil moratus exhauri.

XXXI.

Cuncta ſubjacent Vanitati.
Eccleſ. 3.

Qui diſcutit SCIENTIAS,
Haud mitiora cernet,
Quin imò, quando viderit
Inimitiora, FLEBIT,
Quas ſubtrahendas improbis
Credebat eſſe Parcis;
Solo reciſas ſtirpitus
Dolebit occidiſſe.

31.

VVie diſes fallt/ſo fallen auch.
Die ſiben freye Künſten.
Man haſts/iſt ſchon ein alter brauch/
Sie gelten ſchier am münſten.
Die voller witz/vnd voller ſpitz
Vnſterblich ſich geachtet/
Eben dieſelb/ſeynd grün vnd gelb
In ihrer Kunſt verſchmachtet.

Scilicet à Fatis Vrbes & ſola premuntur
SAXA! SACRAS ARTES non minus illa premunt.
Si potes has ſicco collapſas cernere vultu,
Durior es ſcopulis ilicibusque ſilex.
Quæ fatuis vitæ fallacia ſtamina torquet,
Hæc quoque non fatuos ludificatur *Anus*.
Sæpe quidem SAPIENS, *Colus* eſt ex marmore noſtra
Dixerat; & tantum vilis *arundo* fuit.

Dulces Aonides, & expeditæ
In certamina mille laudis ARTES:
Quis tam barbarus improbusque vinctis
Poſt tergum manibus, ſolo ſaloque
Proſcriptas, medio fugavit Orbe?
Mores! tempora! faſtus & cachinnus
Cogunt NVMINA MENTIVM, pudendam
Immortalia nunc ſubire mortem.

Ludibrium.

Quid mihi cū Roma? lachrymas quod provocat hoc eſt:
Triſtis in exſilium Muſa novena migrat.
Flent homines, piperis thecam ſi corripit ignis;
Rident, ſi tantum Bibliothecæ flagrat.
Qui pallere cupis, qui contabeſcere morbo,
Qui vulgo fieri fabula longa, *ſtude*.
Nec tam ſarcaſmus, quàm *Mors indocta* timenda:
Non prius hæc *Aſinos*, quàm mala ſternit *Equos*.

SCAZON XXXI.

Indigner? anne rideam? anne deplorem?
Et Liberales in luto jacent Artes:
Ipſæque Muſæ, Virgines verecundæ,

Poſt

Poſt non ferenda probra, vimque Stultorum,
Raptámque primæ Caſtimoniæ zonam,
Ad ſtupra collo protrahuntur obtorto.
Lauro ſepultæ verminant ſub ambuſtâ,
Vah! ipſa Pallas fit Meduſa, fit ſerpens.

XXXII.

Veruntamen in imagine pertranſit homo.

Pſal. 38.

Num reſtat una linea
De *lineis* Apellis?
Num vel manus, vel pes tuâ
Lyſippe ſculptus arte?
Num de Myrone bucula
Veris amata tauris?
Num delicati Mentoris
Cælata Cypris auro?

32.

Apellis Stuck/vnd was zuletzt
Rom hat geſehn an der Tyber/
Vnd was Lyſippus hat gemetzt/
Iſt nit ein ſchnipff mehr vber.
Myronis Khu/vnd er darzu
Seynd beyd einander gſtorben.
Das Venus Gſicht/wieß Mentor gricht
Auß Gold/iſt auch verdorben.

Pellæum Regem quoties depinxit Apelles!
Cui ſoli libuit pingere, quod licuit.
Et quoties illum Lyſippus marmore finxit!
Cui ſoli licuit fingere, quod libuit.
Quale hoc æris opus? quod taurus amaverat inſtar
Vxoris: potuit cui *Socer* eſſe Myro.
Mentoris in Caelo, quam *Cælo* pulcrior arſit
Cypris, & hæc ubi nunc omnia? ſub tumulo.

Emi-

Emblema.

Jam scit mortuus artifex Apelles,
Quæ sit linea summa linearum.
Lyſippi ſtatuæ jacent ſub ipſo;
Et bos ærea Dædali Myronis
Multis vivere viſa, rupta vixit.
Et captura ſuo decore Martem,
Aphrodiſia Mentoris marina,
Toto diſſiluit polita *dente*.
Ex tot Apellæa radiatis vultibus arte
Quis naſus ſupereſt? pars quota *Bucephali*
Multa manu ſimulacra Deûm Lyſippe venuſta
Finxiſti (nec ego plurima ficta negem)
Dic, quibus in terris tua nunc, quibus errat in agris,
Quémve bovem incendit VACCA, *bubulce Myre*.
Dic Mentor Veneris Pater ingenioſus eburnæ,
Quam tua nunc *Idam* Filia pulcra ſubit?

SCAZON XXXII.

De penicillo quot pilos Apellæo
Reſtare credis, ſimiasve certantes
Pictis tabellis provocare Naturam?
Epimethis alter multa ſaxa *Lyſippus*
Ex *Arte Pyrrha*, ceu *Maritus uxore*
Homines creavit, Sed fuere mortales
I nunc, Myronis æream bovem *mulge*,
Ebur *procare* Mentoris ſepultum. *Vahl.*

XXXIII.

Defecit ſufflatorium. In igne conſumptum eſt plumbum. Fruſtra conflavit Conflator.

Jerem. 6.

Quis auctor ille Phidias
Olympici Tonantis?
In ære doctus integros
Exercitûs *movere*.
Tubam putaſſes clangere,
Vellique ſigna caſtris!

Qui

Qui monſtra credunt omnia,
Credant & hæc Apellæ.

33.

Du lobſt mir vil den Phidiam.
Vnd thuſt mir ihn hoch preyſen/
Wie er ſey gweſt ein Florian/
Vnd ſonders in Glockſpeiſen:
Hab Roß vnd Man gſetzt auff den Plan/
Mit Trommel vnd mit Pfeiffen
Diß ſagt man wol/ ders glauben ſoll/
Möchts lieber ſehn vnd greiffen.

Inter mira Deûm, pleno crepat ore Vetuſtas
Phidiacasque manus, Phidiacumque IOVEM,
Horreſco referens; pleno *Manus* unica campo,
Agmina conſertis duxit ahena viris.
Maſſa informatis pugnabat dura lacertis:
Mandebat ſonipes id, quod erat *ſonipes.*
Deníque quid? credam? ſed non Judæâ Rebecca
Me peperit. Vos, vos credite Benjamidæ.

Sanna.

Narrant de PHIDIA QUE *Phidiaque.*
(Iſti namque BREVEM volunt fuiſſe,
Hi *longum*) memorabili furore,
Informeis animaſſe Marte glebas,
Cadmæas acies dediſſe in ære
Vivas, tamque truces, ut intuenti
Præ formidine ſurgerent capilli.
Si jam credo volare poſſe *Verpos.*

Hyperbole.

Quid non de Phidia memorant? fornacibus illum
Eduxiſſe acies, ærea ſigna virûm.
Ibant per campos orichalca moventia bellum,
Et metuenda tulit fuſilis arma cohors.
Addidit *hinnitum* ferro, dedit *aure micare,*
Et *neſcire loco ſtare,* notare tubam.
Ohe, jam ſatis eſt. Rumpunt mendacia fibras,
Incurvantque trabes, ut tabulata ruant.

SCAZON XXXIII.

Quid iſtud? ecquid Fama narrat armata?
Ex maſſa ahena Phidiam figuraſſe
Thebana bella, Tydeumque, Adraſtumque
Dirosque Fratres, cum Mimante Phlegræo
Hinnire viſus æripes equus *bruto*
Fremens *metallo*, claſſicumque ſentire
Graiûmque *ποππύζοντα*. Crede Iudæa
VAH! ventre gravido & horridũ gerẽs *Dageſch*

XXXIV.

Quare fruſtra laboravi?
Job. 9.

Quis pinxit hanc Lucretiam
Caſto decore torvam?
Vt odit! ut ſe tranſigit!
Mors iſta pæne vivit!
Narra quis hanc LUCRETIAM
Faciebat anne *Fecit*?
Quid quæris? illum nemo jam
Noſcebat anne *Noſcit*.

34

Wer hat Lucretiam gemahlt
Mit ſo erhebten Farben?
So trützig/keuſch/ſo ſein geſtalt
Ein rechter Welſcher Garben
Sag aber her/wer iſt dan der/
Der ſie ſo wol gemahlet?
Sein Nam haiſſt N. den ich nit kenn.
Gott waiſſt/wer ihn bezahlet.

icon.

Aſpicis, ut caſtum fodiat Lucretia pectus,
Ora minax, frontem nubila, torva genas?
Formoſam tamen *Ira decet*. Sic muta videtur
Velle Tabella loqui, picta Tabella mori.
Fallimur; an doctis labor hic defluxit ab aſtris?
An ducente manum Numine, pinxit homo?

Qvis

Quis tamen ille fuit? cur ſe non nominat auctor
Quære in Sarcophago; fortè ibi Calva jacet.
En: LUCRETIA vivit in Tabella,
Lumen nictibus igneum minatur.
Verus Pugio, *verus* iſte ſanguis,
Veri pectoris ex PUDORE manat.
Pulcri vulneris eminet cicatrix,
Spumantique cruore tingit Vber.
Quis *fecit*? liceat rogare NEMO,
Seu NULLUS, vel VTERQVE, ſive NEUTER.
Hæc eſt TARQVINII Lucretia caſta SUPERBI
Vita pudicitiam fortiter enſe ſuam.
Qui procul aſpiciet, fallετur Imaginis uſu:
Vivere jurabit, ſéque movere manus:
Vibrantes oculi letali horrore renident.
Non peto, quis pinxit: Sed quis in hac tabula
Pictor eam *genuit*? fætet. De nomine tanti
Patris & Artificis linea nulla ſuper.

SCAZON XXXIV.

Placet iſte vultus, hæc LUCRETIÆ forma
Expreſſa Quiſquis edidit, dedit vivam,
Fortaſſe quæri *vera* poſſit ad FICTAM.
Frontis voluptas cum dolore miſcetur;
Sed os honeſtum, neſcias, quid accuſet.
Stridet decorum vulnus, & ſinum replet.
Nec dextra ceſſat. Per Deas! quis hanc pinxit?
VAH glorioſus & dicaculus. *Sutor*.

SCHENA.

Poëta. Scazon.

AD *illud alluſiſſe credo te, Scazon*: Ne Sutor vltra Sca. *Quid velis probè novi. Ad illud. Acres improbasque cenſuras, plebs imperita pro lubentia ructat. Quod cuique pronum. Nulla merx magis vulgo venalis eſt minusque emenda, quam rhonchus. Vbiq; proſtant Zoili* POE. *Tamen velo latens Apelles, deprehendit inviſi deforme roſtrum calceumq; Cerdonis; picemque frontis lubricamque gingivam*

givam, crepida ſonantis verberavit impactu. Quaſſi molares & caduca maxilla ſtridente ſerrâ dentium, vacillarunt. Interminatus ergo reſpuit vano Pellæus ab Sutore Pictor illudi. S C A. O ſi Poëta clancularios Momos audiret, uncâ quaque nare perflantes. Et huic Apelli, per Lares, in arcano liceret, eſſe, denſa pone carecta. Quoties & ipſe cogeretur infeſtas ferire malas: cum fremens Ariſtarchus, armatus ignorantia rudi ſparro; geminat caninam litteram ſuper Verſu; quem rodit oſſe pejus. hic cothurnatus. luxatus iſte, durus ille, gibboſus & luſcus ille. Ineptus ille, qui cenſet; Moloſſus ille, qui protervus allatrat. P O E. Manſueſce Scazon S C A. Cum Poëma contorquet vibratque cirrhos: cur Poëma contorquet vibratque cirrhos? ſi reſolverit: nodo volet ligari fibulaque conſtringi. Iam diſplicebit ſyrma, jam fluens veſtis, auroque picta fimbria laborato. Iam naſus ipſe, Polyboſus eſt, latus plus æquo acutus. ſimus, olfacit Momũ emunctus. Omnis forma ducitur probro. Faſtidiorũ tanta tãque monſtroſa ſatet voluptas P O E. Tædiis putes ungi; & cum cruẽtos inſerit metris ungues morbo levari. S C A. Plecte ſuberis jactu, tã feculen[illegible] lividumq́ Sutorem, P O E. Plorante leſſo, leſſus, inquit, eſt mollis. Ridere malim gratioſus. Idemque ringetur ore, ſeque coget in nubes, ridente Phœbo. Sic fricatur à votis, iraq́ mœſta tetricaque laſcivit, & odit omne non ſuum miſer Fungus. Atqui nec artis eſt; nec ingenI plumbo gravare lancem, turbidoq́ Saturno implere rugas, à Catone formatas. Sed in Tabella ſuſcitare. quod vivit, ſed penicillo provocare Naturam, hoc Sutor artis eſt, & ingenI Mome. S C A. O Mome Sutor, P O E. Mome Sutor. S C A. O Mome.

35. Ima-

XXXV.

Imaginem ipſorum ad nihilum rediges.
Pſalm. 72.

Fallacis Vvas Zeuxidis.
Mendacium Iocoſum
Quod *paſſeres* deceperat
Pendentibus racemis:
Decerpſit *Auſter* humidus
Heu! ſævus eſuritor,
Nimbus Tabellam perdidit,
Et alites fugavit.

35.

Die Zeuxis mit dem Penſel pflantzt
Am Maurſtock edle Trauben/
Vmb welche auch die Vögel dantzt
Zum Böhrlein abe klauben.
Die hat der Wind/das Lumpengſind/
Mit Regen vberſtrichen.
Der Herbſt ſo milt/das ſchöne Bild
Iſt allerdings verblichen.

Eſt ubi, cum ſcitur Zeuxis, quæratur Imago
Zeuxidis. hæc, inquis, Vitis, & Vva fuit
Prodiit è Concha decepti Vinea Sturni,
Atque *oculis* potuit dulcis Imago *bibi*.
Audio, quod narras Hoc non minus: improbus Vvam
Expreſſam fœdo diluit imbre Notus,
Vaſtatus paries, & *vere penſilis* Hortus.
Damna vetuſtatis Vitis & Vva tulit.

Miracula.

Velo Parrhaſius latente Zeuxin,
Pictâ Zeuxis aves fefellit uva:
Vvâ purpureaque, cærulaque,
Fixâ in pariete mitibus flagellis.
Quæ non tam radiata *penicillo*.
Quàm *Thyrſi* potuit ſtylo videri.
AH! NIMBO PERIIT VORANTE TOTA
HAEC VINDEMIA NOBILIS COLORUM

Ad-

Adynaton.

Zeuxidis Vva tuis *gemmis* præfertur Iacche,
Vva quidem tantum picta, *merusque Color:*
At quovis, ſi non caruiſſet *Odore Sapore,*
Vinum Cos poterat dulcius inde premi,
Guſtavit Paſſer: quanquam velocior Auſter.
Præreptâ bibulam vite fefellit Avem.
Helluo ventus erat, *Siccum & ſpectabile* Vinum
Ebibit, á pluvio putruit Vva Iove.

SCAZON XXXV.

Antiquitatis iſta prærogativa eſt;
Vvas comeſſe, quas coloribus Zeuxis
Implevit, is tam *muſteos* ſuâ fecit
Manu racemos; ut volatici fures
(Quos inter eſt & *innocens* avis paſſer)
Totis diebus *pectinaverint* roſtro,
(Et pectinabat ſæpe ſæpius paſſer)
VAH! Bruma totum tabefecit Autumnum.

XXXVI.

Rurſum contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animadverti patere invidiæ proximi: & in hoc ergo Vanitas & cura ſuperflua eſt Eccleſiaſt. 4.

Priſcis ſepultis *Iunior*
Florere cœpit *Ætas*
Durerus abſque circino
Qui Circulum *creavit*
Colore clarus Angelus.
Colore Piſanelli,
Callotus, *Ater, Candidus.*
Bolſvvertij, Rubeni,

36.

War iſt es/auch in unſerm Landt
Seynd Künſtler aufſzutreiben.
Durerus kundt mit freyer Handt
Ein Ring ohn Circkel ſchreiben.

Der

Der Raphael vnd Piſanelli
Den Welſchen haben gefallen.
Schwartʒ vnd Bolſwert ſein auch wol werth/
Callot/Rubens vor allen.

In Veterum famam docti fluxere Nepotes,
Ingenio,manibus,moribus,Arte pares.
Quis niſi DVRERVS potuit ſic ducere Sphæram,
Vt manus una ſibi Circinus ipſa foret,
Quod fuerat quidam Cois,hoc Angele Romæ,
Hoc Florentinis es PISANELLE Roſis:
Hoc nobis Lotharingus erit CALLOTVS,in ære
Aureus;& vivo Belga colore RVBENS.

Fata.

Diſcedunt Veteres,& in theatrum
Perſonæ veniunt Recentiores.
DVRERVS digitum movens in orbem,
Hic eſt Circulus,inquit,ET RECESSIT.
Prodit ANGELVS,ingemitque mœſtum:
Sic vivit moriturus;ET RECESSIT.
PAVLVS ecce RVBENS,*Silete*,clamat;
Sic vivi moriuntur;ET RECEDET.

Iamque adeo Veterum,velut umbra,evanuit ætas;
Altera nunc noſtro pullulat herba ſolo.
Circulus ALBERTI ſolo carbone notatus,
Annulus eſt digitis,Norica Virgo,tuis.
Alter apud Tuſcos Zeuxis Piſanelle vocaris,
Angelus Vrbinas nomen Apellis habet.
Quis placeat magis,anne *Rubens* ánne *albus*.an *Ater*.
Hic PICTOR triplex,eſt ſimul ipſe *Color*

SCAZON. XXXVI.

Truduntur Anni.trudit Artifex primum
Secundus;iſtum tertius;Novi priſcos.
Pygmæus ater CIRCVLVSQVE Dureri
Vincant Catenas & Cyclopa Thimantis:
Sic Raphaëlis Itali PVER,grandem
Virum Theonis.nempe Belga famoſus
RVBENS,Apelli cedet,inimò non cedet.
VAH!quæ per artes it reditque vertigo!

XXXVII.

Non eſt priorum memoria, ſed nec eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos qui futuri ſunt in noviſſimo.
Eccl. I.

His *Palma* nunc addicitur,
At quàm diu virebit?
Vertente caudam ſæculo,
Vix ampliùs virebit.
In plurimis Provincijs
Fuisse neſcientur.
Obliviòſus nominum
Illos vocabit OLIM.

37.

Die habens præ, ihr Salb iſt gut/
VVie lang/wie lang wirds riechen/
Die Kunſt wird bald/als wie ein Glut
In d Aſchen ſich verkriechen.
VVie mancher Printz/manche Provintz
VVird nimmer an ſie dencken/
Lob/Stam/vnd Nam/wird alls beyſam
In Bodin ſich verſencken.

Nomenclatura.

Iſtis aſtra micant, hos gloria floribus ornat:
Et nardo & violis, & caſia & Cyane,
Et Myrto maliſque: ſed ô quò gloria tendis?
Nonne brevi dices: N*os quoque floruimus*:
Exactis octo luſtris, ſiſtetur imago
Nobilis à docta ſuſpicienda manu?
Nomina quærenti Auctoris, tibi ficta dabuntur:
Hanc pinxit CAIUS RESPHA CLASOMENIUS,
His Actoribus explicata *Palma*.
A ſummis datur infimisque. Vivant,
Regnent, & populi per ora currant.

D *Ai-*

Atqui poſt aliquot ſuperba meſſes,
LAVS cum *meſſe* cadet; putrisque famæ
Criſtatum *caput* & decoris *alas*,
Et *linguam* BONA VERBA nunciantem,
Longa oblivia mortis amputabunt.
Omnibus in Silvis horum penetrabilis Echo
Nomina percuſſa rupe ſonora canit.
Dic mihi quid vox eſt, niſi flabilis aura? quid auræ
Aura? quid hic eſt, quem *Vocis Imago* canit?
Poſt aliquot ſoles occumbet fama; NIGRIQVE
Tam *nigra* ſors fuerit, quam fuit ipſe *niger*.
Quis pinxit, quærent aliqui; reſponderit Heres;
Aleph Beth Gimel, Sic mihi dixit Avus.

SCAZON. XXXVII.

Hos noſter Orbis baſiare dignatur.
Horum *ferina* fertilis, *pepo* major,
Lactuca Tuſca, *braßicaque* ſunt latæ.
Nam quid Nealces, Pauſias, Paſon? iſti
Faciunt utramque paginam triumphalem;
Sed auguramur, quod licet, trahent olim
Et hi ſuam rubiginem ſuper ſaxo.
VAH! dicet ille & illa: *quàm rudis Pictor*.

XXXVIII.

Qui loquitur mendacia, peribit.
Proverb. 19.

Quòd frendeas, res maxumas
Quandoque parva vaſtat.
Smyrnæa certè Carmina
Non *Struthio* voravit.
Sed una tantum SYLLABA,
Sed nequior *trecentis*
Illam trecentis *felibus*
Vt Dij Deæque perdant.

38.

Offt bälder als das Laub vnd Gras
Iſt etwas groß vergangen.

Von welchem Thier iſt Ilias
Homeri auffgefangen?
Das Mäußlein biſz/vnd gantz zerrißs/
Will gſchweigen jetzt der Ratzen:
Die freſſen weck gantz Bücherſtöck/
Wanns ſicher ſeynd vor Katzen.
Ingemis auditis? audi pejora: peritur
Turpius, in lucro eſt mors miſeranda minus,
Smyrne, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ,
Te ſibi quisque Deum Civis, Homere, rapit.
Adde: quod & fures rapiant tua carmina mures,
Et quærant flavum cum tuo Vlyſſe favum.
Laudo: ſed ignavis indignor felibus, Illæ,
Olim debuerant hanc jugulaſſe *gulam*.

Expoſtulatio.

Fumantem movet æmulis ſalivam:
Quod ſublimia, ducta ad umbilicum,
Albo pumice raſa, digna cedro,
Cum probro monumenta deſtruantur.
Doctos Iliadis ſacræ labores,
Roſit *Mus* opicúſque putidúſque,
Quid vivis Cate¿ cui bono creavit
Te Natura? *vorare Mus* HOMERUM!
Quid? quod ab indoctis Docti crucientur? Homerus
Iam non reſpondet τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος.
Quæ Fera divini cœleſtia *vincula* Vatis
Solvit? hyæna, biſon bubalus, urſus, aper
Bellua qua? quid Muſa jubes expromere? tædet,
Et piget atque pudet dicere: Muſa ſine.
Bellua qua,? pudet ah! *qua bellua*? ridiculus Mus.
Quis poſthac ſævos arguat eſſe Catos

SCAZON XXXVIII.

Et hanc propino nauſeam. Sit ex arte
Opus politum, Palladisque nocturnâ
Fragret lucernâ: non poteſt ab infamî
Perire dente? teſtis ILIAS cæci
Oculus Poëtæ: quem trifurcifer ſcalpſit
Bibliopibulus eruitque pſicharpax.
Ne obſtitere perditiſſimæ Feles.
VAH! Quid POETA non Poëta ſpergabit?

Cruciantur ubi ſunt.

XXXIX.

Nunquid viſionem caſſam vidiſtis, & divinationem mendacem locuti eſtis.
Ezechiel. cap. 13.

Macer MARO diſparuit,
Et cum Marone Dido:
Pinguiuque FLACCUS Cerbero
Vt *porcus* immolatus;
Naſonis elegantiæ,
Rhamnuſiæ Tibulli,
Propertianæ Cynthiæ,
Et Lesbiæ Catulli.

39.

Geſtorben iſt VIRGILIVS/
O CLIO den bewaine.
Auffgmetzget iſt Horatius,
Halb leine vnnd halb ſchweine.
Naſonis Zierd/hat vil verführt:
Iſt aber ſelbſt eingſeſſen.
Tibulli Schatz/Catulli Spatz
Kan auch kein Käß mehr eſſen.

Quem tantum *Finxit* ſibi SEXTO Æneïdos Orcum;
Mortuus ah! *verum* jam videt eſſe MARO.
Mæcenas atavis Rex *regibus edite*, FLACCUM
Huc quoque vidiſti præcipitare tuum.
Non ſupereſt Naſo, non ille Propertius Vmber,
Cui tenero cordi Cynthia ſola fuit.
Sed neque Veronæ ſuperat genialis Alumnus,
Cumque tua Nemeſi, mœſte Tibulle, jaces.
Iam nullas canit eclogas Maronis
Famoſus Melibæus; aut Menalcas
Plus quàm Tantaleâ ſiti laborat
Fracta triſtis Horatius *lagena*.
Naſones quoque tranſiere, & una
Dulces nequitiæ Tibullianæ, &

Ne-

Nequam ſtultitiæ Catullianæ,&
Stultæ lætitiæ Propertianæ.

Onomatopeia.

Ille ego qui quondam Gracili modulatus AVENA
Dicere jam ceſſat; *Arma virumque cano.*
Et tu FLACCE jaces, *Epicuri de grege porce.*
Infernoque EPULUM das epulande Iovi.
O!bene,quod vivens leſſum ſibi fecerit ipſi,
Qui perijt gladio, NASO Poëta, ſuo.
O!malè,quòd ſerò veſtros Mors carpſit amores,
Docte CATULLE tuos, culte TIBULLE tuos.

SCAZON XXXIX.

Et Mantuanus occinens ſibi Leſſum
Olor ſenilem, cum dolore deceſſit.
Lyra Venuſina jam Proſerpinam mulcet,
Si fallit aureis; eſt Megæra, quæ plectat.
Focus TIBULLI *friget*. Vmbriæ valles
Suo carent Aurelio; ſuos triſtis
Luget Catullos Lesbiasque Verona.
VAH! ipſe longo NASO ductus eſt *naſo*.

XL.

Fallax equus ad ſalutem.

Pſalm. 32.

Pincerna Vatum PEGASUS
Confoſſus enſe Turco:
In poſterum quid nectaris
Sicco propinet unguis:
De pelle cæſæ belluæ
Non Mantuana Muſa,
Sed forſan indoctiſſimus
Veſtitus eſt ſatelles.

40.

Suldan der Türck hat Pegaſum
Mit Säblen nider ghawen
Ligt jetzundt Todt/vnd eben drumb
Flüſt nichts mehr auß der Klawen!

Wann ein Poet die Haut doch hett/
So kündt er ſich mit kleyden,
Dieſelb villeicht ein Scherg einweicht:
Vnd diß muß Maro leyden.

Pegaſus Othryſij porrectus acinace Turci,
Dicitur in bifido procubuiſſe jugo.
Iamq; non fatidicum movet exhalantia numen
Stagna, nec hinnitu Pheeidos antra replet.
Viſcera ſparſa jacent, divulſaq; ab oſſibus oſſa:
Et quâ debuerat *pelle* Poëta tegi;
Fortè Poetarum Momus veſtitur; & iſtum
Turpe rudens *Aſinus* corpore geſtat EQVUM.

Felix bellua Perſei lupatis,
Cujus Bellerophon volavit alis
Pœnas Threïcio dedit Tyranno
Stratus PEGASVS, inque mill fruſta
Conciſus vomet entheum liquorem?
Illum non utinam STUPOR comeſſet
Cui nomen proprium excidit Melampi
Qui nullum, *niſi ſcripſerit*, ſalutet.

Anathema.

Illum illum tigridis lactârunt vbera, qui te
Confodit centum Pegaſe vulneribus.
Ergo jaces, nullásq; fremens ſitientibus undas
Elicis, ætheriâ digne Caballe plagâ.
Exuviaſne tuas infamis Lictor habebit
Non potius *Thorax Virgilianus* erunt?
O ſcelus; hac Mopſus gradiens in pelle ſuperbit:
Vide, dicens, quod ſum ego mire Pœda felox.

SCAZON XL.

Lugete Vates. PEGASVM, decus veſtrum,
Agir bubulcus Ottomannicæ caulæ,
Sub Machomete fuſtibus trucidavit.
Triſte hinniebat Quadrupes, *Adhinnite.*
Ictus tremebat: *palpitare* nil poſthac
Fundet liquoris: *iam ſitite*. detractâ
In pelle ſeſe jactat ambulans STIPES!!
VAH! hoc Poetæ ſuſtinere vos probrum!

XXXLI.

Verè mendaces erant colles, & multitudo montium.

Jer. 3.

PARNASSVS ipſe evanuit,
Videntibus Pœtis:
Exaruere laureæ,
Stupentibus Pœtis.
Fugere ſerta Bacchica,
Gementibus Poëtis;
Striges tulerunt barbita,
Frementibus Poëtis:

41.

Das ſich Parnaſſ. nit ſehn mehr laſſt/
Wo iſt er hin gewichen
Die Lorberblätter von dem Aſt
Seynd ſauber abgeſtrichen.
Auff beeden Bihl/waiß nit wie vil/
Auß dörrte Kräntz verligen.
Kain Vogel ſingt/kein Saiten klingt/
Poëſis ligt in Zügen.

Quid mihi Parnaſſum toties cantaſtis Amici?
Ille tamen nunquam Collis in Orbe fuit.
Dixiſtis: certa, veniet Peneïa Daphne,
Velabitque tuas caſta puella comas.
Credidimus: ſed nulla fides. Peneïa Daphne
Nulla venit. Daphne Theſſala nulla venit.
Adde: quod & digitis citharæ parere recuſent:
Fila tremunt, ceu mors *unguibus* illa trahat.

PARNASSUS, DEUS OMNIUM DEORUM,
IN QUAS NESCIO SE MIGRARIT ORAS.
Ingens *cordolium* omnibus Pœtis,
Vili ſtraminis orbe laureatis.
DAPHNE, DESIIT ESSE VIRGO DAPHNE.
Sunt fractæ citharæque tibiæque,

Dic porrò, quid agent in Vrbe Vates?
Si rectè memini, *famem fricabunt.*
In qua Valle latet Mons, de quo PUBLIUS olim;
Pandite, cum dixit, *nunc Helicona Dea.*
Fugit, ut & LAURUS, coguntur tempora Vates
Glandibus (ô ſertum!) cingere Chaonijs,
Tam nullæ creſcunt hederæ ſub *Phocidos* antro:
Quàm nullæ Oetæo Caucaſeóque jugo.
Quodque egò deteſtor, motâ Teſtudine, triſtis
Clamor, & horrendæ Vocis imago redit.

SCAZON XLI.

Iuvate veſtra bella monſtra cantantem,
Muſæ juvate, Si fuit; fuit veſter
Biceps, tricepsne, centicepſne Parnaſſus?
Quid ſunt ſequaces ductileſque per rupem
Herbæ canoram? flore quis ſuos unquam
Virente crineis gratioſus incinxit?
Falſorne? an aurem dulce ludit Euterpe
VAH! plena nugis mentientibus plauſtra!

XLII.

Erubeſcetis ſuper Hortis, quos elegeratis.
Iſa. 1.

In teſqua verſus degener
HORTUS Novem Sororum
Daphnen fugârunt floridam
Lappæque carduique.
In quo frequenter anguipes
Serpebat herba clivo;
Vrtica creſcit noxia,
Et igne pejus urit,

42.

Der neun Muſarum Paradeyß/
Mit Roſen ziert vnd Lilgen;
Iſt geben jetzt den Diſtlen preiß/
Sawblumen alls außtilgen.
Ebhew wie Traub ligt da zerſtrewt/
Niemand thut ihm abwarten.

Die

Die Neſſel brännt ein an die Händt.
Pfuy dich/ du ſchöner Garten!
Sed neque jam primæ ſortis Topiaria cerno,
Aſpera nec Clariјs floribus arva fragrant.
Ante quidem thymbrá, lauróque, thyóque virebant:
Nunc tenet obſeſſos plurima *lappa* toros.
Serpylla, & faciles hederas in vincula duci,
Sæva trucidavit diripuitque manus.
Vrtica in thalamo dominatur adultera Floræ.
Non facile attrectetis Pieri, *urit enim.*
Qui quondam fuit Hortus, eſt *Eremus*
Portentum prius elegantiarum,
Nunc compendium inelegantiarum,
Ductis ſentibus impeditus horret.
Nec Bacchi coma, floridove myrtus
Laſcivas hederas amore nectit.
Lingua pullulat Herba *virulenta*:
O! ne tange malam: urit, urit, urit.
Dicite Caſtalides, quis veſtrum perdidit Hortum?
Quis caſiam, & coſtum, & cinnama vertit aper?
Omnem tam ſubitò laurum exedère *capellæ*.
Quid facit in prato *carduus* Aonio?
Quis colles ſertis nubentibus interdixit?
Vlmum cur refugit Vitis amare ſuam?
Scilicet Vrticæ ſtimulum averſata Thalia,
Vt mala me (Dij te) *Beſtia* mordet! ait.

SCAZON XLII.

Intremus HORTUM, quàm Favonij prono
Suâviantur oreﬂæta ſunt Tempe
Heliconis æther ridet, & lacris ningit
Roſíſque liliiſque, contubernales
Palmæ ſuſurrant; populique ſuſpenſæ
Fagique & alni, provocantibus flabris;
Fagos & alnos, populóſque ſolantur.
VAH! triſtis *Ironia* amara valdè. Vah!

XLIII.

Vbi ſunt Dij tui, quos feciſti tibi?

Jerem. 2.

Ah! *execratas* DELPHICVS
TRIPVS ſtat inter *ollas*.
APOLLO rurſus paſtor eſt,
Sedènsque tondet agnos.
Polluta Cyrrha texitur
Telis aranearum:
Victrix Arachana Palladi
Inſultat exſulanti.

43.

Der Delphiſch Dreyfuß auff dem Herd
Kocht Erbißmuß vnd Bonen.
Apollo wider d Schäffleſchert/
Muß bey den Hirten wohnen.
Das läere Hauß/durchauß vnd auß
Die Spinnweb vberzogen.
Trutz daß ſich jetzt Minerva ſetz/
Vnd ſey ihr vbel gwogen.

Delphicus ille Tripus, qui quondam oracula fudit,
Impoſitus flammis ruſtica piſa coquit.
Paſcit Apollo greges, notiſque Amphriſius arvis,
Lanificas emptâ forfice tondet oves.
Quid? quod in Aoniam penetrârit Aranea Cyrrham,
Venari Muſas *caſſibus* auſa ſuis.
Tela Minerva jacis? *telam* cave flava Minerva:
Figet enim telâ pectus Arachna tuum.

Delphorum Tripodem Faber profanus,
Et contemtor, *in ordinem redegit*.
Sub fago ſitit, eſuritque Apollo.
Nodoſo quoque ſcipione nixum,
Vidi paſcere Myrtili bidentes;
Arcaniſque cubilibus Minervæ
Oppandi laqueos, quot à trecentis
Annis nexuit impudens Arachna.

Quam

Quam verum optaſti Delphis tibi dicere, ſordes
In manibus crudi fictilis *Olla* coqui.
Si quæris, quid agat noſter crinitus Apollo:
Hoc tantum poſſum dicere, paſcit oves.
Interea *petulans* irrupit in Exſulis aulam,
Liminaque obſtructis clauſit Arachna plagis.
At tu excluſa fores fruſtra Tritonia pulſas.
Ceſſa: non aperit Lyda puella tibi.

SCAZON XLIII.

Mentitur autem *Rumor* in ſuum collum.
Adhuc futura pandit illa, quæ Delphis
Servatur OLLA, plena *myſtici fumi*,
Apollo dives nulla paſcit armenta:
Sed in reductâ valle barbiton pulſat.
Nec involuta Cyrrha retibus ſqualleт
Aranearum, ſed tapetibus fulget.
VAH! triſtis *Ironia* amara valdè. Vah!

XLIV.

Et ſiccabit venam ejus, & deſolabit fontem ejus.
Oſeæ. 13.

Fons CASTALIS, fons CASTALIS
Amiſit omne numen.
Limoſus hæret margini
Vulgaris inſtar undæ.
Nullius œſtrum Spiritus
Concuſſa ripa ſentit;
Pigroque marcens alveo
Aquas trahit profanas.

44.

O Caſtalis/du edler Safft
O edler Brunn auff Erden
Auß dem wir angefüllt mit Krafft
Halb Götter können werden.
Ey wie ſo ſtill/der wie ein Mühl
Zuvor biſt umbher geſtrudlet.
Wem wolſt ſein lieb/jetzt aller trüb/
Faul/müſſig/matt/und bſudlet.

Fons Aganippæus, ſancti *vindemia* Phœbi,
  In fæces olidas tranſijt, inque lutum.
Non illo magis alta palus Mœotica marcet,
  Quæque putres ranas tabida nutrit aqua.
Quid moveam Stagnum? nullâ tamen arte movetur.
  Non eſt in toto vivida gutta Dei.
Accubat in ripis, ut feſſus meſſor in agro,
  Et dormit ſomnum languida lympha ſuum.
    Fons, qui Pegaſidum replevit Vrnam,
    Quondam ſplendidior vitro trigono;
    Nunc eſt tubere tetrior paluſtri.
    O fons! Blanduſiæ ſupra nitorem,
    Quondam perſpicuúſque limpidúſque
    Nunc infra vada pigra ſtantis undæ,
    A fundo, vapidúſque luridúſque,
    O jam non Aqva viva, ſed *cadaver*.
Caſtaliæ lymphæ, quondam libamina Vatum,
  Mœrent, & nullo numine ripa *ſalit*.
Vidi ego, cum nuper Fontem ſpatiarer ad illum,
  Horrida quàm turpi ſqualleat unda ſitu.
Non caluit gurges, nunquam ſurrexit arena,
  Non fluctus bullis intumuere novis.
* *Nec Lethen magis eſſe ſoporiferam puto verſum heu!*
  Scribere carmen vix, cogito quando de eo.

SCAZON. XLIV.

Pimplæus humor, humor ille Pimplæus,
Mutare mentem mollis Vnda, quam lambunt
Avidi Poetæ; funditus profanata
Latet ſubulva, nilque diſtat à vappa;
Nec concitatis fons inæſtuat ſpumis.
Quanquam inde ſumas mille congios, ſemper
Pumex manebis, ſiccus, aridus pumex.
VAH! Hippocrenen Gurgitis Caballini.

XLV.

Et obſurdeſcent omnes Filiæ Carminis.
Eccleſ. 12.

Sic, unde Divûm munere
  Soli bibêre VATES;

Bœotus

Bætum inde turbidam
Quivis *Camelus* haurit:
Sitim levant & *Arcades*
Lyram ſubinde *pulſant*
Hinc *ſpaſmus* ille verſuum,
Strumaq; peſſimorum.

43.

Mich dürſt nit mehr/ trinck wer da mag/
Dein VVaſſer macht eins Grimmen.
Ja gar am hellen liechten Tag/
Thun die Camel drinn ſchwimmen.
Es trincket dich das laidig Vieh/
VVer wolts ihm doch verzeyhen?
Diß ſchafft der Stimm/ macht d Verß ſo ſchlimm/
Daß einer möcht drein ſpeyen.

Dum *furor* hoc olim cœleſtis in amne natabat;
Hinc, donec vomeret; quiſque Poeta bibit.
Aſt ubi turbatus liquor eſt potante camelo,
Intactam præfert quiſque Poëta ſitim.
Illo fonte bibam? quem longis auribus haurit
Sileni ſonipes, Alpheſibæus ὄνος.
Iam non miror ego paſſim tot carmina vendi,
Incuſſo colapho quæ mereantur emi.
Iſti proſtituam meos calores
Naturámque Poeticam lacunæ?
Si quaſcunque feras lavet lavantur.
Sed quæ carmina? *carminanda*: quæque
Peius dicta ſonent, in obſoletæ
Nodis ilicis *hirriente ſerrâ*.
O! Si Vatibus his cacuminatis,
Muſæ pro ſtrophio darent *echinum*.

Indignatio.

*D*enique quis, dixi, bibat hanc ſine nomine vappam!
Quanquam olim (memini) ſæpiùs inde bibi.
Sic ego: cùm turpis vervex, & craſſus & ingens
Haurit eam Gibbo ſtante Camelus aquam.
Accurrunt Aſini *bipedes*, & amica luto ſus.
Inque palude canunt; ô glaciale chaos?
O verè deformis hyems! ô flabra triſonum!
O nequam verſus! &c.

SCAZON XLV.

Quiſquámne ſanæ mentis, inſtet haurire
Sudans & algens, tam putrem vadi limum?
Deóque caſſas è paludibus fæces
Libet, camelis commoventibus Lympham?
Aurita quin & acris ingeni mula,
Conſtanter inquinata proluit labra.
Mox *ſtans in uno*, mille *proiicit* verſus.
VAH! quas polentas, quæ venena fungorum!

XLVI.

Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum.
Pſal. 11.

Obmutuere TVLLII.
Obmutuere Craſſi:
Hortenſii, Salluſtii,
Altùm ſilent in Vrna.
Famoſa ROSTRA Rhetorum
Peſſum dedêre Gotthi;
Vertunt in uſus priſtinos
Recepta fruſta *Nautæ*.

46.

O Cicero, wo iſt dein Mundt?
Craſſe, wo iſt dein Zungen:
Die wünſcht ich/ wann ichs haben kundt:
Nun hats euch ſelbſt mißlungen.
Es habens zwar auch d'Roſtra gar:
Wer wolt mehr auff ſie ſteigen:
Die Schiff am Port fahren mit fort/
Vnd zaigen euch die Feigen.

Tullius eloquii pelagus diffuſius olim,
Siccior eſt topho pumicibúſque cavis.
Siccus es Hortenſi, Salluſti, Craſſe; nec ulli
Ex cinere jam facto gutture verba fluunt.
Quanta quies Romæ! Venti *poſuere* Forenſes.
Nulla in facundo gurgite Cauſſa natat.
Quæ vetus in fluctu populari Rhetor agebat,
Merſa nigris Thules ROSTRA ſeruntur aquis.

Phi-

Philippica.

Non craſſum queror aut periſſe Criſpum,
Te te lugeo flende, MARCE TVLLI,
Sicâ Popilii peremte ſerui,
Non tantùm tua *Villa Tuſculana*
Antiquo Domino caret: ſed ipſa,
Quæ te Roſtra tulere perſonantem,
Poſtquam & murmura *Fulvia* tulerunt,
Piratæ rapuere ſanniones.
O! fortunatam natam me Conſule Romam!
Hoc olim: ſeq *nunc* Marce diſerte taces.
Sunt muti cineres, quos urnâ Hortenſius efflat,
ET IAM DE CRISPO SCRIBITUR HISTORIA.
Heu pudor! in Latiis ſaltavit *Simia* Roſtris,
Vrſa peroravit, Vandalicúſque *Catus*,
Illane ſunt igitur famoſæ fruſta triremis:
Cæſa manu toties Rhetoris icta pede:

SCAZON XLVI.

Prodigia.

Facundus oris & diſertus Arpinas,
Tacet reſectus colla, mutus ut piſcis.
Salluſtiana fama cum Iugurthino
Sopita bello, conquieſcit in caſtris.
Quæ Legulejus Roſtra preſſit Orator,
Piſcator avexiſſe fertur *Hollandus*;
Fruſtis carinas navium reſecturus.
VAH! fortè Roſtra remigans *capit ſalpas*.

SCENA.

Poëta, Scazon.

SCazon: *protervè Roſtra fingis abrepta remo manuq; Martia Batavorum, Nam quando Tybris viderit peregrinam claſſem ſecantum liquidam viam Germanorum per æquor? quo ſinu maris clauſi in ſe reducto, nobilem Cathedrarum texêre prædam? cujus Inſulæ fundo primum intulere? Nauta*

quis

qui vocabatur? SCAZON. *Divino tantùm.*
Roſtra ſi quidem ſævo convulſa ferro, rurſus è foro tracta ſubiere pontum: fruſtra certius certo; veniſſe doctos auguramur ad Belgas. Nam quæ ſub aſtris comparetur huic genti, virtute, dignitate, legibus, bello, ſcientiaq; gloriaq; navali? Spatioſa veris terga Nerei roſtris proſcindit, exercetq; ſubditos campos. Inſternit Altum molibus, natanteſq; animoſa lato vectat alveo ſilvas. Ipſum videtur expuliſſe Neptunum hereditate Patris, & ſuo regno. Mediis in undis nuptias Napæarum piſcatur. Omnis Nympha cum choro Phorci pendit tributum, cæruliq; Tritones famulare junctis offerunt tubis cornu. Quà Phœbus ignes condit, & coruſcantem mergit quadrigam: quà renaſcitur ſomnum excuſſus, Auroraq; lachrymas ſiccat; Mare Belga frænat & capeſſit Hollandus. Hic ſi quis ullus abſtulitq; fregitq; florentis Eloquentiæ ſacram ſedem. POE. *Ah! illa Roſtra: quæ ſonora verborum torrente pleno lacteoq; inundarunt, Vbi forenſis Tulliana majeſtas, gravitas Catonis copiaq; Gracchorum, & Læliorum, Cæſarumq; regnârunt.* SCA. *Fortaſſis Abderitæ natus in Mydæ optantis aure; patriaq; vervecum; exaſciata, dedolata fragmenta, in antra vertit frigidaſue ciſternas.* POE. *Acumen iſtud craſſioris eſt naſi. Refer hoc Amyclis, & labella compeſce.*

XLVII.

Multi ceciderunt in ore gladii, ſed non ſic, quaſi qui perierunt per linguas ſuas.

Eccli. 28.

Fabri diſertum filium,
FABRVM *Philippicarum.*

An-

Angina pridem ſeria,
Non ficta ſtrangulavit.
Hic est, hic est Demosthenes?
Ancilla monſtrat olim :
Sed jam licebit quærere;
Vbi ergo sunt Athenæ!

47.

Demoſthenem ſehr wol beredt
Den Griecheren verpflichtet /
Den hat zu letzt in ſeim Todtbeth
Das Halßwehe hingerichtet.
Jetzt ſchweigt er ſtill/vnd ſagt nit vil:
Zuvor hats ghaiſſen/Der iſts/
Das iſt der Mann/der reden kan.
Jetzt fragen alle / Wer iſts?

Atticos Orator, princeps incude relictâ
Factus, & indocti gloria docta Fabri:
Tutius ò quantò tractaſſet forcipe *ferrum*,
Quàm quòd Agens cauſſas AVREA verba *dedit*.
Mentiri nocuit. periit miſer : idque *Figuris*
Omnibus atque *Tropis* Parca Pelaſga probat,
Quid prodeſt digito Ostendi? quod garrula quondam
Fecit ad undantes *Hydria* fontis aquas.
Facundiſſime Cecropis Nepotum :
Qui tot crimina triſtium Reorum;
Vt fert patria terra, palliatus,
Verbis conſiliiſque *palliâſti* :
Exſul denique nudus interiſti.
Et tunc nulla puella dixit : Hic eſt,
Quem monſtrò tibi RHETOR. αὐτὸς ἐυτε-
ψελλίζει : *bene dicit iſte Balbus*.
Forſan adhuc magni ſtupeas Demoſthenis artem,
Qui linguam ad *cotem* Blæſulus exacuit;
Argentanginâ, morbo peiore, peremtus.
Finis in exſilio Rhetoris iſte fuit.
Fruſtra *Ancilla* manu protentâ perſtrepit; Hic EST,
Hic terror, Macedûm Magne Philippe, tuus.
Monſtraret Tumulum ſaltem, librámque vel unam
Pulveris, aut dentem, qui *genuinus* erat.

SCAZON XLVII.

Paroxyſmus.

DEMOSTHENES orare juſſus, ὦ ἄνδρες
(Namque hoc crepabat millies) Ἀθηναῖοι
Inter-- repentè faucibus ſtetit-- tractis;
Retróque lapſus, εἶπα dixit extremum.
Laudatus antè, cùm ſuum σοφῶς bellè
Audiſſet; olli cor movebat, ut tauri
Profecta; palmo ſeſqui pectus extabat.
VAH! blæſe, famâ ſic puelle lactari.

XLVIII.

Verba ſunt plurima, multamq́ʒ in diſputando habentia vanitatem. Eccleſ. 6.

Zeno, Thales Mileſius,
Solon, Bias, Cleanthes;
Barbâ SOPHI ſpectabiles
Inſtar trucis Cometæ:
Poſtquam canora pulpita
Stravere diſputando:
Tandem catarrhis obruti
Tuſſire deſierunt.

48.

Man lobt auß den Philoſophis
Zenonem vnd Cleanthen:
Lang Hangebärt / gut dürmiſch Gfriſs/
VVie andere Aſtanten.
Da mehr als gnug/ſpitzſindig / klug/
Geſchryen diſe Kunden;
Hats der Todt grad/im diſputat
Erwiſcht / vnd vberwunden.

Ad ſectas venio *bacchantes* more Cleanthæ,
Et Chryſippææ nomina nota Scholæ.

Bar-

Barbati Proceres, quibus HIRCVS ab ore pependit,
Mixta decuſſatis *Lana caprina* pilis.
Voluebant grandes Nugas de Corpore Quanto,
De Mundi cunis, de Genitrice Maris.
Dum clamant, agitántque manus, rumpuntq; columnas,
Ilia ruperunt; Stamina Parcæ. *jacent*.

Sophiſma.

Quis nunc excutiat ſcholas Sophorum?
(V G. rancidi BIANTIS,
Qui ſecum ſua ſemper obſoleto
In dorſi cophino tulit) ſuperſunt?
Mors rixantibus intulit Sophiſma.
Aut vis, dixerat, *aut, amice, non vis*.
Sed non vis: (comes ire Mortis) ERGO
Vis. Si vis: (comes ire IVADE MECVM.

Deliciæ.

Huc coliphia peſſima carminum, Ad anteiquum æv
Tendimus? horrendos imus enim ádque Sophos.
Quorum atro mento barbas (mirabile dictu)
Naturæ manus inſcripſerat in folio.
Ructabant Verum: nunquam non ore ſpuebant
Docti aliquid; gnari & dinumerare atomos.
Sed quo verſibus his miſerabilibus crucianda
Monſtra hæc venerunt denique? mortua ſunt.

SCAZON XLVIII.

Favete linguis. Manibus parentamus
ZENONIS, & *Zenoniani* ARISTIPPI.
Ollis ſcatebat ſub veterrimo mento
In utramque partem diſputanda barbai
THESIS, *S*onabat ore tuſſis hirſuto.
Conchyliata diluere *gutturem* ſputa.
Sed dum ore, naſo, diſputantque ſputantque;
VAH! mors ſalivam, quæ fluebat, abſterſit.

SCENA.

Poëta, Scazon.

R*Vbiginoſe ſerve, loripes Scazon, quæ verba promis ? gutturi meo* guttur *ſapit.* Scazon. *Meoq;* gutturem. *Gulam Plauti peteſcit illecebra. Peluetuſta delectant ramenta multos gnaritatis anteiquæ.* Poe. *Audire malim ſtupea ſonum linguæ.* Sca. *Non ipſa Aëdon blanda Thraciæ pellex, devirginatam ſe gemens, mihi môſſit tam muſtulentè vinulam voluptatem.* Poe. *Horreſco: ceſſa.* Sca. *Támne ſqualis Evander tibi videtur, Ennius q; contagu ſpurcificus, ut quæ metra detenebravit, decoriterque raſa concelebreſcunt, ceu ſpectra volcanoſa durus inciles* Poe. *Quid dicis ?* Sca. *Obtuteſco ſpectiles verſus Turpilianos, Vnimammiis ſcriptos.* Poe *Quid dicis?* Sca. *Ille cum ſipabat in terra ſub ſiliceto; vel ſedebat in ſolla; dulce malaciſſans vanitudinis carmen expectorabat: ore dein columnato iterum ſilebat; tam quietus, ut ſtrigor obnoxioſus occupaſſe ſirpatum Vatem tremore crederetur incuſſo. donec receſſet languor ille divinus. Ad ſe reverſus cernuabat.* Poe. *Occidis: Abſiſte Scazon.* Sca. *Ex Lucretio ſperſos ſicilio flores, optumeq; oleſcenteis, ephebitati plectiles coronandæ.* Poe. *Silices loquendo projicis ſpuis ſaxa. Iam nunc ſeverè comminatus edico omitte priſcis inquinare me verbis, rotunda, plana, clara, terſa conquire.*

XLIX.

Nos inſenſati erravimus à via veritatis.

Sap. 5.

In qua vetus computruit
Antiſthenes caverna ?

Quo Morio Democritus
Defecit in cachinno?
Silvæque TRVNCVS Stoicæ,
CANISQVE *Palliatus*?
Verſare ſuetus DOLIVM,
Vt Sol ſuam quadrigam.

49.

Wann hat Antiſthenes der Alt
Sein Grab anfangen machen:
Democritus den Delpel zalt/
Vnd auffgehört zulachen?
Ein doller Hund/auff ſeinem grund
Diogenes vor zeiten/
Iſt jetzund gſtreckt/im Faß verreckt?
Das Aaß die Rappen reiten.

Augia.

Ipſe Crates *Antiſ*que*thenes* ſub Ceſpite fætent;
Iſte ſuæ vitæ prodigus, alter opum.
Tandem Democriti *laſſatus pulmo* reſedit;
Cui totum & tantùm Vivere *riſus* erat.
Teſtæ habitatorem Cynicum *porrigine* plenum,
Diogenem occidit *ſeſquicanina* fames.
Mirandum eſt, quali STVPOR hic regnârit in aulâ:
Sole movente ſuam, movit & ipſe ſuam.
Non omneis cinerum movebo foſſas.
Inquiram tamen, an *profundus* Orbis
Riſor Democritus, ſit inſepultus.
Fertur tantum habuiſſe ſplenis unus,
Quantum mille homines, in officinâ
Nutriti modiis facetiarum.
Sed quid Diogenes agit Moloſſus?
Quod præſepe vorat? quid Vmbra latrat?

Bellaria.

ic age deinceps Muſa mea, exhululans mihi dic: quó
Venit præceptor rabula Diogenis?
t qui perpetuò ridens ſurſum atque deorſum
Mundum irridebat riſibus aſſiduis.
t qui macrâ præ ariditate friabilis, omneis
Rictu allatrabat dolio in exiguo.

Nonne

Nonne ſuo in ſtabulo periit cum ſtraminibuſque ?
Quonam alio húncce *Canem* carmine namq; canam?

SCENA.

SCAZON, Poëta.

SCazon, probaſne Diſticha iſta laſciva, & nequiter projecta. SCAZON *Nequius quidquam excogitare poſſit ulla Medea! aut duriúſue triſtiúſue, quàm verſus, quos ludit iſta (pænè dixerim macha) Sed feminarum quis reconditos ſenſus exploret augur, indolemque deſcribat? quidquid libido ſuaſerit, procax audet impune ſexus, ridet, inque neglectu nomen decúſque quærit, & petit plauſum.* POE. *Omitte ringi. Nunc opus lacertoſis, Scazon, lacertis, ſarculum ſolo merge. Everte marris & ligonibus ſacra illuſtrium ſepulcra Stoicidarum.* SCA. Induſtriorem *non habebis.* POE. *Ad furcas, cruces, triremes, ínque peſſimam peſtem, cum tam vetuſto, mucido, ſcabro verbo. Me téque juxta fabulam dabis Muſis,* Deſiſte *tandem. Symmachi tui rident* induſtriorem. SCA. *Iuppiter feri ſaxo ſi non monenti paream. Iubes terram eviſcerari mortualium? Factum puta. Sophorum lineas veternoſas, & obſoletos heic vides Caprimulgos.*

POETA. *Argute Scazon, Oedipum tuæ mentis immitto Sphyngi litteraria noctis. Scrutare Calvas, uncialium tectos ſenſus notarum Mortis augur indaga.* Interpretare, *quos legis, characteres.* SCA. *Quando remordet iſta funebris cura, extemporalis factus ecce ſum Mantes,*

EPITA-

EPITAPHIA.

H. P. E. A. S. C.
N. V. F. ***** F. **
*** H. P. E. ** D. ***
****** T. P. ******
***** Æ. S. C. ****
** H. S. S. T. **
* F. ** H. S. Q.
* C. A. **** C. *****
C. O. E. O. ****

SCAZON XLIX.

HEIC. POSTUS, EST. ANTISTHENES. SOPHUS.
CLAUDE.
NARES. VIATOR. FÆTET. * FÆTET.

HEIC. POSTUS. EST. DEMOCRITUS. * TOTUS.
PULMO. * ÆGER. SPIRITUM. CACHINNAVIT.

HOC. STOICORUM. STIPES * TRUNCORUM.
* FIMETO. * HOMO. SECUNDUM. QUID.
* CITER. AUTEM. ** CANIS. *
COLORE. ODORE. ET. ORE. **

Ubi

L.

Vbi nunc ſunt ſapientes tui?
Iſai. 19.

Dic: quo cubet ſub ceſpite
Silentii Magiſter?
Nunquam ſatis leguminum;
Nil auſus *eſſe* pulpæ.
Quæ ſeminudi Socratis
Spelunca condit oſſa?
Vbi uxor ejus putida
Capútque trunca---*tippe*:

50.

Sag mir: wo dann Pythagoras
Im Y blib ſtecken:
Der ihm nie gnug der Linſen aß/
Kain Fleiſch hat dörffen ſchmecken.
Wer iſt/der wiß/deß Socratis
Verlegte Bain vnd Rippe:
Wo iſt zumahl ſein Ehegemahl
Die feine Fraw Xanthippe?

Sed neque PYTHAGORAM violento mortis ab ictu,
LITTERA defendit PYTHAHORÆA ſuum.
Qui parcè cænavit, olus, lentéque comedit
Lentem, quippe memor: NE QVID in ore NIMIS.
Te quoque Calue Senex *Sapienſque* vocate, cicuta
Suſtulit, & nemo SOCRATIS oſſa tulit
XANTHIPPE periit, placidi Iovis improba Iuno,
E ſcaphii toties vindice nube pluens.

Quid piſcis Samius ſilet: quid ore
Clauſo Pythagoras facit, *ſtupendus*
Verborum Euclio: diis famem malignis
Vovit, ſuſtinuítque contumacem.
Arſurus Siculo priùs juvenco,
Quàm cocti bovis ore polluendus,
Pol! quid Socratis Vxor, aurearum
Xanthippe facit Αλφα feminarum:

Qua-

Digitized by Google

* Qualiter eſt moriens quoque mortuus in ſabuleto,
Qui vivens vixit, nomine Pythagoras.
Hic nunquam (ſic me dii ament) olera atque legumina
Ad ſatiem audebat dejicere in ſtomachum.
Non minus exſtinctus pater ingens Socraticorum eſt:
Quanquam hilaris Stygias ivit & ad tenebras.
Viderit autem Hecate, Conjux ubi ſit Xanthippe:
Quæ quia erat mala tam eſt digna quoque hiſque Metris,*

EPITAPHIVM, ET CENOTAPHIA.

H.	E.	S.	Q.	P.
G.	L.	P.	S.	V.
V.	V.	O.	E.	S.
I.	P.	F.	R.	Q.
*****	S.	S.	*****	C.
G.	V.	******	S.	****
*****	H.	F.	E.	****
*********	F.	S.	*****	
H.	D.	D.	D.	*****
********	X.	P.	******	

Scazon L.

HEIC. EST. SEPVLTVS. QVI. PIACVLVM. GRANDE.
LOQVI. PVTAVIT. SI. VEL. VNICVM. VERBVM.
ORE. EXCIDEBAT. SOMNIANTIS. IN. POENAM.
FABAS. REMOVIT. QVATTVOR.* SEPTEM.
SOLITVS. COMESSE. GASTRIMARGVS. VT.*
HEIC. FERTVR. ESSE. FILIVS. SOPHRONISCI.
HEIC. DIRA.* DEIRA; DIRA. XANTHIPPE.
*PROTERVA.**

Plurima deſunt.

LI.

Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.
Ad Rom. 1.

Dic: quid Platonis manſerit
De MAXIMO PLATONE?
Quàm *Gallus implumis, bipes?*
(Cur non & ocreatus?)
VAH! VAH! HOMO PLATONICUS!
Cœnandus in *culina.*
Gulæ futurus gratior,
Quàm ferculum Thyeſtæ.

51.

Plato, Plato im hohen Thon
Die Weißheit hat angſtimmet:
Aber ſein Definition,
Das Menſchlich Gſchlecht nit zimmet.
Weil Plato dann ein Gockelhan/
Zu ſeinem Spott vnd Schaden/
So ſey er drauff zum Koch hinauff/
Ins Kuchelſtüblein gladen.

Oeſtrum.

Eloquar hoc etiam, licet indignentur Athenæ:
Divinus periit, diſperiitque, PLATO.
Prô cæli terræque pudor! Sophus omnia novit.
Cur igitur neſcis, mi Sophe, quid ſit Homo?
Eſt, inquit, *animal* generoſum, *implume, bipeſque*,
Sic ſcio, quid gallus; non ſcio quid ſit HOMO.
Aut certè hunc hominem fas eſt apponere menſis:
Nec tamen averſos ſol revocabit equos.
Nunc intrabo Sacrarium, quod olim
Sparſo ture colunt Athenienſes.
Salve MAGNE PLATO, Magiſter Orbis.
Dic: quid eſt Homo? GALLUS ABSQUE PLUMIS.
Toto pectore rideamus omnes.
Salve MAGNE PLATO, Magiſter Orbis,

Dic:

Dic: quid eſt Homo? *gallus abſque plumis.*
TOTO CORPORE PRANDEAMVS OMNES.
Comere Muſa comas iterum fuligine terſâ
Pulcrior. Ecce Plato nunc adeundus erit.
Quæramus tumulos: certum eſt latitare ſub uno
Illum, qui NATVM ſcit reperire BONI:
Gallinæque Virum nudatum vertice criſtas
Exæquans Homini, perdidit OMNE GENVS.
Siccine definis Hominem Sophe Magne? Platones
Innumeros tales Atreus ipſe vorem.

CENOTAPHIVM.

H. F. E. M. P. S.
I. **** V. ****. L. ***
S. ****** B. ***** M.
C. P. S. M. V. ***
*** L. P. A. ****

Scazon II.

Augurium.

HEIC. FERTVR. ESSE MAXVMVS. PLATO. SITVS;
IMPLVMIS. ** VIRILITER. LVMBOS.
SVCCINCTVS. ** BIPES. ** MANÈ.
CANTV. PERACTO. SI. MOMORDIT. VXOREM.
* LÆTVS. PRÆLIATOR. ARGVTVS.
***

Iejune Lector, quid Platona derides?
Aſſatus eſt Homo iſte: calcea dentes.

LII.

Quid eſt neceſſe homini majora ſe quærere.
Eccleſ.7.

Natum Stagiræ, gurgite
Euripus hauſit alto.
Tunc paſſus AR—LES *ſyncopen.*
Vitaque Nominiſque,
Muſcas cadenteis tutiùs
Fixiſſet otioſus;
Quam quod maris reciproci
Eventilârit æſtum.

52.

Der groß vnd weiſe Stagirit
Iſt in dem Meer erſoffen.
Sein hohe Kunſt die ſchilt ich nit:
Hat aber eins nit troffen.
Wärer darfür hinder der Thür
Gar in ein Bernhaut gſchloſſen;
Als daß er gfragt/vnd ſich ſo plagt/
Warumb das Meer abgloſſen.

Pauper Ariſtoteles, quo non eſt *ditius* ullum
Ingenium, mediis naufragus hæſit aquis.
Fluctibus Oceani refluì lunaribus hauſtum,
Altera Lethæi torſit arena vadi.
Quid miſer æquorei tentat ſecreta profundi?
Dilectæ ſatiùs penſa tuliſſet Heræ:
Quàm quòd in Euripo Maris indagaverit æſtum.
Ille fit à *luna* percutiente caput.
Quicunque es, Palinure Nauta, ſiſte.
Hoc portu ſitus eſt *S*ophus Sophorum.
*S*crutantem vada cæca curioſè,
*S*ubmerſit Maris æſtus; éſtque paſſus
Omnes *tres Capitis*, periculoſo
Hoc in gurgite, *Diminutiones.*
Vnde ARISTOTELES priùs, modò *Arles:*
Paſſim ſcribitur. HEIC CINIS QVIESCIT.

Quæro

Quæro Stagiritam. fruſtra. Submerſus in alto
Dicitur infelix occubuiſſe mari.
Quà patuit, totum complexus pectore Mundum,
Debuit in Mundi parte perire ſui.
Nunquid non poterat *culices* mactare *retundos*,
Aut membra interea ſternere ſub platano?
Tutius hoc, quàm quo refluum mare Cynthia *cornu*
Arietet, erecto ſcire ſupercilio.

CENOTAPHIVM.

H.	F.	E.	N.	S.
S.	I.	N.	I.	E.
C.	T.	D.	F.	R.
Q.	S.	A.	I.	F.
C.	T.	S.	******	S.

SCAZON LII.

HEIC. FERTVR. ESSE. NOBILIS. STAGIRITA.
SEPVLTVS INTER. NAVFRAGOS. IN. EVRIPO.
CVIVS. TIMENDA. DE. FVGA. REVERTENTIS.
QVOD. SIDVS. AVRIGARET. IMPROBOS. FLVCTVS.
COGNOSSE. TARDVS. SE. ** SVBMERSIT.

Atqui ſedenti profuiſſet, in cella
Vultus manúſve defricare verrucas.
VAH! texuiſſet vincla ſyllogiſmorum.

LIII.

Non enim erit memoria ſapientis, ſimiliter ut ſtulti in perpetuum. Et *futura tempora oblivione cuncta pariter operient. Moritur doctus ſimiliter ut indoctus.* Eccleſ. 2.

Nunc cogitur quieſcere
Argutus *Ambulator*:

Longæque *Seſſor* Porticus
Nolens Volens *jacere.*
Labuntur altæ tegulæ,
Et impluit Lycæis:
Nil præter atras noctuas
Stoæ caverna nutrit.

53.

Jetzt ruhe einmal du ſchöner Kopff/
Kanſt nimmer müder werden:
Der ewig geſſen vnderm Schopff/
Ligt lang zwerchs auff der Erden.
Ihr Critici, vnd Stoici,
Wo wöllt ihr fürau ſitzen?
Das alte Neſt/wo ihr ſeyt gweſt/
Die Eulen jetzt beſchmitzen.
Sic, quia non aliter fas eſt, à morte quieſcit,
Invitus non *mors*, ſed dolet alta *quies*.
SESSORES ſuper ipſa ſuos, quàm longa recumbit
Porticus, immani pondere lapſa premit.
Aſpicio lachrymans deſtructa lycæa. ſub udo
Impluvio, glacie ſeptima bruma riget.
Vnica culminibus laceris quæ *noctua* manſit,
Aëra jam pennâ liberiore ſecat.
Iam nullum videas Sophum ſedere,
Niti, currere, ſtare. nempe *Parcis*
Viſum eſt, eſſe quietiùs, *iacere*.
Zenones, Senecáſque Cordubenſes
Involuit ſuâ nunc *abolla*, FATVM:
FATVM, quod toties in ore, FATVM,
Ædes procubuere. Noctis ales
Inceſſat vagà Stoicas cathedras.
Exin docta vacant ſacraria. Non niſi mulas
Plurimas hàc petaſo nullo tectus agit.
Porticus excluſis Seſſoribus altera nutat,
Altera cum *Truncis* veſtibulóque ruit.
Atria triſtis hyems Academica ſubruit imbri.
Templa tegunt decimæ Palladis alta nives.
In qua certavit SAPIENTIA mitibus armis,
Nunc eſt bubonum facta palæſtra ſpecus.

SCA-

Digitized by Google

SCAZON LIII.

Quid de lycæis Ambulantium longis
Academicorum, pulpitóque clamoſo;
Quid de proſeuchis, exedriſque famoſis,
Haráque docta, déque Terminis Artis;
Quàm vile *Blictri* manſit atque *Scindapſis*?
Verba abſque ſenſu, nucleo nuces caſſæ.
Vbi noctuarum Diva ſola regnabat;
VAH! noctuarum ſola natio regnat.

LIV.

Vbi eſt litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi Doctor parvulorum? Iſai. 33.

AD TEXTVM.

Sequentur iſtos cæteri:
Sunt plurimi ſecuti.
IVSTINIANVS. BARTHOLVS
BALDVSQVE *l. Debet.*
Et l. Vaſa collige.
¶ *citoris.*
SEV REPLICENT, SEV TRIPLICENT.
COGVNTVR AD TRIBVNAL.

54.

Druckt dapffer drauff/ die habens gar/
Wir muſſen all nach ſpringen:
Juriſten in der Todtenpar
Auch dieſes Liedlein ſingen.
Seyt ſtill Balde vnd Barthole,
Macht nit vil Gſchwätz vnd weſen/
Iſt doch vmbſunſt all ewer Gſpunſt:
Dann Parca kan auch leſen.
HOC HABET, exclamas, tandem deleta Vetuſtas!
Hoc quoque *tu*, clamat, tectus *habebis* humo.

BAR-

BARTHOLVS ET BALDVS,conſulti numina Iuris,
Funereo preſſi marmore,nunquid habent?
Vade:ſedet Prætor.Sed ZASIVS excipit unctus.
Excipiat dicto vade vadate die.
Aperimente (nota Verbum) Perimende citaris.
Noſti,quid *Strictum Ius* velit enſe ſibi.
Omnes,quos gravis occupavit Hora,
Vel muti tamen inſonant: SEQVERIS.
EXPERTIS HABEAS FIDEM ROBERTIS.
Clamant Cauſidici duo forenſes,
Baldus,Bartholus,& MORI,*eſſe juris*
Naturalis,& inſiti cuique,
Scriptis ex *Titulis* probant ſepulcri.
Quod Ius non abolet *Novella*,firmat.

Monimentum.

Poſteritas:ſic te Manes affantur in urna.
QVIDQVID ES, HOC FVIMVS; QVOD SVMVS,
ILLVD ERIS.
BARTHOLVS ET BALDVS, BALDVSQVE ET BAR-
THOLVS (iſtos
Miſce,utcunque voles) jam ſubiere Scrobem.
Ius ſanis prodeſt. moriturum nulla tuentur.
Fata vocant: *naſo ducere Fata nequis.*
Ah ! valdè modicè ſtuduiſti in Codice Iuris:
Si neſcis,quòd Lex prima ſit iſta, MORI.

SCAZON LIV.

Titulus.

Ità eſt. ſequemur. Poſteros præiverunt
IVSTINIANVS, VLPIANVS,& BALDVS
Profundus *Vrinator* æquoris Legum.
Fuere.ne ſe nobilis crepet Doctor
Titulóſque jactet.namque ſive I.V.D.ſcribat,
Seu V. I. D. DVIve, vel D. I. V. diu nemo
Evaſit ictum. túne primus evades?
VAH! funerales neſcit iſte Pandectas.

Digitized by Google

LV.

Fruſtra multiplicas medicamina. Sanitas non erit tibi. Ierem. 46.

Hippocratem, qui *Virgula*
Morbos abegit albâ.
Tabum vomentem denique
Deluſit ars medendi.
Tectus *cupreſſu* lugubri
Componitur Machaon:
Galenus HERBAM PORRIGIT,
Et dicit: *Hac feſellit.*

55.

Hippocrates hat abgebawt/
Wird jetzt mit Füſſen tretten.
Kein Aphoriſmus oder Kraut/
Kundt ihn vom Todt erretten.
Machaon ligt/iſt längſt verſtickt/
Jetzt nur ein bloſſer Schatten/
Galen iſt hin/ſein Medicin
Hilfft ihn zur Erden bſtatten.

Cur non Hippocratis Coi monumenta revolvis?
Quem Rex Perſarum credidit eſſe Deum.
O numen ! cujus nunc eſt *veſpillo* ſacerdos,
Sarcophagus Templum, Tus *humus*, Ara *cinis.*
Quis potuit medicas numerare Machaonis artes?
Nulla tamen ſummam depulit herba malum.
Fatali lecto defixus membra Galenus,
Ingemuit mœſtis flebilis uſque modis.
Qui *radicitus* eſt in arte DOCTOR,
Is radicitus interiſſe dicat
Omnes Hippocrates Machaonáſque.
Hauſto Mandragoræ ſatur veneno,
Guſtavit cerebrum Cati Galenus,
Mox præceps datus è ſuo cerebro.
Exeſto Medicina. quando nullum
E tot millibus ulla juvit herba.
Si quiſquam inſtantis vim Leti evadere poſſet;
Hic foret Hippocrates unicus unus homo.

Num potuit? non ſi Mundi totius in herbas
   Natum vertiſſes arte, Epidaure, tuâ.
Tentârunt eadem Podalyrius atque Machaon,
   Quíque dat ex Medico fonte Galenus opes.
Mors tamen hos omnes irriſit *dentibus albis*:
   Quæ cum tela manu vibrat, ait: RECIPE,

SCAZON LV.

Ad pharmacorum *pyxides* ſenem Coum,
Quáquam TYRANNVM MORTIS, ultimo morbo
Nec Gentiana, nec papaver admorſum,
Nec caſtus Agnus, nec malagma ſanavit.
Fatis Machaon obſequi reluctatus,
Parere tandem debuit, vel invitus.
Et Pergamenum calda Febris exhauſit.
VAH! qui mederis ulcus & tuum cura.

LVI.

Quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit?
Sapient. 9,

Cœlum SENIS *cryſtallinum*
   Caius, puérque fregit?
Iniqua cura ſiderum
   Oppreſſit Archimedem.
Copernici deliria
   Sunt involucra gypſi.
Quid hoc? *tacet* COPERNICVS,
   Tellus *ſtat*, aſtra *currunt*.

56.

Der Syracuſiſch Himmel ſteht/
   Zerbrochen ſernd Coluren.
Jetzt macht der gwaltig Archimed
   In ſeinem Staub Figuren.
Die Erden ſteht/ vnd nit vmbgeht/
   Wie recht die Glehrten meinen.
Ein jeder iſt ſeins Wurmbs vergwiſt/
   Copernicus deß ſeinen.
Fortè *Mathematico* datur indulgentia vitæ,
   Aſtra Syracoſio qui dedit ire Polo.

Occa-

Occubuit cum ſideribus, quæ plurima vitro
 Fixit, & exhibuit de nive nata ſilex.
Quid ſcripſiſſe juvat; ſi quidquid ſcripſerit unquam
 Non niſi in Aſtronomo creditur eſſe *furor*?
Iámque putem nimiùm tibi ſtare Copernice SOLES;
 Soles ſunt *oculi*, nunc ſine luce, tui.
  Qui Cœlum vitreum polóſque finxit
  Aſtrorum moderator Archimedes:
  Fatali revolutus ex Olympo,
  In vallem cecidit nimis profundam.
  Quæ ſyſtemata ſunt Copernicana,
  (O ! ſyſtemata quæ Copernicana !)
  Vel librarius allinit papyro;
  Vel fiunt piperis breves cuculli.
Credis? in exiguo fragilíque natantia vitro,
 Aſtra Syracoſio ſunt famulata Seni.
Quale tamen cœlum, quod fracto illabitur axe?
 Qui periit, qualis Conditor ille fuit?
Credis & hoc? ſtellas *terebrare* Copernicus auſus
 Occidit, in paucis prodigioſus homo.
Quæſo ego; cur ſol ſtet: *quia mente ſub audio Fixum*,
 Mobile ſit Fixum, dicit, *Ohe* ! doleo.

DVVM EPITAPHIA.

H.	A.	V.	A.	S.	Q.
I.	V.	F.	M.	I.	★★★★
★★★	A.	C.	M.	V.	★★★
H.	P.	E.	C.	S.	★★★
D.	T.	M.	S.	C.	S.
N.	H.	V.	C.	E.	L.

Scazon LVI.

HEIC. ARCHIMEDES. VVLNERATVS. A. STELLIS.
QVAS. IN. VITRO. FRÆNARE. MOLIEBATVR.
IACET. ★ ★ AVDEBAT.
COMOSSE. MVNDVM VELLE. ★ ★
HEIC. POSTVS. EST. COPERNICVS. SATIS. DIXI.

TERRAM. MOVERI. STARE. CREDIDIT. SOLEM.
NARRA. HOC. VIATOR. CÆTERIS. ET. IGNOSCE.

Si forſan eſſes biliofior, dic VAH!

SCENA.

Scazon, Poëta.

Poeta. Poe Scazon. Sca. *Sudo, diffluo totus* Poe. *Deterge mappa manticave villoſa*. Sca. *Depono marram. Sat, reor, datum foſſis. Frangunt labores Quot profundus extraxi examinanda ſquallida Vetuſtatis Veſpillo ſaxa! quæ potiſſimam partem exeſa fallant Delphicos Sacerdotes, ipſumque Numen, cui focus calet Delphis*. Poe. *Moroſe Scazon, ergo jam fatigaris? At non labaſcunt integerrimæ vires, cum pinguis oſſa fumat, & tremunt quadra ſonante perna: tunc valentior miles Scazonte nullus; omniumque poſtremus adipata ſæta ſigna deſeris menſa. Vbi caniſtros inſidet Ceres alba, plenove nodis nigra ſpumat in vitro*. Sca *Equidem calente Sirio. Revertenti tauro ſubactis à novalium ſulcis, quis pabulum, quis gramen invidet feſſo? Et me refeſſis tot cadaverum fungis, tot expiatis erutiſque ſpelæis, nullam mereri bucceam ſepulcralem? Horreſco, ſpectris territus Sophorum, tam fuliginoſis & nocenter obſcuris. Circumvolare me videntur infeſti Manes Platonis, audio querelarum lamenta, diſputantiumque barritus*. Poe. *Satis iſta: nunc procede; deque* Fortunâ *ſubeunte, tenta provocaque Fortunam*.

Digitized by Google

LVII.

Sapiens timet & declinat à malo: ſtultus tranſilit & confidit PROV. 14.

Hæc qui legis, cur ringeris?
Longoſque rodis ungues?
Nimis tibi confidere,
Narciſſe mi, videris:
Si nec movebunt funera
Præmiſſa tot Virorum;
Sempérque ſtare contumax
Speras cadente ROMA.

57.

Der vber diß die Naſen rimpfft/
Mit runtzlen ziecht ſein Stirne:
Der weiſt fürwar nit was er ſtimpfft/
Warumb er ſich erzürne.
Seinds dann nit längſt/vom Todt geängſt/
Die ich erzehlt/verfahren.
Da Rom fiel ein/möchſt du der ſein/
Der ſtändling wolt verharren.

Fallor: an iratum Lectoris ſentio vultum?
Et fluit in torvas frons caperata notas?
Imbellis certè Phrygiaque excluſus in Ida,
Seu Narciſſus erit, ſive Hyacinthus erit:
Qui Puer, *ad plures* cùm jam præceſſerit agmen,
Mota Virûm dubitet Martia caſtra ſequi.
ROMA Caput Mundi cecidit, cecidere Gigantes;
Et tu conſiſtes *Pumilione* minor?
Iras comprime, delicate Lector:
Ne nos deſpue, ne precare diras.
Quod decerpſimus ex virente lauro,
Tu *Vatis folium* puta SIBYLLAE.
REGNORUM DATUR ET VIDETUR AETAS:
REGUM VIX DATUR ET VIDETUR AESTAS.
Si ne *Roma* quidem fuit perennis:
Caſum nemo poteſt queri caſarum.
Vapulo cenſuris, damnamur pollice preſſo,
Semicaper lato *Zoilus* ore furit.

Quid palles, fronteque minax iraſceris iſtæ?
  Tamne tibi videor, Momne, fuiſſe *Cato*?
Tu levior conchâ, tenero tu mollior hædo,
  Iam deſperato ſolus in Orbe ſapis?
O Turtur! Romæ & Phrygibus durare negatur,
  Et tu, cum Mortis venerit hora, *gemes*?

SCAZON LVII.

Quis? Momus anne *Amomus*, hîc mihi *naſum*
Ciet *ſagacem*? quid fremit? quid os fœdum
Inſpicat inſtar alitis peregrinæ?
Narciſſe vocis impotenter inflate,
Quid indecoro maceras metu pectus?
Urbs (Orbis inquam) caſibus ſuis ſtrata eſt.
Tu perſeveres? ſic *futura* te mulces?
VAH! molle ſcrophæ ſumen, albe porcelle.

LVIII.

Qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam: numerabo vos in gladio & omnes in cæde corruetis Eſai. 65.

Tu *ſolus* ovi Caſtoris,
  Matriſque pullus *albæ*?
Parcas ut optes *parcere*;
  Fatum retró moveri.
Fidum videtur improba
  FORTUNA numen eſſe?
Cujus *Rotam* vel *fimbriam*
  Aſtratus oſculeris.

58.

Biſt du der Aff/ das ſchöne kind/
  Am Holderſtock entſproſſen!
Daß dir verſchmacht ſo hart vnd gſchwind/
  Was Gott ob vns beſchloſſen:
Weiſt nit/ das glück/ hab böſe tuck/
  Betrugeriſch/ verſtohlen:

Hangſt

Hangſt doch am Rad/das vmbher gaht/
Biſt je ein guter Tſchoten.
O formoſe Puer, Ledæo nate cubili,
Digne ſupra nubes cum Ganymede rapi.
Iam jam Fata tibi cedent: quæſivimus Unam
Parcarum, an vellet parcere: dixit; *Ita*.
Plaudit ad hæc Mopſus, ſua nec ludibria ſentit,
Fortunæque dolos ingeniumque leve.
Quid video? ſupplex etiam lachrymiſque refuſus,
Ejus odoratos imbuit ore pedes.
Therſites, animoſe mi Puelle,
Formoſiſſime, bellé mi Puelle,
Quot ſunt, quotque fuêre, eruntque belli
Therſites: animoſe mi Puelle,
Dic: Parcas *quianam* petas faventes?
Et SOLUS. *quianam*? deinde aſellus
FORTUNAE, *quianam* fricas aſellam?
Heu, fruſtra ſcabis. Iſta mæcha fallit.
Scilicet *Hic, Ipſe, Ille, Iſte* eſt Salapuſius *atrox*.
In gremio Matris natus Acidaliæ.
Sane: cur Lacheſis tibi non ſappyrina ducit
Stamina, gemmatâ deproperanda colu?
Dic age: Fortunæ credis tria verba loquenti?
Atqui ego mentiri credo, licet taceat.
Sed neque more tuo curvus procumbo velut bos,
Nec Lenæ plantas oſculor, ungo, lavo,

SCAZON LVIII.

Encolpe Phœnix, & Cupidinis frater,
Alter Paris, pariſque frontis adultris:
Quâ fronte, quo, dic, ore Fata contemnis?
Poſcas ab illis dulce ſaccarum, myrrham
Offerre ſuetis! ecce ſupplicabundus
Stas in lacerna limen ante Fortunæ;
Gemis tremiſque, *ſplendideque* vestitis:
VAH! vile numen provolutus *interas*.

LIX.

Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas. Proverb. 7.

Inſane! qui te ſuſtines
 Ab hac Dea peruri.
Adultera te mancipas,
 Quæ pejerare novit;
Procisque noctes ebrias
 Torique jura vendit.
O! quot proterva Principes,
 Vxorios fefellit.

59.

O Tummeshirn/ O voller Zapff/
 O daß ihrs glück erkenten.
Die euch verheiſt ein Buſterkrapff/
 Und gibt euch nur ein Blenten.
Keim ſeys vertrawt/ als wärs sein Braut/
 Keim kan ich dieſes rahten.
Sie bricht die Ehe/ drauff kompt das wehe/
 So vieler Potentaten.

Quin potiùs *furca* demens *expellis* amores?
 Quos levis in cæco pectore Diva parit:
Pulcra tibi Conjux (ſi Diis placet) atque pudica
 Obtigit. & nunquam fallere docta virum.
Quàm timida & mitis! quàm non ſcelerata! Marito
 Nam violare fidem, non putat eſſe ſcelus.
Totus ei Mundus patet, ut Commune Lupanar.
 O! quot in hoc Regum *concutit* illa toros.

Vaticinium.

Quæro: ſiccus es, an mades aduſto?
Aut Fortuna procax tibi vorandum
Inſano *leporem* dedit marinum?
Ah! cur ureris igne tam doloſo?
Hanc te ardere Deam? jugum recuſat,
Prædico: Meretricis es maritus.

MESSALINA nihil veretur æra
Noctu poſcere, & advocare *ſervum*.

Epithalamium.

Anticyris dignum caput eſt. cui femina pellex
In ſponſam, & Thais vendita ſerva placet.
Hymen, ô Hymenæe, Hymen, Hymen, ô Hymenæe!
Duxiſti Vxorem: Civibus. anne tibi?
Nempe mihi, dicis. Sed non hoc dicit Agyrta;
Qui cum *Fortuna* dormit, Amice, *tua*.
Cornutos etiam Reges facit iſta Capella,
Auriculaſque ſui donat habere Midæ.

SCAZON LIX.

Attende Dave. non licet bis errare,
Quam ducis? *Iſtam*? ludiam, levem, cæcam?
Iſtam? doloſam perfidamque Fortunam?
Quæ purpuratos polluit toros! *Iſtam?*
Catulire pernox perdiuſque conſuevit:
Panditque cuivis fornicem: papillarum
Multum proterva nudat, haud minùs mortis!
VAH! quot venuſtum Regna perdidit Scortum!

LX.

Fallax gratia & vana eſt pulcritudo. Proverb. 31.

Tot ora nunquam Proteus
Deponit & reſumit:
Quot ipſa vultus *Punicos*
Permutat & refingit.
Cum *Phoſphoro* quæ Tyndaris,
Et natis expolitæ,
Sub *Heſpero* fit turpior
Anu *canente leſſum*.

60.

Erzehl ihr liſt/ders zehlen darff/
Sie liegt/daß möcht erkrummen.
Wie manches Gſicht/wie manche Larff
Brauchts zu dem falſch vermummen.

Bey

Bey Sonn auffgehn/iſt ſie gar ſchön/
Auffgmutzt mit Pfawen flügel:
Zur Veſperzeit ein Raffelſcheidt/
Ein arger alter Igel.

Quid facias? *frontem* quæ non habet, accipit *omnes*.
Oris inops, nunquam non ſatis oris habet.
Deprendas licet in facto, peccaſſe negabit.
Viſa tibi dicet: *forſitan illa fuit*.
Adde: quòd [& diſces ex ſolo nomine monſtrum]
Vt bifrons Ianus, ſit tua IANA *biceps*.
Vultibus è geminis tantùm unus manè videndus.
Namque uno, non eſt turpior in capulo.
Quidquid DALILA Dalilæ; Neæræ
Aut fallacis habet NEAERA fallax:
Hoc FORTUNA libidinoſa totum eſt,
Vultu, pectore, fraudibuſque comtis.
Et Circen Thymeleuque vincit ore,
Tranſmutans meretricios colores.
Alter Proteus: hoc die venuſta,
Maurâ fœdior altero peruſtâ.

Myſterium.

Hoc quoque ſcire juvat: Portumna eſt, quæ tibi nupſit;
Et tot habet vultus, quot nova Luna, novos.
Vtque ſimul ſpeculo diverſa videntur in uno,
Plurima ſic unâ fronte videnda gerit.
Vis Nioben? *dura* eſt. vis pulcram? *Tyndaris* ipſa eſt!
Certantemne viris? mox erit *Andromache*:
Et tibi certabit nimiùm, velletque capillos.
Hircæ: feres turpem litigioſus anum.

SCAZON LX.

Fortuna non fidelis eſt, ut Evadne,
Aut Siſygambis. ſumit omnium vultus
Ponitque! fallax, ambidextra, *Communis*.
HAC DOTE NUBIT annulum maritalem
Donat vel hoſti, nec rogata, te *cornu*
Ingens ferente, quale Vir gregis ſimi.
Cerite, Mæchæ non notas tuæ nævos?
VAH! quale pingit nux cadaver! o ſtacte!

LXI. *Averte*

LXI.

Averte faciem tuam à muliere comta. Eccli. 9.

Oblata labris baſia
  Luctantibus recuſa.
Etſi rogaret millies,
  Tu millies recuſa.
Quæ verba fingit ſeſamo
  Dulcique plena melle;
Credas ceraſtæ toxico
  Flavoque ſparſa felle.

61.

Sie thut/als wans dich lieben wolt/
  Zum Friedenskuß anmuhten:
Gibt dir in d'hand ein Monatſold/
  Wann gſcheid biſt/gib ihr gute:
  Dein Red will mir nit gfallen.
Ja! ſieſt ſie vil/wans reden wil:
  Iſt lauter gifft vnd gallen.

Mitte igitur thalamum, & noli pro dote paciſci,
  Suaviaque oppoſitâ pelle doloſa manu.
Quin vultum quoties invitat ad oſcula, dorſum
  Obverte, & pedibus protere vota Lupæ.
Rhetoricam noſti, quæ ſit tibi verba *datura*;
  Aurea cumque tropis, byſſina cumque favis?
Aurea? ſed ferrum, ſed plus quàm ferrea verba.
  Byſſina? ſed craſſius ſunt, mihi crede, rudens.

Quò veſane ruis? reſiſte Scorto.
Ceruſſata Puella non omittet
Cauſſas quærere baſiationis.
Palpabit, mihi crede, complicatis
Proſtans oſcula porriget labellis:
Promiſſura roſas thymumque mellis:
Manatura nigri palude fellis:
O! quæ baſia, qualibus labellis!

Et

Et ſtatuis tali Dominæ ſervire Maritus?
Probraque ſuaviolo Conjugis emta pati!
Si me non ſpernis, ſpernes meretricis amatæ
Oſcula: nec pretium, nec patiere preces.
Mella quidem loquitur, blandiſque inceſta perorat
Ignibus atque oculis, lena diſerta, ſuis.
Tu tamen haud fidas: ignes, ſunt frigora Thracum;
Noctua ſunt oculi; melque Venena merum.

Scazon LXI.

I nunc, & oſculare publicam Larvam,
Regumque ſputis baſiiſque *fatentem*.
Raptos ocellos (*orba propriis*) furto
Vibrabit, *emulgere* ſuavium docta.
Sed tu reſiſte, ſi ſapis. ſed infringe
Exercitatam lubricis genis palmam.
Ne verba credas, quæ dat, eſſe *mel, fel* ſunt.
Vah! *Alveari* quantus incubat fucus.

LXII.

Eſt malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum.

Eccle. 8.

Rufinus hoc expertus eſt,
Et Conſul *eviratus*,
Byzantio proſcribitur:
Statuae trahuntur unco.
Finguntur ex his urcei,
Strigil, patella, pelvis.
Eunuche: *nunc* es uſui
In omnibus tabernis.

72.

Ruſinus weiß von der manier/
Vnd ein Eunuch zu ſagen.
So gar ihr Bildnuß iſt in vier/
Ja hundert ſtück zerſchlagen.

Eutropi

Eutropi Leib/das alte Weib/
War gſtoſſen zu eim Zeiten.
Ders Ertz hat gnutzt/drauß dHäfen butzt/
Der kan ihme wol vergelten.

Hoc quoque Ruſinus monſtrum teſtatur Eoum,
Eutropiuſque Spado, Conſule major *Anus*.
Quæ Byzantini timuerunt numina Cives,
Mox Byzantinæ diripuere manus.
Laurigeri ſolvunt ſtatuas incendia ſervi.
Fit Scyphus aut forceps, quod fuit antè caput.
Apponens *leporem* fors Hoſpes dixit: Amici,
Hæc Patera Eutropius ſemivir antè fuit.

Constantinopolim petamus. Aulam
Pulſo. Phoſphore: nonne conſulares
Vidiſti trabeaſque purpuraſque,
Ad ſordes & ad incitas redire?
Ruſinum, Eutropium quid interemit?
Fortunæ, puto, *non modeſtus Vſus*.
Eunuchi facies in ære viſæ,
Sellas olfaciunt Patroclianas.

Vertumni.

Vt ſileant alii: ſatis hoc Rufine loquâris,
Tuque ſub Arcadio Cæſare, ſerve potens.
Vilis uterque prius, ſed uterque ad ſumma levatus.
Quantus Vterque fuit, Tantus Vterque ruit.
Lictor adoratos, ſimulacra argentea, vultus
Fregit, & effigiem ſolvit in igne ſacram.
Maſſa coit, flagrant oculi, liquefactaque ſudant
Membra, metalla fluunt. *cuditur hinc matula.*

Scazon LXII.

Talio.

Hoc eſt, Eoi cæca quod dedit peſſum
Portenta Mundi, te ſcelefte Rufine,
Te *ſerve Nequam*, te marite caſtrate,
Princeps ſpadonum, qui regentis Auroræ
Ipſum regebas fraudulentus *Aurigam*.
Sed nuda demum pænè terga diſcerptus,

Æs vultuoſum conflagrare ſenſiſti.
VAH! *ipſe Conſul faſcibus tuus caſus.*

LXIII.

Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, ſe liberum natum putat.
Job. 11.

I, curre demens Hannibal
Ex Africa per *Alpes*,
Rupes *aceto* divide,
Perfringe clauſtra Brumæ.
Quam copiam CANNENSIUM
Prædaris *annulorum*:
Penſabit UNUS ANNULUS,
Ex quo bibes *venenum*.

63.

Lauff/lauff mein ſohn Hamilcaris,
Jch will dich nit verſtechen.
Lauff hin/deß Eſſig nit vergiß/
Mit dem muſt d'Alpen brechen.
Wirff ring vollauff auff einem hauff
Bey Cannis können rauben.
Aber der ein/wird dein todt ſein/
Das kanſt mir ſicher glauben.

Nemeſis.

Annibalem mirare Ducem. per vaſta cucurrit
Æquora, perque Alpes inviaque antra feris.
Non curſum tardavit hyems, non vertice torrens
Spumens, annoſæ nec tria luſtra nives:
Italiam intravit: *diſcerpſit* viſcera Romæ:
Submerſit Cannas ſanguine ſe Venere.
Quid tamen ex ſpoliis collegit Equeſtribus? AURUM:
Ex quo tot lacrymas, fata, Stygemque bibit.
Quid ſe lætius Hannibal cruentus
Ad Cannas Trebiamque vidit unquam?
AUDACI NIHIL INVIUM. Reliquit
A tergo fluvios, ſubegit Alpes.

Exan-

Digitized by Google

Exanguis tremefecit ora Romæ,
Et portam ſtetit Afer ad Capenam.
Fortuna, heus aperi. quid ipſa? Maurum
Irridens. parat interim ſepulcrum.

Quid Libyæ Catulus, Soboles animoſa leonis
Hannibal Hannibal? *hic.* Italiam Italiam
Per mare, per ſcopulos petit, excisaſque per Alpes;
Saxaque durato conglaciata gelu.
Iamque tenet Cannas, metitur Romana juventus;
Pingues ſanguineâ cæde lavantur agri.
Annulus impletur modiis: Capitolia nutant
Summa: Peri Victor. ſume Venena, Peri.

Scazon LXIII.

Allegoria.

Getulus Alpes invias penetravit:
Vbi nivoſis in jugis Hyems *dormit*;
Truditque ſomno congelata cryſtallum.
Carthaginenſis Ductor hanc aceti vi
Expergefecit; tranſienſque plorantem
Rhodanum Padumque, victor ivit ad Cannas;
Et annulorum prædo repperit meſſem.
Vah! & venenum Magnus Exsul invenit.

Scena.

Poëta, Scazon.

Scazon: acetum, ſi quod Annibal propter Alpes reliquit, ſume. Languidam venam exacuit acrimonia, lavat putri pulmone ſpiſſum pectus. excitat triſtes & otioſos ſpiritus, minas torva inducit, & rugoſa vallium fronti. Decet ſeveros ira pulcra Scazontas. Scopulos aceto Luſcus *iſte diviſit: & non cerebri dividat tui nubem; caputque praſtet pervium Dei flabris!* Sca. *Nec tu jocari deſines! & hoc nempe poſſit videri vanitas.* Poe. *Et eſt nempe.*

LXIV. *Vidi*

LXIV.

Vidi ſervos in equis; principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos. Eccle. 8.

Dat colla loris nauticis
Torquatus antè miles.
In *inſulam* detruditur
Dictator è *Curuli*.
Fixâ *ſub haſta* væneunt
Et Perſicæ tiaræ.
Inſcripta frons fert *Literam*,
Quæ *faſciam* ferebat.

64.

Geſtern war Cuntz zum Scepter glockt/
Muß heut den Kolben tragen.
Heut Schultheiß/morgen Bettelvogt
In ſeinen alten tagen.
Noch Reich/noch Cron/halts glück lang ſchon/
Wird bald ab ihn verdroſſen.
Der Herr wird Knecht/der Edel ſchlecht;
Das ſeind mir ſeltzam boſſen.

Stigma.

Eſto: hodie clavum teneas in Puppe Senatus:
Cras quid agas? remos fortè triremis ages.
Eſto: hodie *ſella* ſuper ora vehare *Curuli*:
Cras quid eris? Gyaris forſitan exſul eris.
Mutatur toties fulvum diadema lupato!
Infami laqueo murice tincta toga.
Frontibus in mediis famoſum K legetur,
In quibus ardebat lucida gemma priùs.

Vices.

Ludus luditur. iſte, qui TRIUMPHAT,
Cras ductus ferietur *in triumpho*.
Hic, qui ſquammeus ardet in METALLO,
Cras damnabitur *ad metalla* foſſor.

Carn-

CARUS REGIBUS, ET LEVATUS ALTUM,
CRAS (à Legibus) ALTIUS LEVATUR.
Per quam tænia multiplex cucurrit,
Frontem lamina ſignat atra ſervi.

Cothurnus.

Sæpe adeò videas captivum ducere remos,
Qui nuper niveis Victor ovabat equis.
Currum aſcenſuro dorſum inclinare *Sapori*;
Regis ebur, populi quem ſuper ora tulit.
Vertice de ſummo gladium pepuliſſe Coronas,
Purpureos truncos immaduiſſe mari:
Vittatumque caput, turpi ſub fornice *raſum*,
Crines ſervitii proſtituiſſe notis.

SCAZON LXIV.

Vidi camelis taureiſque nautarum
Occalluiſſe dorſa purpuratorum.
Vidi repentè per Gemonias ſcalas
Cervice fractâ dejici magiſtratus.
Vidi Dynaſtas corrogare pannoſos
Humi trientem, fruſta pannis *in ponte*.
Vidi tyrannos *ambulare cum ſacco*
Per civitatem. VAH! in horrido Cippo.

LXV.

Veniet tibi quaſi viator, Egeſtas, & Pauperies, quaſi vir armatus. Proverb. 6.

Hic ille BELISARIUS
Confeſſus à triumphis.
Caſtrenſe Mendicabulum,
Mundique cæcus exſul:
Bellator antè ſtrenuus;
Si vel *ſcobem* porrexeris,
Hac ſportulâ beaſti.

65.

Gibt doch dem Beliſario,
Ich bitt vmb Gottes willen/

Ein ſtücklein Brod: ſo iſt er fro/
Vnd kan den hunger ſtillen.
Der blinde Man/nimbt alles an/
Daran iſt gar kein zweiffel:
War vor dem fall Feldt General;
Jetzund ein armer Teuffel.

Exomologeſis.

ILLE EGO ſpectatis Dux BELISARIVS armis,
Victor VVandalicos cum popularer agros:
Oedipodioniæ patior contagia noctis,
Atque Eriſichthoniam[*qualia monſtra!*]famem.
Per Superos medioſque precor: donate trientem
Semineci; ſi qua eſt gratia,ſiqua fides.
Quæ GVLA ſexcentis ſteterat *pavonibus* olim;
Non habet,unde Ceres *mucida* poſſit emi.
Quem cernis *vacuo* rigere vultu,
Effoſſiſque oculis pati tenebras;
Et ſciſsâ miſerabilem lacernâ,
Dextram porgere numulum daturo;
Semeſæque cucurbitæ cavernâ
Ad *micas* titubare colligendas:
BELISARIVS eſt, an ille,qui Se,
Qui Thracas Lybiamque vicit? IPSVS!
Huc ventum eſt. audet jam *Beliſarius* oſſa
Rodere,reliquias ſollicitante manu,
Audeat & ſcabiem putris mordere polentæ,
Illecebraſque vocet,paſſeris *exta*,ſuas!
Duc *Capis* ad portam.dabitur ſtips altera Cæco.
Cæco: qui quondam SOL tibi,Roma,fuit.
Ecce triumphator Gotthorum nobilis, ipſam,
Si ſatiet,patulo devoret ore *Famem*.

SCAZON LXV.

Dialogus.

Quis iſte clamor pertinax quiritantis?
Rex vive. Beliſarii Ducis. Cujus?
Bis ſubjugantis Africam,quater Gotthos.
Quid poſcit? *Aera.* Pauper? *Irus ad Reſtim*
Miſer redactus; orbibus cavis noctem
Mortem.

Mortemque portat Lachrymoſa quis fronti
Subduxit aſtra? *Carnifex Ducum*, LIVOR.
VAH! pænulatus Imperator in turba.

LXVI.

Cecidit Corona capitis noſtri. In Thren. c. 5.

MAGNI ſuperbus FLAVII
Ablavius Dynaſta;
Ibat verendis Cæſarum
Sublimior quadrigis.
Sed valle mox depreſſior
Contaminavit enſes;
Diſcerptus inſtar *Marſya*
In mille fruſta cæſi.

66.

Ablavius wolt in dem Reich
Als Keyſer einher traben/
Dem groſſen Conſtantino gleich:
Hett gern die Cron. ſolls haben.
Morgen. Wohlan ſo laſt vns dann
Das lincke Füßlein bucken.
Au we! man hawt (ſchreyt vberlaut)
Jhn bald zu tauſent ſtucken.

Te quoque *Stultorum* lepidas auxiſſe choreas,
ABLAVI, in paucis ambitioſe, ferunt.
Namque ubi collegit ſe CONSTANTINVS in aſtra,
Diceris *Heredi* præripuiſſe PATREM.
Diceris Auſoniâ *clangens* ſuper Vrbe volaſſe.
Diceris auriſluas explicuiſſe comas.
Diceris & gladiis cecidiſſe, ut *victima* ſectus:
Et jam FORTVNÆ diceris eſſe PILA.

Etymon.

Prô! Quis purpuream vomit ſub Orcum
Infrendens animam? novuſne *Pentheus*
Membratim laniatur? anne CONSTAN-
TINI pullus ovans, & ALTER IPSE?
Si primus quia Cæſar enſe *caſus*,
Hoc à Cæſare *Caſares* vocantur:

Ablavi, tibi nullus invidebit
Nomen: *caſus es*: ergo Caesar. eſto.
Delicias hominis! Romanum Ablavius Oſtrum,
Bifronteſque ſacri fulminis ambit Aves.
I puer infelix: I *Simia* Constantini.
Indue Cæſaream cæſariate togam,
Induit: & longis reſonat *ſingultibus* Aurum:
Poplitibus ſubi tò tota fit Aula *minor*.
Vix ea: cùm ſtrictis coëunt mucronibus enſes
In jugulum. hoc *punctum* eſt, Gloria *ſæva*, tuum.

Scazon LXVI.

T*eredo* Lauri, purpuræque bis tinctæ
(Semel tuo cruore) *Blatta*, Pomique
Regalis, ImperIque *Vermis*, Vblavi:
Quid Flaviana ſceptra mollis affectas?
Veſane regna punieris à voto.
Pœna eſt, quod optas. Irruit repens miles,
Et ludibundi Cæſaris ſecat collum.
Vah! Improborum reſque ſpeſque *decollant*.

LXVII.

Converſa eſt in luctum Cithara mea. Job. 38.

Fortuna ludit muſicis,
Vt eſt perita, chordis.
Nunc fila *tendit* pollice,
Nunc *laxat* & remittit:
Irata mox testudinem
Allidit ad sepulcrum,
Hinc flebilis ſymphonia,
Vlulatus Aulicorum,

67.

Diß alles gſchicht/als wie man ſagt/
Nach weiß der Lauteniſten.
Sie ſchlagen lieblich auff den Tact/
Und wann man iſt am beſten:

So

So ſchlagt die hand/d' Laut an ein Wand/
Daß Trümmer darvon ſpringen.
Diß iſt das *la la ſol ſel fa*,
Das d' Hoffleut allweil ſingen.

Dulce canens Siren (ſed non innoxia Siren)
Fortuna has proprio ludit in Orbe vices.
Perſonat *in fidibus* ſciſſis è tergore Regum:
Hi ſunt deliræ mollia fila Lyræ.
Hos ferit, hos digitis *ſubigit*, *verſatque* micatque,
Non aliter citharâ quàm, GETA docte, tuâ.
A Cantu MOLLI ſenſim *tolluntur in Altum*:
In DURUM *lapſu* mox *graviore ruunt*.

MUSICA REGIA.

Cantu duro.

Et FORTUNA ſuas habet camœnas.
Audi, quid Philomela cæca rudat.
BelLAtor *Gilimer* SOLVTus arMIs,
SubLAto FA FAvoRE, REx ab auLA
LA LApſus FA FAcit theatra MIMI
MIRE MIrifici FAmelicique.
InFAMI MIſeRE LAboRE LAſſo
Da Panem, *Citharamque*, ſpongiamque.

Salve FORTUNA inſignis Cithariſtria Regum,
Quæ tot delicias ingenioſa facis.
Ludere par impar, dextreque errare ſiniſtra
Diceris, in *fidibus* mobilis, inque *fide*.
Suaviter ordiris, ſed primùm *in fine* notabit
Veſpillo, cujus cœpta ſit Oda toni.
Tympana quin etiam ſurgens *heroica* pulſas;
Dent modò, quam tundas, Aulica terga cutem.

SCENA.

Poëta, Scazon.

SCazon: *Placetne Syllabis ab Vndenis, modulatus arte barbitoque concentus?* SCAZON: *Ni fallor, iſte Dithyrambus agreſtis, non expolitum rus olet. nimis vile, phalerata nugis Muſa, deſipitque plus juſto,*

ſapiens videri quæ cupit. Relinquatur crotali puellis, & nuces, & obſcura crepundiorum Rhytmus ore prolapſus perſtringit aurem: ſed tenerrimum Carmen, quod gratioſo vulnerat ſono mentem, intratq; pectus, id placebit & Phœbo. Vulgo probantur multa, quæ ſagax naſus admota damnat. & tuâ quidem pace, quidquid notandas elegantias quærit, aut (ſi licebit ſic loqui) minurizat: & otioſis in negotiis griphos, anagrammatiſmos mobiles, vel abſtruſum ænigma ponit ac ſuperbit, haud laudo. Plebs iſta plerus miratur, & ſcobem ferri fulgentis, aurum credit eſſe Pactoli è fonte fuſum. Major incubat vero Deus Poëtæ, major Evius fibras implet rapitque POE. *Qui licenter hæc dicit, periculoſa ſe dat aleæ, Scazon.* SCA. *Attendo.* POE. *nonne Amazones tuæ ludunt, & deſtinatas ſub lucè decoquunt rixas, rapinaſque miſcent? dedecentne ludicra inventa Luſum Vanitatis exploſa?* SCA. *Defendis iſtas pellices & excuſas* POE. *Submiſſiùs Bœote; mitiùs Scazon.* SCA. *Atqui ſecunda vix videtur in caſtis numeranda Nymphis tota ſemper argutat, & ſemper auguratur, & lores cogit prodire ſeptis ſæpe nequidem ſalſos. Hoc fœminarum eſt. rebus haud modum figunt.* POE. *Abſiſte Scazon, verba perdis. ad rhombum.*

SCAZON. LXVII.

Nonne *Aulicorum* vita, mira TESTVDO eſt?
Canunt & ipſi: flebilemque Fortuna
Leſſum gubernat triſtibus notis, pauſis
Gradibuſque SCALÆ Muſicæ quot ex illa
Cecidere! ſunt & crebriora ſervanda
SVSPIRIA *eheu*! fila temperant Parcæ:
Quæ verberentur, verberata rumpantur.
VAH! *Aulicorum* vita, mira TESTVDO.

LXVIII. Ec-

LXVIII.

Excelſa quoque timebunt & formidabunt in via. Eccle. 12.

Quæ summa sunt, mox concidunt,
Et rurſus ima fiunt.
Dejecta vidi ſurgere,
Vidi ſuprema labi.
Sternuntur alta culmina,
Non alta proteruntur.
Minora ſponte corruunt,
Majora vi premuntur.

68.

Wie viel auß ihnen ſcheint die Sonn/
Vnd geht bald wider z'gnaden.
Steigt auff/vnd ab: darzu/darvon/
Hangt alles an eim Faden.
Was gar zu hoch/ fällt ſampt dem joch/
Mit gwalt zu boden nider.
Dem kleinen ding/vnd was ſo ring/
Iſt jede Mück zuwider.

Prociduas ſtrages & lapſum ſumma minantur,
Vt nunquam pronâ mons ſine valle fuit.
Sæpe caſa in turrim modulante Amphione crevit,
Inque vicem turris montibus æqua ruit.
EXIMIVM NIHIL EST. Præceps excelſa feruntur,
Planitiem pedibus ludicra turba ferit.
Parva ſuo ſtrepitu rumpunt arbuſta *cicadæ*.
MAGNA ferox circum-Sarmata-ventus agit.
Stent præſepia firmiora rupe:
Securum nihil eſt. Periculosè
Ceræ remigio ſecabis auras.
HIC RERVM modus eſt: cadunt caduca,
Et vel ſumma ruunt palatiorum,
Vaſto turbine quaſſa, cum fragore.
Viles attegias & involucra,
Sputum proterit Æoli jocantis.

Fama eſt, in ſummis habitare Pericula ſumma
  Nubibus; & Casus altiùs ire polo.
Vidi, qui factus fuerat *de Rhetore* Consul,
  Et factus qui de Consule *Rhetor* erat.
Invidiâ pallent miſeroque timore Dynaſtæ:
  Verna humilis, pœnæ eſt jam ſatis ipſe ſibi.
Pygmæo grus bella movet, tollitque per auras.
  Tota Gigantæum degravat Ætna caput.

Scazon LXVIII.

Quid vis in altum glorioſus extolli
Rotiſque trochleiſque Candidatorum?
Labere. prudens mitte celſa ſectari.
Honore fultum ſæpe corruit pegma.
Domino cadente, sæpe servus ascendit.
Vis alta, sternit alta; magna, vis magna.
Maiora, maior; parva, quidquid occurrit.
Vah! ſupra & infra, ponè & antè torquemur.

LXIX.

Recordare Domine, quid acciderit nobis. intuere & reſpice opprobrium noſtrum. In Thren. Jerem. 5.

Ad noſtra tranſi tempora
  Tot luctuoſa Fatis;
Prorſus nihil Saturnia,
  Ferroque duriora.
Quàm lubricâ vertigine!
  Europa ſola nutat
Colliſa Regna mutuò
  Quales *furunt furores!*

69.

Der luſt hat/ſchreyt zu vnſer zeit/
  Da weder ſtern noch frieden/
Die nichts bringt/als groß hertzenleid/
  Aus hartem Eyſer gſchmieden.

Vor

Digitized by Google

Vor angſt vnd noht Eurpa tobt/
Schwindlet vnd trimbſſlet vmbher.
In Krieg/ zwitracht/ feindlicher macht/
Stirbt ſchier für leid vnd kummer.

Qui tantùm ex voto credit nos fingere, retrò
Ad noſtros Soles mentem oculoſque ferat.
Quos neque Saturnos *rutilos*, neque Iuppiter *albos*,
Sed *nigros* Mavors ferreus eſſe dedit.
Sidoni, Teutonico quateris miſeranda tumultu.
Sidoni, quàm malles à *Bove* rapta vehi!
Sidoni, ceritas peperiſti EUROPA Puellas.
Ecce fremunt raucis OMNIA REGNA tubis.
Iam quid ferrea noſtra clamat Aetas?
Clamat Stentoris ore: *Quis vel unum*
Saturni meliore de moneta,
Priſci temporis AUREUM *reducat?*
EUROPEN, niſi Bos amatus olim
Portet trans maris ultimi receſſum;
Submerget rapido procella fluctu,
Et mors obruet atra, Marſque luctu.
Tranſeat ad noſtris famoſum luctibus ævum,
Qui queritur falsò Nos, nimiumque, queri.
Præmoneo: tantùm non aurea ſecula ſperet.
Ferrea ſunt. *ferro* ferrea tota rigent.
Eheu! in terram refluis Europa capillis
Ambulat, & verſos tendit ad aſtra pedes.
IN SE REGNA RUUNT, totos jaculantia montes.
Non alius Lapithas traxit in arma furor.

SCAZON LXIX.

Tar lus moveri, qui negabit, inquirat,
Ævique noſtri diſcat experimenta.
Vbi nulla flavis mella murmurant bullis,
Frugeſve tellus non arata producit.
Nec uva gemmas lachrymatur injuſſa.
Aurove ſilvæ prægravantur & nutant.
Sed tota ferro cincta ſævit *Europe*,
AH! in parentem [REGNA] Filiæ ſurgunt.

LXX.

Plorans ploravit in nocte, & lachryma ejus in maxillis ejus: non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus Charis ejus. Thren. 1.

In unica GERMANIA
  Quid defuit malorum?
Quam mira *Luſtris quattuor*
  VICISSITVDO torſit.
Nudata dorſum vapulat
  Immanibus flagellis:
  Suique plorat naufraga
  In ſanguinis procellis.

70.

Gantz Teutſchlandt ſeufftzt in dieſer plag/
  Gar offt/nit nur bißweilen.
Es wehrt ſchier ewig dieſe klag/
  Wer wil den ſchaden heilen?
Ich mein man hab ihr gmacht das grab/
  Uſeh einer die Blutſtreimen:
So groſſe Wundt/daß man leicht kundt
  Ein gantzes Brett fürleimen.

Inter Centauros. credo, Germania vixit:
  Tam malè contuſo flebilis ore redit.
Cæditur; *hinc illæ lachrymæ*: & trieteride ſextâ
  Cæditur, & diris cæditur uſque flagris
Audio deformes tergo ſtridere catenas
  Horribiles ictus, ut catapulta, ſonant.
Vorticis in morem rapidus cruor effluit. Iſter
  Fumat, & à tabo Molda, Lycuſque, calent.

Intra Teutoniæ cubile viſe
REGINAM *furia doloris* ægram.
Iam vigeſima quarta Bruma ningit:
Ex quo Tiſiphone movente taxum,
Eſt crudelibus uſtulata flammis.
In ſe more phreneticæ ruentis,

Toto

Toto corpore ſauciata ſævit.
Non eſt tam PLAGA, quàm cruenta *Plaga.*
REGNA: quid à veſtris Soror ah! GERMANIA telis
[Et *germana* Soror, tamque venuſta] perit?
Num quiſquam in proprio laſcivit ſanguine? ſed vos
Quot luſtris agitat tam furioſa Venus!
Crudeles! quid enim video lacerata papilla eſt;
A ſcapulis cæſis nautica lora rubent.
Crudeles! tota eſt VNVM Germania vulnus:
Mentitur, quiſquis *vulnera*, dicit, *habet.*

Scazon LXX.

Non te ferocis ad Boryſtenis flumen
Remitto. teſtis *copioſus* eſt RHENVS,
Alemannus Amnis, & *puerperis* notus.
Hic inſolentis fert imaginem luctûs.
Cornutus antè, nunc retuſus à fronte.
Illimis antè, nunc rubore confuſus
Amiſit urnam, plenus ulcerum tabe.
Ah! vinctæ crineis ſanguinantibus *Cannis.*

LXXI.

Hac quoq; vidi in diebus Vanitatis meæ. Iuſtus perit in juſtitia ſua, & impius multo vivit tempore in malitia ſua. Eccleſ. 7.

Vrgete nimbi lumina,
Et irrigate vultum:
Vt verna nix in flumina
Palpebra colliqueſce,
Pectus iacerti tundite,
Malas arate pugnis:
Ut Allemannæ Patriæ
Heroibus parentem.

71.

Gantz Zäherbäch vnd Augenflüß
Möcht ich von mir außgieſſen;

Wie Schnee möcht ich vergehn umb diß/
Was jetzt mein hertz thut ſchlieſſen
Ihr händ ſchlagt zu/laſt mir kein ruhe/
Das leid iſt groß bey frommen:
Weil in dem Feld/ſo mancher Held/
Der zeiten iſt umbkommen.

Threni.

Currite plorati vivo de lumine fontes,
Quantos ſepteno *Nilus* ab ore pluit.
In mare molle caput, crines vertantur in undas,
Fronſque pruinoſis humida ſtillet aquis.
Cur ceſſas ignava manus, quid in otia pendes?
Debuerant pugnis jam rubuiſſe genæ.
Neſcis, quos animo luctus, quæ funera volvam?
Funera: quæ gremio Teutonis Ora tegit.
Bini vos Oculi, GEMELLE CASTOR,
Pars noſtri meliorque molliorque:
Si, qui vos rogat, *intima* Poëtam
Stella diligitis; movete fonteis,
Frænis fundite lachrymas ſolutis.
O! nimbos date, Plejadumque fletus.
O! emittite, quidquid eſt liquoris.
Triſteis inferias paramus VMBRIS.
ACIS ero: namque eſt Acis mutatus in amnem.
In nova Byblis iit flumina, BYBLIS ero.
Lugendum eſt: ſtagnate oculi, ſtagnate refuſis
Fontibus: in lacbrymas lumina liquiminor.
Lugendum eſt: ungues ſulcis invertite vultum.
Hos orbes ſtellis evacuate manus.
Enſe parentandum eſt Germanis Manibus, enſe:
Taboque hoſtili TUMBA lavanda Ducum.

SCAZON LXXI.

Nondum per udum labitur Thetis lumen!
Huc exſolutæ tabidam nivem Brumæ,
Huc, P.nde, verte. volvat Hebrus æſtiva
In os fluenta. totus æquoris fiam,
Tegamque campos evagantibus rivis.
Atrate Scazon, quin *cucurbitas* grandeis

Denſaſque

Denſáſque lachrymatis in ſepulcreto?
Ah! occidête Teutonum tot HEROES!

LXXII.

Hæc fecerunt tres robuſtiſſimi. 2.Reg.33.

Iacéſne Dux fortiſſime,
TAMPIERE Lotharinge?
BVQVOYVS ergo vulnerum
Perfuſus imbre vixit!
Ah! cerno PAPPENNHEMII
Mixtam jacere Calvam.
Sed hæc *triumphis* omnibus
ARMATA gaudet VMBRA.

72.

Vor Preßburg geſchach die Niderlag
Deß Tampiers an dem Graben.
Deß Buquoys Fall Newhäßlen ſag/
Was Wunden er ſoll haben.
O Pappenheim! O Pappenheim!
Zweymal thu ich dich nennen:
Biſts gar wol werth/an deinem Schwerdt
Muß man ein Kämpffer kennen.

Pannoniæ terror, poſitis *Tampierius* armis,
Nunc in ſarcophago flebilis Vmbra jacet.
Bellica *Buquoyum* nubes, & ferreus imber
Obruit ad tumulos, terra Bohema, tuos,
Henricus, cuius facies fuit una cicatrix,
Pappennhemiacæ Conditor Hiſtoriæ:
Ille quoque exiguâ preſſus componitur arcâ.
Orbe tamen toto LIBERA FAMA volat.
TAMPIER mortuus: & vetabor omni
Tantum condere funus apparatu?
BVQVOYVS tumulatus; & vetabor
Immugire ferociùs ſepulto?
PAPPENHEMIVS, ille Vandalorum
Terror, Martia ſeculi voluptas,

Eheu! mortuus:& vetabor iram
Fletu mergere tigridi pavendam!
Accedo ad Tumulos;& te,Tampiere, ſaluto;
Cujus deflevit Marſpiter ipſe necem.
Quæ Buquoyani tegit arida Corporis oſſa,
Vrbs illis verè eſt tunc NOVA viſa DOMVS,
Et tu Germanis etiam ſine carmine note,
Qui de vulneribus nobile nomen habes;
Tu quoque (prorumpunt lacrymæ) Bellator ab hoſte
Cæſus,apud Maneis,DVX ALEMANNE,manus.

Scazon LXXII.

An commovebo Saxa MercurI virgâ?
Prodite ſacri TAMPIERII Manes,
Vt vos honoret horreátque Presburgum.
Prodite Manes CAROLI,ſepultique
Mavors coronet fortis oſſa BVQVOII
Prodite tandem,ſtanneâ vel in tumba
Sueco timendi PAPPENHEMII Manes.
Ah! ergo & AIAX iſte noſter occiſus!

LXXIII.

Gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & jactando contra Civitates rhomphæas, Quis ante illum ſic reſtitit? Eccli 46.

Et Tu jaces in pulvere
TILLI verende TILLI.
Veſtite tot victoriis,
Quod denſa barba caniſ:
Equis in vrbem candidis,
Alto vehende curru:
Vatum ſacris horroribus
TILLI canende TILLI.

73.

Wie du ſo gar/wie kans doch ſeyn/
Du Tilly biſt geſtorben:

Wie

Wiewol auß allen in gemein
Ein Helden Nam erworben.
Ach welcher wirdt/wie ſichs gebürt
Dich mit Triumph belohnen.
Phœbus thuts beſt/Gott iſt der mehſt/
Du Glory der Wallonen.
Quæ Fati rerúmque vices! & Tillius ictus,
Vindelicos celebres vulnere fecit agros.
Ille triumphorum Martis certiſſimus Heres:
Ille decus belli, *Caſſis* & *Vmbo* Ducum
Ille in Tarpejas arces ſoliúmque Quirini,
Quadrijugis, miſtâ plebe, vehendus equis.
Ille labor Vatum: cui nec cantatus Achilles
Par ſit & Æneas; vix Gedeone minor.
Eheu! TILLIVS vndequaque MAGNVS,
Famâ, nomine, rebus: imperare
Et parére ſuis ſibíque doctus:
Qui totus *caput*, & *manus*, & *enſis*;
Quovis tempore, fertiles ab hoſtis
Fuſo ſanguine *meſſuit* triumphos.
Hic Ingolſtadii, jacens in arcâ,
SEX INTRA SPATIVM PEDVM TENETVR.
Rumpe dolor leges, & habenas ſperne pudoris;
Mortuus in pheretro TILLIVS ipſe jacet.
Cui *bene dotati* VICTORIA nupſerat oris,
Ad bellatorem ducta puella Virum.
Ex qua tot genuit fœcundâ conjuge Natos.
Quot Capitolinum ſpicula numen habet.
Nunc nunc Herois cane Muſa, ut Statius olim:
Quæ ſuper impoſito, aut *Magnanimum Æaciden*, &c.

SCAZON LXXIII.

Et tu *caballo* vecte *candido* TILLI,
Quem duplicatis *induit* ſagis Virtus;
Manúque duxit per cruenta nimborum,
Per & profunda vulnerum; per & clara
Victoriarum, culmen ad Quirinale:
Iaces jacentem funebri toro vidi.
Sed Fama, VATVM *tibiis* ſtat, & ſtabit.
Ah! nullus Orpheus excitaverit ſurdum.

LXXIV.

Quomodo ceciderunt fortes in prælio? quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica?
2. Reg. 1.

O! vera belli numina,
Et invocanda caſtris:
Delapſa cælo *Fulmina*
In hoſtium phalangas:
Quis non manus exhorruit?
Quis terga veſtra vidit?
NVNC VANA, VANA NOMINA,
NVNC VANA, VANA, VANA.

74.

O rittermäſſig Löwenblut.
O Männer/ wie die Götter!
Die der Feindt gforchten wie ein Rueth/
Ja wie das wilde Wetter.
Bey Sonnenſchein habts gſchlagen drein/
Biß alle vnderlagen.
Jetzt! Maul ſchweig ſtill/ ſags wer da will:
Ich kan vnd mags nit ſagen.

Semidei Manes, magnique ô numinis inſtar,
Sub quorum pedibus terra Alemanna jacet.
Quali vos titulo venerer vel nomine? VIRTVS
Veſtra fuit *fulmen*, GLORIA *fulgur* erat.
Inde timor tantus titubantem perculit hoſtem:
Ipſos in vobis ſenſit adeſſe *Ioves*.
Quos mea Muſa crepas? vbi ſunt tua Numina? quorum
Gloria fulgur erat, ſed *breve fulgur* erat!
Hi, Germania, Dii tui, fuerunt.
His ſubnixa tuos virilis hoſteis
Sternebas, pede colla proterente.
Horum cura labor, brevéſque ſomni.
Potúſque è *galea* rubente Rhenus,
Strictos in jugulum latúſque Regni

Mucro-

Mucrones pepulere. Sed fuerunt
Hi, Germania, Dii tui, FVERVNT.

Trophæa.

Manes: per quorum cineres jurare licebit,
Dicereque; *Iſtius ſic iuvet Vmbra Ducis:*
Sique ſciens fallam, Fulmen me verberet illud,
Quod Cimbros ſtravit, quo fuit icta Praga:
Quo, cum mille locis ſtrages daret, aſpera Virgo
Denique tacta ruit PARTHENO *fuſca* POLIS.
Me miſerum! cur invitus ſuſpiro? quid uror
Fletibus? ô mecum, Lector amice, geme.

Scazon LXXIV.

Hæc eſt *Quadriga Quattuor Ducum*, Martis
Armata ſedes, Cæſarumque Regúmque.
Falcata ſtravit obvios, ſcidit, rupit:
Supérque dorſum perduellium tracta
Sulcavit hoſtes, & cadentibus truncis
Impegit axes lata *fulminatrices*.
Galeate SCAZON, pone gloriæ criſtas.
VAH! quam Quadrigam laudibus *rotas*, fracta eſt.

LXXV.

Idcirco unus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur Eccleſ. 3.

FATVM, RATVMQVE SCILICET,
VT NIL PERENNE DVRET.
Thoraca, criſtas, balthea,
Et caſſides & enſes.
Nexáſque captis vrbibus,
Vt annulis, catenas;
Coërcet arca funebris,
Et *parva tæda* condit.

75.

Das klag ich / daß nichts ewig ſey /
Alls muß am Roßhar hangen.

Gantz

Gantz Regiment/ die Stuck darbey/
Standarten/ Spieß vnd Stangen:
Pollwerck vnd Stätt/ Helm/ vnd Trommet/
Das Roß mit sampt dem Reiter:
Deckt alles zu/ ein Sarck drey Schuch/
Vnd nit bald etwas weiter.

Seriùs adverto, quàm duras *Diphtera* leges
Explicet: IN FATIS EST, PERISSE SEMEL.
Arma feras quæcunque potes: galeámque comáſque,
Enſémque & clypeos obruet alta ſpecus.
Bella geras quæcunque cupis: vexilla viróſque,
Et plauſtra & lituos hauriet una palus.
Proſternas, quæcunque feris: SIMVL OMNIA TANDEM,
VICTOREM ET VICTVM, PARVVLA FOSSA TEGET.

Si mutabile credis eſſe Fatum:
FATO falleris. in chaos profundum
Vergunt omnia Bella, caſſis, haſtæ,
Loricæque, ocreæque & Africanæ
Criſtæ cum liteis ephippiiſque,
Vnâ ſcandapilâ, ſub angiportu,
Congeſtis ſimul obruuntur armis.
Pendent Signifero *iacente* Signa.

Vſque adeò Fatis omnes urgemur iniquis,
Vt nihil ætatem ferrea ferre ſinant.
Miles es, & longo criſtarum fulgure ventos
Perfuris, & pedibus ſparſa orichalca quatis:
Incendis Trojam, & Magden lachrymabile burgum,
In *digitis* numeras prælia geſta tuis.
Ah! ceſſa numerare tuos, MARCELLE, triumphos.
Vltimus in tumulum, te ſubeunte, cadet.

SCAZON LXXV.

STAT LEGE FIXVM, QVA CAVETVR, VT NVLLIS
FAS SIT TRIVMPHIS MILITVM PERENNARE,
Vlyſſem Achillis, atque Vlyſſis Ajacem,
Et baltheorum fulgur, & lacertoſos
Belli Milones, & Milonis umbones,
Ipſúmque Bellum cum fremente Bellona,
SVFFOCAT VNA FOSSA, TRES PEDES LATA.
VAH! MAGNA ſæpe *pumilo* necat VOTA.

LXXVI.

Digitized by Google

LXXXVI.

Derelicti ſumus pauci de pluribus. Ierem. 42.

Si conciderunt Hectores,
Quid non Paris timebit?
Expende ſis ſuperſtites
A prælio PRAGENSI.
Duc calculos, & computa;
Vexilla quot recenſes?
Ter dena? *ſuffla*. ter tria?
Suffla. ſed octo? *ſuffla*!

76.

Weil dieſen vier die Büx verſagt/
Kans einen billich kräncken.
Wann ich der Burſt/die Waffen tragt/
Von Prager Schlacht will dencken.
Summier vnd reit/was noch für Leut
Zum Fahnen ſich verbinden.
Wird vberal/ein gringe Zahl/
Mundiert im Läger finden.

Magnanimi timidíque cadunt, nec parcitur ulli:
Prov ivant acies, ſi periere Duces?
Heu! quantas olim cataphracta *Bohemia*, quantas
Vidit in Albano caſtra locare jugo!
Grandine quàm denſâ Boreas morientia tundit
Gramina; tot gladiis vulneribúſque pluit.
Nempe *novus Xerxes* veterem revocavit ab Orco:
Victus hic ad Pragam eſt; ad Salamina prior.
Vulſis ſtirpitus erutíſque CEDRIS.
Quid ſperent ſalices, frutex, myricæ?
Cæſis Æacidis, VIRENTE LIGNO
Quid *Tros* lixa? quid areſacta *Ficus*?
Animatas animo revolve turmas,
Quas ſub pellibus excubare vidit

Mar-

Marcomannia. quot triariorum
Reſtant millia? *nulla*. nulla? *nulla*.
Et verſetur apud Superos Paris Hectore cæſo?
Et maneat cæſo vivus Achille Paris?
Ordine fata meant ex quo Pragenſe trophæum
BOICVS armipotens ÆMILIANVS habet:
Quære: quot ex ALIS *pennarum* millia reſtent,
STELLA quibus pugnæ prævia ſigna dedit.
Bis duo, ſunt quatuor: bis quattuor, octo: bis octo
Bis duplica. numerum quem data ſumma (*facit*

Scazon LXXVI.

Commune vulnus FATA dividunt. forteis
Viros, ad umbras grex ſequetur imbellis.
Quot PRAGA triplex atque Molda muſcoſis
Inſuſa ripis cenſuit Duces, ſigna
Exercitúſque; cùm LEONE BOIORVM
Hinc RVGIENTE terra movit hoſtilis!
Hinc plena meſſis fluctuavit in campo.
VAH! culmi *inanes* MORTIS HORREVM ſtipant!

LXXVII.

Vanitate ſeducti ſumus. 2. Eſdr. 1.

Protruſit alter alterum
Ad fata, bella, cædes:
Altérque ſe poſt alterum
Subduxit è THEATRO.
Cùm cæteri cataſtrophen
Scenámque finiiſſent;
NOVVM dedit SPECTACVLVM
BALÆNA grandis Orbi.

77.

Ein Fuchs hat gfuchſt den andern Fuchs/
Daß er in Harniſch gſchloſſen:
Fluchs kamen ſie/vnd aber fluchs
Hats auch das Vnglück troffen.

Nach

Digitized by Google

Nach dem die ſach (als wie der ſchach)
Von dem vnd dem zertragen/
Hat endlich praph auch Schwed Guſtaph
Im ſpiel eins dörffen wagen.

Sic eſt. exemplis populi plerique trahuntur;
Præluxitque facem, qui prior arma tulit.
Ergo aliquid Gyaris dignum, quos Spes agit, audent.
Et modò Rex, modò fæx; iſte modò, ille modò.
Non poterat meliùs *Sophoclæa Tragœdia* ludi:
Fingere nil potuit triſtius Euripides.
Vnus poſt alium dixitque, obiitque. Sed inter
Præcipuos, Suecus *Roſcius* Actor erat.
Sic quondam Gladiator in Palæſtra,
Alter ſuſtulit alterum, remittens
Vicino *ſpoliario* cadaver.
Et nos retia RETIARIORUM,
Currus vidimus ESSEDARIORUM,
Cæcos ANDABATAS, vagoſque THRECES:
Cæſis HOPLOMACHIS, & his & illis,
MYRMILLO nova Suecus arma ſumpſit.

Alterna.

Aſpicite Orcheſtram, Germanorumque Theatrum,
In quo luſa diu Fabula *Bella* fuit.
Non omnes luſere ſimul; ſimul unus & alter:
Poſt alios alii; ſemper in Orbe novi.
Legatum Tubicen, Soccum excepere Cothurni:
Cœpit ad extremum *ſerius* eſſe *locus*.
At varia à multis poſtquam Perſona peracta eſt
Ecce tibi, in Scena NAUTA repentè ſtetit.

SCAZON LXVII.

Vt ſtans ad amnem, ſi vel unicus tranet
Taurus, ſequuntur tota plebis armenta.
Sic provocati mugientibus primis,
Remugientes dira bella bellârunt.
Amplexus ulnis arma Vulgus & ambabus
Effudit iras; cumque bobus & bubus
Animam profudit, his ab hoſte porrectis
Vah! quanta ab *alto* SQVAMMA terruit Ripas!

LXXVIII.

LXXVIII.

Et tranſivi, & ecce non erat.

QVINTO Choragus Sueciæ
Prodire cœpit ACTV.
GVSTAVVS *Alto* turgidus,
Et ſpe *laborioſa*;
Audax *Iaſon* FABVLAM
EGIT duobus annis.
Sed mox COTHVRNOS exuit,
Quos induiſſe nollet.

78

Der letzt Herold im fünfften Act
Spricht auff/weil als erretten.
Hat ſein Perſon gantz unverzagt
Auff hoben Schuch vertretten.
Zwey Jahr hats gewehrt/daß er geehrt/
Vil Rumplens angefangen.
Drauff bricht der Stab: ziech Kleider ab:
Nichts beſſers/als heim gangen.

Ille ſub extremum, quo tempore ventilat ignes
Heſperus, in Scenam venit anhelus eques:
Terribilis, vultúmque tumens Aquilone minaci
Quod mirere tamen, *ſerica* verba dabat.
Sed fictos riſus veras mox ſolvit in iras;
Duravitque duos ACTIO TOTA dies.
Cùm ſubitò cecidit cum plauſu exploditur ACTOR.
In Lyrico campo dixit, & occubuit.

Tapanta

SVECVS *Suppoſititius* ſibi ipſi,
Et *Threces* ſimul & ſimul *Secutor*,
Et *navi* celer, & celer *quadriga*,
In *plano* metuendus, *eſſedoque*,
Torvus *caſside*, ſævus & *tridente*,
Poſtquam millia perculit trecenta,
Vno ſuccubuit peremptus ictu.
ET SIC FABVLA DESIIT VIDERI.

Sem-

Somnium.

IS SVECVS GVSTAVVS erat;qui plurimus *Actu*
Quinto,cæruleos æquore plauſit equos.
Mira quoque exhibuit:nam ludebatur *Iaſon:*
Balthica juraſſes Remige ſtagna quati.
Inſula flagrabat non una; Ceraunia fundo
Eruta,Nereides ſuccubuere procis.
Dum petitur VELLVS; dum luditur:ACTOR ab hoſte
Cæditur,heic nox eſt *Ite domum ſatura.*

SCAZON LXXVIII.

GVSTAVVS illâ belluoſus in pompa,
Multæque formæ Proteus;*Bovi ſtella*
Cornuque fortis,atque *Morte* ſtipatus;
Romana poſtquam Prata vidit ingreſſus;
Vaſtum boavit,& replevit Europen:
Quam militari *ventilavit* in Circo;
Vnóque demum corruit Popæ pulſit;
VAH! in *ſecurim*,dum cucurrit,impactus.

LXXIX.

Tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur. Sap.11.

Sic omnis *aura* gloriæ
Afflantis *evaporat.*
Cum nubibus conſumitur,
Cum nubibus rotatur.
Formas in omneis vertitur;
Extrema *Nil* vocatur;
O! QVANTA SPES MORTALIVM
POST VOTA STRANGVLATUR!

79.

O Hoffart/wie lang wehrt dein Kampff/
Dein Ehr/dein Pomp/dein Dichten?
Endlich verſchwindſt wie Rauch vnd Dampff/
Im Gwülck verjagt zu nichten.

In

Jn alle gſtalt verkehr dein gwalt/
Laß dich nur wacker loben.
Wünſch was du wilt/dann wünſchen gilt/
Erlangen ſteht weit oben.

Sic ſtatuat, quicunque ſapit. VANA, OMNIA VANA.
Vana *Fides*, vana eſt *Gloria*, vanus *Honor*.
Creſcit in hydropem, tumidaque repletur ab aura;
ET TOTUM PELAGUS MAXIMA VOTA BIBUNT.
Dic quid *Honor*? glacies, vitrum, cinis, amphora, concha.
Quid? fallax Iris, gemmea bulla, *Nihil*.
I nunc, & **velis** ventos majoribus hauri:
Sed cave, ne Ponto ſparſa carina natet.
Vt quemcunque ſacro ſinu THALIA
Infantem tulit, atque vagientem
Tinxit nectare lacteæ papillæ,
Contactu manuum pedumque palpet
Vanæ emblemata vana Vanitatis.
Ventorum jocus ilia ſunt. in auras
Omnis faſtus abit. *cuniculoſa*
SPES, ut Luna, *timet ſuas eclipſes*.

Clauſula.

Ludimus? an ſphynges & nos proponimus Orbi?
Qui reperis ſenſum; GLORIA, dic, *Vapor eſt*.
Nulla manet conſtans. ut Comica labitur umbra,
A vento facilis prætereunte rapi.
Nubem nunc Aquilam fieri, nunc eſſe draconem
Sæpe vides; ſed cum vanuit, eſſe *nihil*.
SPES quoque, nunc Britonum, ſibi nunc Regina videtur
Indorum: demum ſe videt eſſe NIHIL.

SCAZON LXXIX.

Hæc bracteatæ digna GLORIAE merces,
Styluſque VANAE CURIAE. vapor tranſit,
Et cum vapore fama. ſplendet immenſi
Ampulla plena Nominis. natant verba
In lacte puro; litteræque promiſſis
Argenteæ *incruſtantur* inverecundis.
Valles voventur gemmeæ, aurei montes.
VAH! ſtulta vota Dii Deæque derident;

LXXX.

LXXX.

Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cæl. Eccleſ. 3.

Hac lege quædam condita,
Vt occidant in ortu.
Senſim peritur, interit
Res interire nata.
Omnes ad hæc SVSPIRIA
Ducuntur aut *trahuntur*;
Suis *Comati* crinibus,
Rudentibúſque *Calvi*.

80.

Was auffgeht/das muß niedergehn/
Iſt ſchon ein alts herkommen
Das Berglin/gleichwol in der höch/
Wird nach vnd nach abgnommen.
Gib dich nur drein/es eils doch muß ſeyn/
Kein Fürſt kans anderſt machen.
Der will/der thus; der nit will muß:
Keim thut man Küchlein bachen.

Si potes, accuſa Superos, qui cuncta coërcent,
Inque brevi ſpatio non diuturna rotant.
Diſce. *quod Eſt, ſenſim fluit ad non Eſſe*, periſque.
Omnia, ceu fungos, mors inopina metit.
Quamvis ad Tanaim fugias, neque *nota* COLVMBO
Littora, te retrahet, neſcia ferre moras.
Obſequere: allidit *Calvos* in ſaxa; *Comatos*
Vellicat. Hæc mens eſt optima, VELLE MORI.

Parænesis.

MORTALIS, QVOD ES, ESTO, NILQVE MALIS:
Hoc Natura dedit ſevera nomen,
Non caſſum vel inane; VERA RES EST.
Vitam reddere, DEBITVM vocabis.
Nullâ ſolve morâ, cave, coacto

Vt Proſerpina tondeat capillos.
Sponte occurre; vocantibúſque Fatis
Reſponde intrepidus: *Vocatus?* ADSVM.
Omnia ad interitum vergunt: occaſus ab ortu
Pendet, ab aurorâ veſpera, nóxque die.
Nec quia non ſubitò, neque primâ, exſtingueris horâ,
Tutus es à decima, quæ decimámque præit.
Fortè brevi veniet: Venit; Parere neceſſe eſt.
Ducendúſne manu, an fune trahendus eris?
Mors nulli parcit. MACROS ſua frangit in oſſa:
PINGVES, ut botros exprimit, aut peponem.

Scazon LXXX.

Alterutrum.

Luſtrare Fata cui licebit arcana:
Cognoſcet ille rebus omnibus finem,
Noctem diebus ſemper eſſe decretam.
NASCI, PERIRE; VIVERE AC MORI, PLENA
ET TOTA, NEC MVTANDA SVMMA SVMMARVM EST.
Non ſponte vadis? coget improbus lictor.
Præcurris illum? te ſequetur à tergo.
VAH! ſeu ſequatur, ſeu ſequare, procumbes.

LXXXI.

Non habemus hic permanentem Civitatem.
Ad Hebr. 13.

Erratis, ô ADAMIDÆ
Saxo lutóve ficti:
Si firmitatem quæritis
In vitrea moneta,
Veſtras *caſus* in orbitam
Diverſa Fata gyrant:
Gyrantur ut mapalia
Fugacium Scytharum.

81. Ex

81.

Es iſt deß gantzen Himmels Gfehlt/
Loſt zu ihr Adamskinder/
Wann ihr ſtarck ſeyn vermeint die Zelt/
So bawen arme Sünder.
In Gottes Handt/ſteht ewer Pfandt/
Habt lauter Bawrenhütten/
Die weht er wo er will/wie Stro/
Hilfft weder gwalt noch bitten.

Vſque adeóne juvat falli,& ſuccumbere culpæ?
Dicite Mortales Deucalione ſati.
Atqui falluntur,qui ſplendida fragmina vitri
Præponunt gemmis,marmoribúſque lutum.
Qui fragiles tabulas & ſtructa cubilia culmo.
Credunt à nullo diſſoluenda Noto.
Ah miſeri! Scythicis malim dormire grabatis
Quos *deceies* unó Gens rotat iſta die.
PYRRHÆ POSTERITAS,amica ſaxis,
E quorum caluit ſatu; videtur
Omnem *dilapidaſſe* mentis uſum
Concretam glaciem mariſque ſpumam
Præfert grandibus Indiæ ſmaragdis.
Putrem claſſibus anteponit alnum.
Quas arceis fabricantur hi coloni,
Sunt magalia mobilis Geloni.
Quæ non eſt ſimplex obtuſæ inſania mentis
Errores aliquis decipiendus amat:
Et ſi vendis,emat turres imponit arenæ,
Et paleas rigidi marmoris inſtar habet.
Tanquam ſi nullis(ô Dave!) obnoxia fatis,
Tecta meris ſtipulis ædificata forent.
Cùm tamen à vernâ ſuſpenſus *hirundine* nidus,
Tutior & profugi ſit caſa *Maſſageta*.

SCAZON LXXXI.

Syllogizans.

Contra hoc ita argumentor.
Ille,qui vitro imponit arceis,ſtultus eſt.
Sed imponit homo ſumptuoſus.

Ergo.
Major eſt certa. Minor probatur,
Qui palatium fundat ſaxis, arenâ fundat.
Ergo,
Nam marmor quodcunque, arena eſt,
qualis & vitrum eſt.
Vnde concludo:
Nil diſtare Cæſarum ſedes
à ſede Thracum vel casâ Scytharum, VAH!

SCENA.

poëta, Scazon.

T*Orpere Scazon, & remiſſior nervum arcu notaris defluente laxaſſe.* SCAZON. *Quis me laceſſit?* POE *Qualibus Tropis linguam, quibus imbuiſti floribus, peregrina, niſi fallor, Artis, qua Thalia tam pulcros accendit igneis, ſyllabaſque Romanas variavit Iris & colore conſperſit?* SCA. *Vexas amarè.* POE. *Putidiſſimè verbis abuſus, argumenta Stoico more, ſtringiſque pugno coniiciſque compreſſo Aperta Palma Rhetorum Poetarumque & explicata, liberaliter donat facundia diffuſioris ornatum. At tu Sophorum legibus capiſtratus librata torques ſenſa mentis amento, velut ſagittam. non abominor Sectam: (ſuum cuique quàm virile, tam pulcrum) verùm Poëſi nunc favere debebas; Hera miniſter. Tempori, Loco, Circo, Scenis. Arena fabulam ſuam Priſci accommodarunt. Æra non lupinis, aut caudas equinas miſcuere vulpinis. Id quod* decorum, *ſeu* πρέπον *vocaverunt. Tu perdidiſti nomen.* SCA. *Hoc habe Scazon.*

LXXXII.

LXXXII.

Luxit & defluxit terra, & infirmata eſt, defluxit Orbis. Eſdr. 24.

En totus ORBIS turbine
Quaſſatur & laborat.
Vix ipſe nunc ſe ſuſtinet
Compage diſſolutâ;
Rugis & annis obſitus,
Gibboſus & vacillans:
Iam jam vehendus (*ſuaſerim*)
NAVLVM dedit CHARONTI.

82.

Sichſt nit den gantzen Erdenkreiß
Erſchüttlet vnd zerſpalten?
Die Kugel bricht / fehlt noch ein kleines /
Kan ſich kaum länger halten.
Aller veralt / vnd vngeſtalt /
Wirdt wol kein Himmel tratzen.
O! Welt wiſch auff / es ſteht dir drauff
Der letzte halbe Batzen.

Totus anhela trahit trepidans ſuſpiria MVNDVS:
Hectica ſeu febris, ſive maligna coquit.
Aſpice, quàm tenui facie decreſcat, ut ora
Squalidus ex ſenio pulverulenta gerat.
Vt gelidam frontem ducto ſulcetur aratro:
Vt caput obſtipum pendeat in ſilices.
Exclamare lubet: *mediam pertundite venam*
O medici! Mundus cras, puto, funus erit.
Audis? Terra movet: tremunt ſolutis
Coſtæ ponderibus. vapore clauſo
Subſultant juga: ſilva migrat: Amnes
Effuſis phialis nigri recedunt.
Valles ædificant; ad ima montes
Lapſi præcipitant. vacillat Orbis.

Convaſet. noto ſigna finiendi.
CRAS Corvi crocitant. *petunt cadaver.*

De Caſulis loquimur: cùm tota hæc MACHINA nutet,
Inque modum titubet tortilis acta pilæ!
Antè, Globus fuerat: nunc ſunt quadrata rotundis
Mixta; *nec eſt Orbis, qui priùs orbis erat.*
Non ita fætet anus deformis & unica ruga;
Non ita vulneribus Marſya ſciſſus hiat.
Si bene cognovi morbum, vitalia rumpet;
Venturóque animam veſpere MVNDVS aget.

Scazon LXXXII.

De *Microcoſmi* firmitate quid ſperes?
Si *Macrocoſmus*, TOTVS Orbis, inclinat,
Devexioris mole preſſus ætatis.
Capularis effætuſque, fiſſa, lipporum
Silicerniorum more, labra detorquet.
Et jam fatiſcit, diſſilit, crepat, tuſſit.
Miſerande *Laches*, & caduce tot morbis!
VAH! quis cadaver iſtud obteget ceſpes!

LXXXIII.

Scimus enim, quod omnis Creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc. Ad Rom. 8.

ELEMENTA rerum diſſident,
Secúmque præliantur.
Aquæ dolent ab ignibus.
Occidit unda flammas.
Clangore credas buccinam
Ad arma concitare:
Impacta tantis viribus
Tunduntur & retundunt.

83.

Es wüten die vier Element/
Will eins das ander tödten.

Im

Im Waſſer hat das Fewr ſein Endt;
Fewr will das Waſſer nothen.
Nit anderſt als wanns vmb den Hals
Vnd Ohren Lärmen ſchlügen:
Mit ſolchem grim/gantz vngeſtim/
Thuns gegen ander kriegen.

Quis furor invaſit primarum Corpora rerum?
Quàm rapidum bellum bruta elementa movent?
Devorat ignis aquas,& aquis exſtinguitur ignis.
Perpetuas cædes iſta duella trahunt.
TILLIVS & SVECVS non hoc confligere motu;
Et minor eſt rabies,LIPSIA,viſa tibi.
Non exſpectatis lituis ad bella feruntur.
Fit via vi. leges cedite *fit via vi.*
Audis claſſica?provocantur ære
Ad pugnas Elementa Martiales.
Concurrunt animis acerba tantis:
Quantis cum Machomete Perſa, LVNA
CVM NON SOLE SVO.Pyropus undis
Immiſſus furit:&,ſalis marini
Si vel guttula *vexet*,ultor Ignis
Inflammatur,& excitatur irâ.

Teſſaromachia.

Alternant Elementa vices adverſa,manúque
Prælia,quâ poſſunt, inſidioſa gerunt.
Tellurem mare vaſtat,& hoc mutatur in auras:
Vnda domat flammas,& domat ignis aquas.
Tam rapidè nunquam vidi concurrere tauros,
Cùm novus in pingui mugit adulter agro.
Sed neque tam gladio,quàm ſolo corpore pugnant:
Cuique dat innatus proxima tela furor.

SCAZON LXXXIII.

Elementa pugnant,irruúntque *quadratâ*
Acie ſonora,ſéque fixa diſcerpunt.
Quæ cauſſa motus concitavit hoſtileis?
Audis fragorem?ſtridet ignis & ſævit

Exulceratis fluctibus favillarum.
Tethys viciſſim ringitur. canis gallo,
Et junctа ſerpens ſimiæ, minùs ſe, VAH,
Odere in ipſo *culeo*. quid exſpectes?

LXXXIV.

Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram.
Coloſſ 8.

Quæ MENS ſuperbit ardua
Tales pati tumultus;
Conſurgat, & ſublimius
Evecta libret alas:
Terris relictis æthera
Nullo morante tranet.
Quà VIRGO *libram* ſpiceo
Serena mulcet aſtro.

84.

Wach auff mein Seel/ mein Seel wach auff/
Wilſt dieſem Krieg entrinnen:
Mit Taubenflüglen thue dich nauff
Weit von der Erden ſchwingen.
Wo ſchnell vnd bhend das Firmament
Umbgwelzt die Nacht verkündet:
Wo bey der Waag/ den ſchönſten Tag
Ein Jungfraw angezündet.

Deſperanda quies homini, qui pondere preſſus
Vivit in hoc liteis multiplicante Foro.
Ergo age, quem laſſant mortalis tædia vitæ,
Ad Superas Sedes (eſto *Columba*) vola.
Quid facis in terra, quando tibi panditur Æther?
Aliger huc pennas porrige, NISE tuas.
Te blanda ERIGONE ſtellantibus evocat vluis;
Iam tibi ſcintillat fulgida LIBRA: *Veni.*
Tantò gratius ergo ſanctiúſque
Noſtri conſilium datur Senatûs.
Quem rerum ſapienter infimarum
Tædet: SVRGE, TACE, VOLA. Columbæ

Pennis

Pennis nitere, perge, quà mamillam
Nudans VRANIE, *viamque* pandens
Cæli lactea *lacteam*, ſereno
In ſugentis ſtillat aſtra nimbo.
Qui deteſtatis turbas pejoráque Mundi
Prælia, quàm Cadmi viderit ulla ſeges:
Erige ſublimes vultus, & ad æthera tolle:
Terra nihil pulcri, quod tuearis habet.
Tende gemens turtur Supera ad convexa volatum:
Omnis habet pennas Mens animoſa ſuas.
Quin LIBRAM librande petis? quam SPICA coronat
Virginis, & dulci ſidere plena micat.

Scazon LXXXIV.

Actum eſt, quietem nemo ſperet in terris,
O! qui caducæ Sortis, & quadrigarum
Strepitus forúmque, & cuncta vana faſtidis:
Suſtolle vultus irretorte ſublimeis:
Vtque ales æthram Chaonis ſecat pennâ,
Tranſcende Cœlum patriamque Stellarum.
Vides: ut alma Virgo ventilat Spicam,
Manúmque tendit & coruſcat. *accede.*

LXXXV.

Vidi ſanctam civitatem Ieruſalem, novam deſcendentem de cælo à DEO paratam, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo. Apocal. 21.

Illic licebit ingredi
Summam SIONIS Arcem,
REGNVMQVE NEC MVTABILE,
NEC FINE TERMINANDVM.
Dies ORION ſubmovet
Horáſque ſupplicanteis;
Menſéſque, quamvis ambiant,
Mucrone Lictor arcet.

85.

Dort iſt das Schloß Sion genant/
Hieruſalem voll Gaaben:
Ein Reich gericht im beſten ſtandt/
Kein End wirds jemahl haben.
Wächter ſtehn für/gleich bey der Thür/
Man laßt kein Stund einwiſchen:
April hinauß/Hornung bleib drauß
Mit blenen faulen Fiſchen.

Vranie.

Vrbem intrare cupis? Solymæ cæleſtis in auro
Mœnia fundatæ chryſolithóque patent.
In regno Rex eſſe petis? potiere petiti.
OSTRVM perpetui pignus honoris erit.
Extra anni ſoliſque viæ eſt nobile REGNVM:
Quod nec Aprilis adit, nec mala pulſat hyems,
Ipſe roget *Majus* Zephyro comitante, repulſam,
Cinnama quantumvis ſpiret odora, feret.
Illic (nonne vides?) ſtat urbs Sionis.
PACIS VISIO, Pacis hanc petamus.
Bello nulla ſalus. Supra cometas
Stellis altius eſt perenne Regnum,
Extra mœnia ſunt Dies & Anni,
Et Menſes, male feriata turba.
Veſtitu ſpoliata *nuptiali*:
Haut intrare ſinentur ad choreas.
Illic ſublimis Rupe Stellata SIONIS
Emicat, Angelicis Arx habitata Choris.
Cætera in Orbe rotat vertigo palatia in orbem;
IN QVADRO poſita eſt Vrbs Solymæ a ſitu.
Huc neque *crine ruber* veniet *lumine neque laſus*,
Nec *niger ore* DIES, nec *brevis* HORA *pede*.
Ejus delicias olfecit Cynthia nunquam,
Cynthius olfecit: ſed quid odóris odori?

SCE-

Scena.

Poëta.

Scazon ad aſtra ſubvehende, juratus rixas cavebis, aurium nihil mota. nil fellis atri funde, nil levis monſtra Ciconia, nil dentis illius, ſævi, Quo tot Poetas ſauciavit Hipponax. Sublime quorum contueberis Regnum; nullo tenentur Vanitatis *à viſco. Pro,* Vah! Io triumphe! *ſemper exclama. Inſtar Deorum, nec merentur aut poſſunt, amarulentos ſuſtinere Scazontas. ferire parce, ne potenter in terram dejectus ulules, ſauciique Vulcani renoves probroſum crure pendulo caſum. Niſi utrinque claudicare Loripes malis. Caput piloſum nudus, ac verecundus genuque ſupplex impetrabis acceſſum. ne ſcalpe rugis improbiſſimis buccas; neu pinſe naſum; neu ſonora ventorum imitare flabra murmurantibus labris. Sed os modeſtum gaudioque dilutum, præbe vocanti baſio* Beatorum.

Scazon LXXXV.

IO TRIVMPHE! Regiâ Sionæa
Potimur. ô quàm fulget iſta cœleſtis
SALOMONIS Aula! quàm decora, quàm nullis
Subjecta Fatis. VRBS perennis in *vivo*
Locata *Saxo*, damna Temporum neſcit,
Nullóque circumſcripta termino durat.
Nec caluus hortos Ianuarius tondet:
Nec torret agros igne Iulius meſſor.

LXXXVI.

Foris canes & veneſici & impudici & homicidæ, &c.
Apoc ult.

Non hîc timentur *Attila*,
Non Balthici tyranni:
Nam quiſquis intrat VVandalus,
Miteſcit inſtar agni.
Abſunt procul ſicarii,
Et perditi latrones,
Diríque *Beſtiarii*,
Cruoris helluones.

68.

Kein Attila, kein Schwed kombt her/
Der zornig Trummel rühret:
Vnd was da seynd für Wandaler/
Wie Lämblein man ſie führet.
Mörder/Blutſchlauch/gantz wild vnd rauch/
Keck vber alle wunder;
Kriegsguralen/Thier auff allen viert
Die ghören all beynnder.

Quò neque vaſtator Mundi penetraverit Hunnus
Attila, nec rapto VVandalus hoſtis equo.
Quòd ſi quis penetret; nullâ feritate timendus,
Depoſitóque lupo, mitis ut *agnus* erit.
Qui Diomedis equos ſatura ad præſepia ducunt,
Qui patriam vendunt, proſtituúntque toros:
Qui jugulos ſolvunt: quorum omnis, *Beſtia*, vox eſt:
Cum genero Cereris tertia regna tenent.

Interdictum.

Ignavus timor exſulat: nec aurem
Hoſtileis *Eleleu* ſonans per agros,
Vel ſtridens *Alalaza* verberabit.
Nec Sueci ſuper irruent, *lupi ceu*:
Nam Mœris *prior* hos videbit Agnus.
Quiſquis *Syllaturit*, paratus ipſas

Fixâ vendere nuptias ſub haſta:
Cæleſti procul Vrbe submovetur.
Balthica nulla ſtrepunt ad clauſas tympana portas,
Nec peregrina movet Suecicus arma furor.
Intus quiſquis habet, genio manſuevit amici.
Talem ſi videas, eſſe putabis ovem.
Hinc procul arcentur, qui fletum undamque calentem
Sanguinis, ex calvis uberibuſque bibunt:
Inter ſandapilas & fæmineos ululatus
Quærendi, & matrum funera, & oſſa patrum.

Scazon. LXXXVI.

Io triumphe! non timentur hîc Gothi
Inhoſpitales, turbineſque Gustavi.
Eſto: Hunnus intret doctus antè rugire,
Mox mitiore blandus ore balabit.
Quicunque Iuſti ſanguinis vomunt rivos:
Scinis, Procuſtes, Turca, Thrax, Amurathes,
Phalaris, Perillus, belluæ coronatæ,
Plutonis *imo* collocantur in *plumbo*.

LXXXVII.

Et regni ejus non erit finis. Luc. 1.

Æternitas obambulat,
Sanctamque cingit Vrbem:
Et Inquilinos *gaudiis*
Gaudentibus coronat.
Vivis pyropis Civium
Stellata ſurgit. Aula:
Electus *Horum* Vivere
Qui vivit, *Ille* Vivit.

87.

Die Ewigkeit geht auß vnd ein/
Rund vmb die ſtatt ſpatzieren.
Da iſt kein zanck/kein mein/kein dein/
Ein Kron kan alle zieren.
Ein ſaal darin/den Seraphin
Vnd Cherubin vmbgeben.

Mit einem wort/in dieſem ort
Iſt/ Amen/ gut zu leben.

Vivitur æternùm lætè. Deus omnibus illis
Imperium felix *& ſine fine* dedit.
Exſultant plauduntque animæ; ipſarumque Animarum
Quas animent, aliæ GAUDIA ſunt ANIMAE.
O Cives, Cives! O jus regale Quiritum!
Quis non divitiis omnibus iſtud emat?
Seraphici Cives, electi ex millibus omnes.
O ANIMÆ! QUARUM GAUDIA SUNT ANIMÆ.
Nemo TERMINUS hic vocatur. Vrbem
Florentem, ſine T*ermino*, gubernant
Centum gaudia ſumma gaudiorum,
O! quæ gaudia ſumma gaudiorum!
Mille ô gaudia mille gaudiorum!
Vivamus, mea Lux, in hoc receſſu.
Vivamus, mea Vita, in hac corona.
Sanctorum pretioſa Mors, adeſto.
Tempus ab indigenis, quod vivunt dicitur ÆVUM:
Nec vitæ metas, nec ditionis habent.
Miraris, quid agant; gaudent. non quæritur illic
Sollicitè, *lætas quid faciat ſegetes.*
Sponte ſua creſcunt, Saturni falce premendæ.
O! felix Campis Meſſor in Elyſiis.
Namque ubi de meritis, glebaque ex ubere, tantùm
Læta ſeges metitur, VIVERE LAETITIA EST.

SCAZON LXXXVII.

Synonyma.

Io TRIUMPHE! *Sponſa* cum ſuo *Sponſo* eſt,
Æternitatis ANNULUS manus ambit.
O LÆTA VITA! VIVERE ATQUE GAUDERE
TAM SUNT IDEM, QUAM CUSPIS ENSIS, ET MUCRO.
Magni QUIRITES, Chriſtiana quos Roma
Tranſmiſit aſtris Cælitum Senatores;
Illi beatæ Publicæ Rei præſunt
Quæ vota vincit & *Platonis* ideas.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine Virtutum: Pſal. 83.

Ibi *Venuſtas* pulcrior
Non excavatur annis:
Ibi *Iuventa* lætior
Non læditur ſenectâ:
Ibi *Voluptas* purior
Nullos timet dolores:
Nec expaveſcit Martios
Palmata *Pax* fragores.

88.

Der ſchön da iſt/bleibt allzeit ſchön/
Laſt nur ſein Frülling walten.
Keim Alten fallen auß die Zähn/
Dort grünens erſt die Alten.
Sie frewen ſich/frey ſicherlich/
Vnd förchten gantz kein ſchmertzen:
Ohn vnderſchid/iſt lauter frid/
Mars dörfft hie gar nit ſchertzen.

Quæ roſa ſidereis in vultibus aurea vernat,
Nunquam cum *roſis* decidet illa roſis,
Perpetuum florem ſervat iuvenilibus annis;
Nec tremet, aut ullo veſpere fiet anus.
Puris ora favis implentur. Dicite iusto.
Quam bene: cùm ſemper gaudeat abſque metu.
Claſſica, bella, foris ſtrident. Pax intus amœna
Se redimit, ſertis; claſſica, bella foris.

Paradoxum.

Et ſunt hîc *veneres* (Venuſque non eſt)
Et quæ ſunt veneres, manent venuſtæ.
Et ſunt hîc *Iuvenes* (ſenexque non eſt)
Et qui ſunt Iuvenes, ſenes videntur.
Et ſunt *lætitiæ* (dolorque non eſt)

Quæ

Quæ ſe lætitiis fruuntur ipſis.
Et PAX tuta ſuos [timorque non eſt]
Veſtit *duplicibus togis* triumphos.
Quis decor æquabit florentia corpora Divûm ?
Quæ ſi Sol videat, protinus invideat.
Quâm bene ter denis addunt tres inſuper annos !
HAEC AETAS CHRISTI. pulcrior eſſe poteſt?
Quod juvat, illud habent : nulli licet edere votum ;
Ante tamen quodvis omnia habere licet.
Quidquid terret, abeſt. exacto Marte, triumphum
Cum diademato PRINCIPE PACIS agunt.

SCAZON LXXXVIII.

Genethliacon.

Io TRIUMPHE! certa, nec fugax formæ
Durat venuſtas, ut Caryſtium Marmor,
Coma. quaſi Corvus, nigra floridæ Gentis,
Nullo ſenectæ deſtruetur à Cygno.
Ludunt in hortis Gratiæ, Voluptates
Caſtæ ſonoras ſemper alluunt ripas.
CUM MARTE FESSO PAX IOCATUR AC RIDET:
Et per plateas *Alleluja* cantatur.

LXXXIX.

Et mors ultra non erit. Apoc. 21.

Ibi nec ardet ILIUM,
Nec fumat ulla ROMA.
Gemmata propugnacula
SECURITAS tuetur.
Poſtes *Sacri Palatii*
Sunt ſemper obſerati.
QUOD POSSIDENT, HOC POSSIDENT,
QUI POSSIDENT, BEATI.

89.

Sey er ſo keck/ fang händel an!
Laß heimblich Fewr einlegen:

Kein gwalt die Veſtung gwinnen kan/
Breda iſt nichts dargegen.
Keim andern nit/auff keinſen bitt/
Thut man die Pfort auffſchlieſſen:
Seligen hie verlieren nie
Die güter/der ſie gnieſſen.

Topographia.

Sic decuit: tutò tenet, æternumque tenebit:
Finitas *nullo fine* Beatus opes.
Nulla timent adeò Cives incendia: Cœlum
Empyreum, flammas non niſi Amoris habet.
Tam ſunt ſecuri, tamque hoſtis ab igne remoti,
Vbi ſibi nil metuat proximus Vcalegon.
Agnus ſignavit portas *adamante*: nec *Hirci*
Vllus eum ſolvet comminuetve cruor.
Arces Auſoniæ valete Trojæ:
Turres Dardaniæ valete Romæ:
Vos & viribus & viris poteſtis
Exſcindi, *ſonituſque ferre ſliva.*
Ad cæleſtia Nemo post aratrum
Venit respiciens: nec ulla cives
Vis turbare valet. minetur hoſtis.
Clausa est ianua. Clavis intus, *Acuum eſt.*
Vrbs ſecura ſui. fallacem finge Sinonem
Turribus Iliacas ſubdere velle faces.
Nempe poteſt? nempe ullus erit? ſubnixaque gemmis
Mœnia, Trojani machina ſcandet equi?
Atqui clauſa ſemel, nunquam Bellona recludet:
Cœleſtes *ſapient* nec tibi *ſerò Phryges*
Certa ſalus, ſemperque manu poſſeſſa tenetur.
Scilicet hîc tineas Purpura nulla timet.

Scazon LXXXIX.

Io triumphe! nam parem ſitu, formâ
Vrbem, nec *Hector*, nec *Camillus* aſpexit.
Cui totus Orbis comparatus, eſt *nidus*.
Et margaritis ſtructa candidis porta
Nequit arietari, machinisve pulſari,
Petive ſcalis, turribusve terreri.

Curule

Curule firma ridet omne tormentum.
QUOD POSSIDETUR, POSSIDETUR ÆTERNUM.

XC.

Ego oſtendam omne Bonum tibi. Exod. 33.

VNO BONO, ſed OPTIMO,
Sed MAXIMO fruuntur.
Exundat immenſum MARE;
Venaſque *littorales*,
Ripaſque tranſit pectorum
DULCISSIMUM PROFUNDUM.
PORTUM tenet, qui *mergitur*:
Nam *fluctus* eſt AMORIS.

90.

Das einig Gut/ das wahre Gut/
Das beſte Gut zu dencken/
Sich wie ein Meer außgieſſen thut/
Vnd reine hertzen träncken.
Ein Meer/ ſag ich/ ſüß vber Milch/
Süß vber ſuß für frewden;
O/ wohl dem/ der in dieſem Meer
Wird gar ein ſchiffbruch leiden.

Finge Bonum quodcunque voles, & quanta cupido eſt,
Finxiſti? hoc *Melius*, hoc quoque *Majus* habent.
Oceanum junge Oceano, vaga flumina ponto.
Iunxiſti? hæc *gutta* eſt illius una Maris.
Plena *voluptatis* ſpumat *torrente* procella.
Gaudia lacte tument, pectora melle natant.
Felix, ô nimiùm felix, hoc æquore merſus!
Inſanit, qui vult hîc quoque nave vehi.

VNUM, (ô plurima!) poſſident BEATI.
VERUM, (ô dulcia!) poſſident BEATI.
BONUM, (ô optima!) poſſident BEATI.
SUMMUM. (ô omnia!) poſſident BEATI.
Qui cœlo fluit effluitque *Nilus*,

Ripas

Digitized by Google

Ripas deliciis inundat alte,
Et fundo caret: ejus inveniri
(Haut eſt fabula) non poteſt ORIGO.
Non oculus vidit, non audiit auris; & in cor
Nunquam deſcendit COPIA TANTA BONI:
Inque ſcrobem parvam citiùs maria omnia cogas,
Tyrrhenum, Adriacum, Carpathium, Siculum.
Hoc *Immane* BONUM non littore clauditur ullo.
Egreditur ripas lætitiiſque *fremit*.
Dulcis Somne veni, precor, & me dejice puppi:
O Anchiſiades, HIC PALINURUS ERO.

SCAZON XC.

Cornucopia.

IO TRIUMPHE! *Verum*, & *Unicum*, & *Summum*
BONUM, refuſis fontibus ſuper campos
Animoſque fertur, cuncta Numine *involvens*.
Ingurgitantur pectorum ſinus vaſtâ
Amœnitatis copiâ: ſupernorum
Dum gaudiorum decidunt catarractæ?
Lateque regnat delicata tempeſtas.
MERGAMUR OMNES, UT NATEMUS IN PORTU.

XCI.

In lumine tuo videbimus Lumen. Pſal. 35.

Illuſtre LUMEN GLORIAE
In Mentibus refulget.
Quo NUMEN aſpectabile
Medullitus videtur.
Soluta ſunt Ænigmata,
Velamen eſt reductum.
Nullis Prophetis indigent:
Sunt ſinguli VIDENTES.

91.

Es wird die Sonn allhie zu Lande
Das Liecht der Glory gnennet.

Das

Das ſchönſte Angſicht der Verſtandt
In dieſem Liecht erkennet.
Was duncktel war/wird alles klar/
Weit vber d' Morgenröhten.
Das kleinſte Kind/das dort ſich find/
Weiß mehr als all Propheten.

Sed quis deſcribat LUMEN, quod GLORIA donat,
Menſum ponderibus, GRATIA DIVA, tuis:
Quo FACIEM à nullo factam, velamine rupto,
De *facie ad faciem* MENS OCULATA videt;
Infuſumque bibit cum toto Numine cœlum,
SOL talis potûs unica gutta foret.
Sat dixit, qui de divino nectare dixit:
Sol talis potûs unica gutta foret.

Circumdat, penetrat, coronat omneis
Regis Gratia, GLORIAEQVE LUMEN.
Vrbs ſpectacula ſemper intuetur,
Quæ ſummus facit EDITOR, ter Vnus:
Totuſque eſt Animus ſibi Theatrum:
In quo, ſipario videt remoto,
PULCRUM GRANDE NIMIS, NIMISQUE PULCRUM:
PRÆ QUO CÆTERA PULCRA SUNT SEPULCRUM.

Per nitidas mentes diffundit GLORIA *lumen*,
Quo LUMEN majus ſplendidiuſque vident.
IMMORTALE, SACRUM, INFINITUM, ÆTERNUM, IMMENSUM,
LUMEN DE DULCI LUMINE DULCE, DEUM.
Omnia noverunt; metrique *Ænigma* ſequentis
Solvere quiſque puer, quæque puella poteſt.
In cælo Vatis locus eſt, [Solve Oedipe] *Vati*
In cælo non eſt [Oedipe Solve] *locus.*

SCAZON XCI.

Io TRIUMPHE! Quale LUMEN! ô quale
Quantumque Mentes *roborat* Beatorum?
Deus videtur in Sion, DEUS, QVALIS

QUAN-

Quantusque generat, cumque filio
spirat.
Implevit omnes glorioſa Majeſtas.
Metam VIATOR comprehendit: ambages
Oraculorum nil moratur & linguas.
Contentus Uno vivit unico verbo.

XCII.

Non egebunt lumine Lucernæ, neque lumine Solis,
quoniam Dominus Deus illuminat illos.
Apoc. ult.

Calcant globum Titanium,
Lunamque vorticoſam,
Altam Gradivi lanceam,
Cyllenii galerum;
Errantis igneis Feminæ,
Iovem,Ioviſque patrem.
Lambunt pedes Tonitrua,
Et ſupplicant Beato.

92.

Die höchſte Gſtirn/die vmbher gohn/
Ligen bey ihren Füſſen.
Seind ihren Herrn vnderthon/
Müſſens all morgen grüſſen.
Sittſam/barhaupt/ſeins gwalt beraubt
Steht Jupiter von ferren.
Wann er nit holdt/viel donnern wolt/
Ich mein man würd ihn lehren.

bter anhelantes ſtrident *Hypecionis* ignes,
Et vinci roſeis *Luna* fatetur equis.
linat galeam *Marors*, criſtaſque remittit;
Mercurius prono dedicat ore jubar.
endata *Venus* blanditur ſidere caſto,
Parvula nec terret *frigidus* aſtra ſenex.
tus inermis agit vacuas ſine murmure nubes,
Vimque retorquendi fulminis ipſe timet.
Hic verum reor id Maronianum:
Daphnis ſidera calcat, aſtra Daphnis.

Scintil-

Scintillantia, Luminoſa; calcat
Daphnis ſidera, calcat aſtra Daphnis.
Sive *Erratica*, ſive *Fixa*; calcat
Daphnis ſidera, calcat aſtra Daphnis.
Sive *Immitia*, ſive *Blanda*; calcat
Daphnis ſidera, calcat aſtra Daphnis.
Inferiore viâ plantis Sol baſia figit:
Quæ tamen ipſa nequit figere, Luna ſoror.
Bellipotens, junctuſque comes Cyllenius Ales,
Sidera diſtantes ambitioſa movent.
Quæ vaga cœleſtes Pellex *effeminat* orbes,
Hæc cum Saturno victa recedit avo.
Iuppiter exambit *ſupplex* cinctuſque, Beatos,
Si modò permittant, *lacte* lavare pedes.

SCAZON XCII.

IO TRIUMPHE! clarioribus Divi
Suppoſta plantis, aſtra fixa deſpectant.
Citherea, Conjux, Falciger, ſatus Maiâ.
Famulatur *error* omnium planetarum.
SOL ſe fatetur uſque *ſepties* vinci,
Supplex Chorago LUNA ſe ſuo *lunat*.
Iovis *ira* nulli noxios facit ludos.
Et cùm tonare vult, capit facultatem.

SCENA.

Poeta, Scazon.

SCazon SCA. *Poeta* POE. *Non gemis? revertendum eſt ad Vanitatis orbitam theatralem.* SCA. *Eheu!* POE. *Sub auras.* SCA. *Quid minaris?* POE. *Ad terram.* SCA. *Ah! ad paludes priſtinas, & antiquum Chaos, & labores, Seculumque ferratum.*

Vbi nullus ordo, nulla mentio Pacis.
POE. *Vbi ſolus horror, ſola mentio* Belli.
SCA. *Vbi nulla puro Templa Cynthio fulgent.*
POE. *Vbi fædus circum ſepit antra caligo.*
SCA. *Vbi nulla certis ducitur* Salus *bigis.*
POE. *Vbi ſola ſpes eſt, Spes inanis & fallax.*
SCA, *Vbi* morbus *urit &* Febroniæ *fornax.*

POE. *Vbi*

Poe. *Vbi* Prætor *urget & cruenta* Paupertas.
Sca. *Vbi* Ver *moleſtis corpus inquinat nimbis.*
Poe. *Vbi fallit* Æſtas *noxiis rubens ſpicis.*
Sca. *Vbi fabuloſus ora fraudat* Autumnus.
Poe. *Vbi* Bruma *quernas ructat ad focum glandes,*
Sca. *Vbi* Terra *cedit, & Calabrias ſorbet.*
Poe. *Vbi mergit* Vnda *cum rudentibus naves.*
Sca. *Vbi Craſſus* Aër *lixidas creat peſtes.*
Poe. *Vbi ſævit* Ignis, *ſæva ſulphur eructant.*
Sca. *Vbi* Mors *timenda lubricam facit vitam.*
Poe. *Vbi* Vita *ſæpe ſit timenda præ Morte.*
Sca. *Vbi* Cura *dulces pellit è toro ſomnos.*
Poe. *Vbi* Somnus *ipſe ludit anxias mentes.*
Sca. *Vbi purpuratis inſidet* Scelus *ſellis.*
Poe. *Vbi pulcra curvos poplites trahit* Virtus.
Sca. *Vbi ſi quieſcis, inquiete* terreris.
Poe. *Vbi, ni quieſcas, præ dolore* tabeſcis.
Sca. *Vbi ſola* Vanæ *pompa* Gloriæ *ſtridet.*
Poe. *Vbi rara* Veræ *forma* Gloriæ *floret.*
Sca. *Vbi* Faſtus *urſi, debiles premit caulas.*
Poe. *Vbi cæde pingues ſtringit* Ira *mucrones.*
Sca. *Vbi culter enſi, fagus invidet Cedro.*
Poe. *Vbi ſe* Libido *ſcalpit. & jecur torret.*
Sca. *Vbi ſunt guloſi, quos* Orexis *irritat.*
Poe. *Vbi regnat Hydrops &* cupido *nummorum.*
Sca. *Vbi* pigra *putri gleba ſtertit in fano.*
Poe. *Vbi* Cræſus *inſtar gryphis incubat gemmis.*
Sca. *Vbi pallet æger* Irus, *& petit micas.*
Poe. *Vbi Dives omnes impudens* emit *villas.*
Sca. *Vbi preſſus ære liberos Pater* vendit.
Poe. *Vbi* Caſtitati *vis paratur occulta.*
Sca. *Vbi* Virgo *certat; rara certat & vincit.*
Poe. *Vbi* mille *lenæ, mille tranſvolant ſcorta.*
Sca. *Vbi ſi petatur,* nulla *naſcitur proles.*
Poe. *Vbi non petenti* triſte *vagiunt cunæ.*
Sca. *Vbi tot* Sigæos *una decipit Dido.*
Poe. *Vbi* Nupta fictis *lachrymis viros effert:*
Sca. *Vbi Vir* cachinnans *mortuam ſolo mandat.*
Poe. *Vbi per ceraſtas quæritur Reis* lucrum.
Sca. *Vbi tot venena* temperantur *in concha.*

Poe. *Vbi*

by Google

Poe. *Vbi tot lacertæ potione* miſcentur.

Sca. *Vbi Mars habenas* laxat, *& fidem* rumpit.

Poe. *Vbi de ſepulcris* litigant *vagi Manes.*

Sca. *Vbi* Proditores *hinc & inde diſcurrunt.*

Poe. Scazon. *quid horas perdimus? manus* Fato *Caloque demus, & monente* Natura, *adverſa ſortes corrigamus humana;* fortes ferendo fortiter: Deo *digna Mens & probata, cum vocaverit* Numen, *redibit illuc.* De *mari Voluptatis ſat prata jam bibere. claude manantes rivos: ab aſtris devolutus in terras.* Io triumphe *mitte:* Vah *reſumendum, &* Ah, *&* Eheu! *vallibus nimis nota voces. Adamo conſonant & uxori. Quæ flentis* Echus *ac gementis* EVÆ? VÆ.

XCIII.

Væ, Væ habitantibus in terra. Apocal. 8.

Infra *Planetas* infera
Potenter attonantur.
Noſtri maris Ceraunia
Cauteſque verberantur.
A *planta* uſque ad *verticem*
Vix ulla ſana RVPES.
Vt infremunt! ut ejulant!
Optentque *vallis* eſſe!

93.

Auff Erden ſchlag er dapffer drein/
Dort wirds ihm niemand wehren.
Werff Ætnam ein/es kan wohl ſein:
Die Berg mag er umbkehren.
Strahl/Wolckenblitz/und Hagelgſchitz
Sehr hart die Felſen klagen:
Wie jämmerns nit! wie brumlens mit!
So offt ihr Buckel gſchlagen.

In quercus & monſtra maris fabricata Cyclopum
Tela cadunt, Siculo raptus ab igne labor.
Quid magis accuſant Ægæo in gurgite Nautæ?
Et qui Tyrrheno dant ſua vela freto.
Semineces redeunt fractis ad littora proris:

Ipſa

Ipſa tonitrali ſulphure ſaxa crepant.
Da vocem ſcopulis; clamabunt; *parcite nobis*
Fulmina. jam toti funera pene ſumus.

Hic verum reor illud eſſe FLACCI:
Diſcurrunt, *Feruntque ſumma ſummos*
Montes fulmina Quæ tumultuoſis
Subſunt nubibus, illa præ dolore
Strident tacta, furiúntque, mugiúntque.
Fertur *Caſpia* concidiſſe cautes,
Et *Marpeſia* perdidiſſe coſtam,
Et trunco *Rhodope* labare vultu.

Improba frenatos equitant quæ FVLMINA nimbos,
Aſpera ſulphureis colla capútque jubis;
Infra cum ventis habitant, pontóque vagantur,
Et trepidos Nautas ad nova vota trahunt.
Dejicienda tremunt Maris Acroceraunia latè,
Contorto quoties crine triſulca volant.
Quàm non falſa canam, noverunt grandia Cete.
Illorum in DORSO cuditur iſta *faba.*

SCAZON. XCIII.

At vos in alto, vos miſerrimæ RVPES,
In queis tumultus excitant truces *Venti*;
Et Orgiorum feſta ſaltitabundi
Rotant trapeta; vos Iovis ſupra dorſum
Tonantis arma ſuſtinetis Ætnæa:
Vultus, & *ora*, *verticemque* contuſæ,
Ruptæque *cor*, & ſaxeum *diaphragma*.
VAH! Pindus omnis ignibus ſacris fumat.

XCIV.

Qui amat periculum, in illo peribit,
Eccli. 3.

Diſcriminum tot agmina
Per aerum feruntur:
Quot vere primo convolant,
Et concinunt alaudæ.

Denſis pluit periculis,
Et grandinat ſagittis:
Quarum *ſcopus* præfigeris,
Et meta deſtinaris.

94.

Der gfahren ſteht ein gantzes Heer
Mit auffgeſpannten Hanen.
Sovil Sandkörnlein in dem Meer/
Deß will ich dich ermahnen.
Mach nur bald Füß/ es thut gar Spieß
Vnd Helleparten regnen.
Du biſt im ſtich/ vnnd trifft man dich/
Kanſt dir das Bad ſelbſt gſegnen.

Si numerare potes flores fragrantis Hymetti;
Innuba quos verno tempore carpit apis:
Tunc etiam poteris ſegetem numerare malorum,
Maxima quæ creſcit? fortè *metenda tibi*.
Iuſſa injuſſa, diu noctuque pericula, denſo
Cum nimbo, in terras præcipitata ruunt,
Quo minimè credas, jaculum torquetur ab arcu.
Elige: nam fies aut *Scopus*, aut *Pharetra*.

Non efflas tot anhelitus vel ore,
Vel naſo! neque tot pilis Iopæ
Criniti caput obſidetur atrum:
Quin diſcrimina plura te ſequantur,
Incingant, comitentur, antecedant,
Pectus, terga, latus, caputque pulſent,
Vis, credo, numerum putare? ceſſa.
Vincet copia. *ningit his ephebis*.

Nec vigilas, nec aperta mevent diſcrimina rerum?
Vt conferta ruant undique nonne vides?
Nec mare tot guttas, Libycum nec littus arenas,
Ováque tot piſcis, gramina campus habet.
Fulgurat ah! fulgur fors *dextra* tonitrua portat.
Intonat. ah! tonitru fulmina clauſa gerit.
Fulminat ah! quæ te Laurus ſervaverit arbor.
Conde caput: lapidum ni ſcopus eſſe velis.

Digitized by Google

SCAZON XCIV.

RES EST PERICULOSA, VITA MORTALIS.
RES EST SEVERA, QUÆQUE CONSTET IMPENSIS.
Exibit Orbe, quiſquis omnium vexus
Vitare vult diſcriminum. tot & tanta
Latent paténtque. *aperta* peruolant auras:
Natant in undis *cæca*, quà pedem tolles,
Hærebit uncus, poſt ephippium CVRÆ,
Poſt tranſtra CVRÆ, ubique VAH! ſtriges CVRÆ:

XCV.

Inveni amariorèm morte mulierem.
Eccle. 7.

Contendit arcus ſtridulos
Salax puer CVPIDO:
Linítque ſucco ſpicula
Pejore, quàm *Noverca.*
Tu fixus excuſſiſſimâ
Amas, turíſque, cannâ:
Sed manè ſentis VVLTVREM
In corde ſævientem.

95.

Von ſo vil Sig Cupido ſtoltz/
Ein Daußes vber dmaſſen.
Schießt öffter ein vergifften Boltz
Durch alle Weeg vnd Gaſſen.
Du wirſt berúht/vnd gar verfúhrt/
Vnd ſelbſt das/was vergifftet.
Zu Morgens nagt der Wurm/ vnd ſagt/
O Gott: was hab ich geſtifftet.

Ales Acidalius, ſoboles inceſta, CVPIDO,
Vellere cygnæo tectus ubique volat.
Væ Regno, cuius Rex eſt Puer iſte ſagittam
Dirigit, & pharetræ *pondera blanda* jacit.

Lædor ais, lædíque juvat: nil dulcius iſto
Vulnere: feſtivo pectoris igne fruor.
Demens: ſi neſcis, fluidâ quæ Cypride putres
Dilaniet fibras, & populetur *Avis*.
Non crudos minitor Getas, viróſve
Natos robore. diſce PVSIONEM
Præverti, toties (ſcit ipſa Mater)
Fornacis meritum calentis *ulmum*.
Hunc pſyllum fuge. Spiculum CVPIDO
Intentat; fuge: polluit veneno.
Hoc inſanus amas, bibíſque, & *ardes*.
HEU! CUR EST TIBI POENITERI
TANTI?
Eſt aliquis leno Citherea pellice natus,
Aurea, & ex plumbo *levia* tela gerens.
Ore Puer, Thrax ſævitiâ, Mars robore, Parthus
Ejaculante manu, dictus *Amarus* AMOR.
Occidit, quemcunque ferit. nam pectora parvâ
Tangit acu, & verè pectora *tangit acu*,
Ah! quid amas mortem, gaviſus vulneris æſtu?
Cras pœnam Tytii Vulturis eſca dabis.

SCAZON XCV.

Audis? Iocari non licet. PVER telum
Fibris minatur ſi receperis fixum,
Fixum eſt, periſti. Suxit aſpidum virus.
Furens calore Thaidos tuæ gaudes,
Et igne Cypri dulce vulnus *irritas*:
Sed mox ANVBIS *latrat* imus in corde.
ET donec ardes, adque *Ianuam* ploras:
VAH! TE CUPIDO STANS IN ANGU-
LO RIDET.

XCVI.

Statue cultrum in gutture tuo, ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacii.
Proverb. 23.

Conviva quadram diſcute;
Dapes *Olent* Avernum:

Ne

Ne ſæva mandas oſtrea,
Oſſaſque *Claudianas*.
Iugulat Falerna Sardonyx,
Nux plena *Maſſicorum*.
Et gemmeis, & fictili
Potabis id,quod ODI

96.

Iſt noch nit gnug/merck auff den Tiſch/
Was dir der Koch möcht ſchicken.
In Knüdlen/Nudlen / Fleiſch vnd Fiſch/
Kanſt deinen Todt ein ſchlicken.
Vom beſten Wein/ kanſt truncken ſeyn/
Drauff d Stiegen aberfallen.
Für ſolchen Moſt/der ſovil koſt/
Wünſcht ich ein Waſſerſchnallen.

Nondum te monui,quanti connivia conſtent,
Menſáque ſuſpectis inſidioſa favis.
Nonnunquam *hippomanes* coctum apponetur in auro;
Et quem *boletum* Claudius edit,edes
Muſtum bis *Stygiâ vappâ*,bis ſulphure tinctum
Sæpe,licet nardo porrigit uncta manus.
Atqui damnares Bacchum, qui in poplite peſtem,
Vel deſperatum pectoris *ulcus* habet.

AD CONVIVIA PRINCIPUM VOCATUS
CULTRUM APPONITO GUTTURI; VEL
ENSIS
SUSPENSI MISER EXPAVESCE SETAM.
Neu libes data liba : *Mors in olla eſt*,
Si libes ; erit , OLLE, *Mors in Olla*.
Pulli palpitat uda frons equini.
Vvis dulcibus innatant rubetæ :
Has Ventres ſaturi mero cavete,
Ac quoties menſæ accumbens cœnaveris *Ovum*,
Dic tecum : venient jam mihi *Mala* mala.
Pro dape POLLVCIS,*pollutum* ab Erynnide ſumen,
Gorgoneóque ſcatens crine vorabis olus.
Si tua fronte caret *meretrix ſitu*, & bibit omnem
CELLAM ; tandem etiam Colchica vina bibet.

A facie Colubri, gemmáque agitante Venenum,
Tutior inter aquas nat mea *Virgo ſitu.*

SCAZON. XCVI.

Fidens coronis omnium popinarum,
Edet bibétque, dum *vomat* BONAM MENTEM
Vitámque, potaturus obviam Lethen;
In auro, in oſtro, in ungula propinandam.
Caper ſtat extra poculum : ſtat hoc intra
Fortaſſe major, & coniſcat, & *fatet.*
Ipſum cerebrum ſi Iovis tibi Iuno
Apponat, *eſſe* parce. VAH! Venenavit.

XCVII.

Coronemus nos roſis, antequam marceſcant : nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Sap. 2.

At tu roſis circumdate
Viator in popina,
Diis lætus indignantibus
Cuticulam ſaginas:
Ceu non foret CVM PLVRIMIS,
Ad plurimos eundum:
Sed in *via pes Appia*
Probandus ad choream.

97.

Vnd aber du zechſt nur deß baß
Auff bidten vnd auff borgen.
Saufſt Nägelwein / vnd Hippocras/
Vnd laßt gut Vöglein ſorgen.
Als wann kein Gott/die Höll/ der Todt/
Der Himmel nur erdichtet:
Vnd wäre ſchon der Bottenlohn
Mit dantzen außgerichtet.

Interea Sybarita roſis & meſſe Sabæâ
Oblitus, in thalamo deliciiſque cubat.
Iratis fruitur *Divis*, ventríſque ſuburram
Commovet, & *totum* devorat VNVS aprum.
Nam quid ei VIRTVS, quam cenſeat aſſe minoris?
Cui Styx, & pœnæ ſub Styge, ſint *apina.*

Prima

Digitized by Google

Primaque cui cauſſa eſt vivendi & *ſumma*, Voluptas;
Siſtra, torus, ſpeculum, forma, puella, Venus.
Quid laſciva gulæ fames pudendæ?
Emendatur enim? quid? efferatur
Saturnalibus, & tomaculorum
Inter tympana ſpumat alba Venter.
Quando regnat hyems, Apicianis
Mappis induitur, voranſque ſudat.
Audax & *Vetulas* vocare *Parcas*
Ad ſaltum, præit immemor futuri.
At tu mollis Arabs, teneræque *Cunicule* pulpæ,
Luxurioſe BONÆ vivis in æde DEAE.
Vivo HODIE dicis: nam *Cras* vix Corvus habebit.
Gliſcat, & è craſſo corpore ſtagnet adeps.
Súntne aliquid Manes, & poma fugacia in vndis?
Luſus Siſyphiæ quis lapis ille pilæ?
Horrida *Cappadoces* in eremo prælia tentent:
Mars meus hæc mandat. *Vive, Ede, Lude, Bibe.*

SCAZON XCVII.

Latèminamur. dantur interim bulbi?
Et oſtreorum gratioſa putredo
Vngit palatum; deſpicítque Convivas
Pavo levatus; & Philoxenus ſævit,
Nigraſque Ranas Tartari, facit Ranæ!
FUTURA LAUDAT, UTITURQUE PRÆSENTI.
Ceu nec videndus, nec trahendus à Fatis.
VAH ſtulte! nec ſunt *luſca* Fata, nec *manca*.

(***)

SCENA.

Poëta, SCAZON.

LÆtare Scazon. Pravidemus ex malo portum capacem. te Coronis exſpectat. Iam panè tangis littus, & premis terram SCA. *Quæ vota ſolvam? quæ lubens feram dona, per tot procellas verticeſque ventoſque appulſus, atque expoſitus! ô quibus ſertis apluſtre ſummum vinciam memor Scyllæ! concuſſa Navis ima non ſemel fundo, effudiſſet inteſtina, ni mei longopedi remulco pendulam retraxiſſem.* POE. *Scazon: querela naſcitur domi tecum. Vides: ut Iſta nil morentur, & ſcindant undas phaſelis eleganter inſtructis. Non imprecantur fluctibus, nec accuſant ſcopulos marinos. Si Neronis Euripus albo rubroque volueretur in vino: periculoſos, credo, gurgites ultrò enavigandos Nauta magnus intrares, contemtor Alti pertinax: & ad thyrſum puppis ſederes Bacchica velut Clavum. Pergamus ad celeuſma pandimus vela. Incumbe remis. Cymba Virginum currit. Anacreontis expedita præcedit.*

XCVIII.

Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum Organi. ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt
Job. 21.

Feſtiva ſpumas Orgia,
　　Amyſtides laceſſis:
Satur manu trementia
　　Pectis micante fila;

Stre-

Strepénſque Cypri cymbalis,
Niloticíſque ſiſtris,
Tecum neges *Aheneum*
Perire poſſe *Mundum*

98.

Tragt auff/ſprichſt du/vnd zeltet nit/
Phaſanen vnd Baſteten.
Credentz die wirdt alls vberſchitt:
Drauff ſchlagt die Harpff Moteten.
Biſt guter ding/thuſt hohe ſpring/
Jetzt diß/jetzt das begehren.
Vnd mainſt/Herr Wirth vergeß der irꝛ?
Die Welt ſoll ewig wehren.

Phaſiacæ volucres, & Phœnicopterus adſunt.
Cinnama nube pluunt, palmite vina fluunt.
Reſtagnant urnæ: fidibus teſtudo ſonoris
Provocat alternos pollice tacta pedes.
Eia, genas, *Veneris* pingamus *ſanguine*: quidquid
Calcatur pedibus, fiat odora roſa.
Omnia prata ſciant communis gaudia Maii:
Menſis hic æternus, ſicut & Orbis, erit.
Ergo iacta anima eſt. in omne Bacchi
Vallu quadrupedante crimen itur,
Regales Pateras merum *coronat.*
In carcheſia plena ſe profundè
Mittit longa ſitis. Redux ab imo,
Ceu plebs in Phario canit Canopo.
Quo nil helleboro magis recenti
Curandum: *properare neſcit annos.*
LITTERA dat cœnas; ſubeúntque Tomacula, turdus;
Pulli, Perdices; Anser, pingnus, Anas.
Sed LIBER *ſine lege* furit. Chia atque Falerna,
Sit modo Fabricii Conſulis uva, ſapit.
Iamque inſtat Corybas, iam ſpirat tibia buxi,
Plauditur. in toto Vox ſonat una Choro.
Nocte bibo *totâ, redeunt* convivia manè:
Diviſum barathrum *cum* bove Venter *habet*.

SCAZON XCVIII.

Acerra turis, eſt Apicio plenæ
Nidor culinæ. iamque Bacchus hauritur
Plenis culullis & capacibus trullis.
Oculis guloſis devoratur emblema.
Sitiunt & aures, & bibunt, & arrectæ
Inebriantur *muſteo* ſono vocum.
Credúntque *Nunc* & *Semper* eſſe idem tempus:
VAH! Mundus eſt *in cymbalis*, & inſanit.

XCIX.

Prateterit enim figura hujus Mundi,
1. Cor, 7.

TARSENSE Vas oraculo
Diviniore *tinnit*:
MUNDI FIGURA PRÆTERIT
Aes perſonat *Corinthi*.
Audis? Figura præterit.
Audis? Figura Mundi.
Mundi figura perfidi,
VANI FIGURA MUNDI.

99.

Weit anders klingt/was hell vnd klar
Paulus hat anßgeſprochen.
Die Welt zergeht mit Haut vnd Haar/
Was darff es jetzt vil bochen?
Haſt ghört den klang / der Welt anhang
Zergeht: ſie iſt betrogen.
Die ſchlimme Welt/wems immer gfält/
Verſuncken vnd verlogen.

Sed ſiſtris *fidibuſque* FIDEM præpono, Tubamque
TARSENSEM. longè clariùs iſta ſonat.
Labitur irrevocanda dies; *Mundique figura*
Præterit. hoc ipſum quod loquor, inde venit.

Digitized by Google

Ede: figura quid eſt? madido quam pollice duco.
Qualiter in menſa picta ſtat Aula mero.
Ede: quid eſt MUNDUS, niſi plurima fraudis Imago?
Formoſis Facies circumamicta dolis.
Atqui non ita perſonare ſacros
Vates audio. quippe PAVLVS infit.
Aures arrige pendulas. quid infit?
MVNDI PRÆTERIT & perit FIGVRA;
Hoc infit. repeto: Cadaveroſi
MVNDI PRÆTERIT & perit FIGVRA;
Hoc infit. *Bona vox*: abimus ambo.
MUNDI PRÆTERIT ET PERIT FIGURA.

Tolle puer crotalos: nam PAVLI Sanctior *echo*
VASIS ab ELECTI, quod quatit, *ære* ſonat.
Præterit inſtabilis *Mundi*, fallaxque *figura*
Præterit. hoc unum præteriiſſe nega.
Expende has voces: *Mundi*, fallaxque *figura*,
Præterit hinc diſces: quid cupias, quid ames.
Vltima perfidiæ durat nota; regnat in Orbe
Punica *ſola* fides, Punica *nulla* fides.

SCAZON XCIX.

Procul profani, feminæque Curetes;
Exeſte molles: *ad Corinthios prima*
Electus Orbis Buccinator exclamat:
MUNDI FIGURA PRÆTERIT. perit vani
Figura Mundi. verte verba & inverte:
Semper figura vana præterit, ſemper
Figura Mundi vana præterit vani.
VANI FIGURA VANA PRÆTERIT
MUNDI.

C.

Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.
Jerem. 51.

Cantantur hæc, Plorantur hæc,
Scribuntur & Leguntur.
Videntur hæc, Ridentur hæc,
Et lecta negliguntur.

SCAZON C.

Cecini. canendo nempe plurimos movi.
Sed ſive movi, ſive forte non movi:
Cecini, quod ipſa Veritas, quod & res eſt.
Cum ſcala Cœli, cumque Orionis proſtet
Emendus enſis; gigio, nuces, pupæ,
Acus emuntur, ſulphurata Iudæi,
Arundo longa, Vah! volubiles nugæ.
VAH! VANITATUM VANA VANITAS. VAH!
VAH.

190.

ATque in hunc fermé modum, ſe habet teſſellata Vanitas, à me exploſa Sed novâ Vanitate, dices, quemadmodum Philoſophus quidam, faſtum Mundi novo faſtu, hoc eſt, ſuo calcaſſe fertur, Ita ajo nam & tu, qui hanc Vanitatem meam ſugillas, aliâ novâ, hoc eſt, tuâ Vanitate id facis. interim perveni ad metam cum Muſis meis: quas in ſeipſas, ut vidiſti, armavi ODE *auribus Mundi infuſa eſt. eam ſive primâ nomenclatione voces Hecatomben; immolavi: ſive Carmen Seculare; abſolvi: ſive Certamen; certavi: ſive uno verbo Poëma; componebam, faciebam, canebam; memor priſci Fictoris, & veteris ſententiæ: Ego iam nunc ſtatim cum Verſibus meis exſcendo, dictoque Euchariſtico, & Vale, ex Campo me proripio.*

ALiquando tandem noſtra navis in portu eſt.
Egredere Scazon & Liburnicam funda.
Terram tenaci dente mordeat prora.
Dum ſolvo Ludum, Symmachòſque dimitto.
Impoſta noſtra vaſa Navis exporta.

Auctor finito Certamine, pugiles Verſus collaudatos domum dimittit, cum vappa, fumo & vanno.

Inprimis PHALEUCIA.

DVlces, HENDECASYLLABI, Sodales,
Quos tanto Genius potens amore,
Et Mentis ſacer illigavit ignis;
Vt multi numero quidem, ſed omnes
Pollux unicus unicusque Caſtor
Sitis Vatibus, unicusque VERSUS.
Verſus cum violis roſisque natus,
Verſus de caſia crocóque primo,
Vivens inter aves ſagaciores:
Aut nunquam moriturus, aut ſonoro
Cum Cygnis moriturus in Cayſtro,
Formoſi Iuvenes & elegantes,
Arcum ſolvite. pugna jam peracta eſt.
Quâ veſtrum cumulabo laude nomen,
Submiſſique modeſtiam pudoris?
Docti plaudere Martialis *Iſſ. m.*
Et colludere *Paſſeri* Catulli,
Et Stellæ Paphiam ſequi *Columbam*?
Dignati modò peſſimum Poëtam,
Certamen ſubijſtis, aleamque
Phœbi judicio periculoſam:
Nullis ſumtibus interim moleſti.
Contenti caſulâ, unicâ feneſtra,
Mensâ paupere, ruſtico ſalino.
Quantò lautiùs Hoſpites haberet
Magnus SARBIVIUS: vel in vireto
BIDERMANICA Muſa Tuſculano:
Si noto citharæ ſono vocaret.
Ad Convivia laureata, Romam.
Germanas ego (nam fatebor) offas,
Et coliphia devoranda luctæ,
Et me ſollicitum dedi Philæmon.
Terræ munera. nec tamen notavi
Vllius faciem fuiſſe læſam.

Formoſi Iuvenes & elegantes:
Ætatis roſa, liliumque veris:
Præcox indolis ingeniique ſpica;
Pulcri ſanguinis uva delicata.
Muſæ gratia prima mitioris:
Muſæ Delicium ſeverioris:
Iam nunc ire domum licet. Viator
Si quis quæſierit: Poëta veſter
Vt vivit, macer ille, torvus ille;
Reſpondete, valet Poëta noſter,
Ac vivit, macer ille, torvus ille.
Hinc ſpes obruit undequaque multas.
Scitanti, quid agit caducus? Ævi
Nostri, dicite, DE TRIBVS CAPELLIS,
Me tot ſomnia ſomniare vana;
Et tot ſomnia ſomniare vera:
Quot Nox ſidera dicit ad choreas.
Quot ſe flumina divident per Orbem.
Quot pennis liquidæ ſecantur auræ.
Quot Virgo Dea montium Napæas,
Quot Nymphas numerat marina Tethys
Quot Nymphæ caput affluit capillis.
Quot telis pharetræ rubent Dianæ.
Quot veris Erythrea concha gemmis,
Quot fictis radiat Falerna vitis.
Quot Matuta jacit per arva guttas.
Quot calthas Zephyrus ſerenus efflat.
Quot Silvæ folijs virent Cadanæ.
Quot frondes apis unaquæque tondet.
Quot flores apis unaquæque carpit.,

Ad magna amorum matris ELEGIÆ *gemellas filias Carmen Euchariſticum.*

VOs quoque Pierides, duplex ELEGIA, Poëta,
Cujus adornaſtis caſtra, valere jubet.
Veſter ego vates veſtrum contendite vatem,
Cum canitis, Muſas inter habere novem.
Seu dici pictis gaudetis Amazones armis;
Laudabit veſtras Pentheſilea manus.

Seu teneræ vultis nomen retinere puellæ:
Alba gerit vinctis Vtraque ſerta comis,
Vtraque victrici plantâ libavit arenam,
Scilicet ad numeros officioſa meos.
Parcite: decurſu tamen haud reticenda notanti
Hippomenes: quæ ſit nunc Atalanta, ſcio
Prima per Aoniam, rigidis maturior annis,
Cautiùs eſt nobis currere viſa viam:
Inque palimpſeſto rubrâ ſignaſſe liturâ,
Semita quæ trito calle premenda foret,
Altera difficilis certâ ſtatione teneri,
Quam dedit ipſa ſibi lege cucurrit iter.
Nuda volaverunt ſparſi per colla capilli:
Et poteram ſoccos ſæpe videre pedum
Sæpe etiam timui, dum vult audacior eſſe:
Ne fieret tactâ fabula turpis humo.
Tutius ô medio, clamabam, tutius ires,
Aurea quæ captas, devia poma nocent.
O cave, ne greſſum fallas temeraria ſaltu,
Fractaque curriculi deſtituare rotis.
Parcius exagita ſenium, mea Muſa, ſepultum:
Vatibus occurris quàm truculenta tuis!
Quid ſtringis gladios calamis aſſueta Minervæ?
Non bene conveniunt viribus arma tuis.
Fulvia vulnificum vaginâ liberet enſem
Auſa tuum ô Tulli figere Marce caput.
Aut Roſimunda tuum contra galeata Maritum
Inque venenato bis ſcelerata mero.
Projice tela manu Soboles Genitricis amorum
Vel geme, vel lepido carmina mollis ama.
De thyaſis, & quod rixoſum ſpargis acetum,
Si neſcis, poſſunt iſte, vel iſte, queri:
Dico, queri poſſunt, verbis ignoſce: queruntur
Sunt qui te doctam fortiter eſſe negant,
Sunt, quibus immodicè nugas videaris amare
Et facies ſanctas, difficileſque jocos.
Adſtiterat Momus, qui, dum ſpectator adeſſem
Hæc niſi ſit meretrix, fulmine tangat, ait.
Tangere fulmineo, dixi, ſæviſſime telo,
Virgineam laceras ſuſpicioſe togam.

Neu

Neutra timet caſtæ velari frondibus Aræ.
Aut Veneris ſenſit tacta calore faces,
Quod quatiant pedibus terram:quod lætior una
Feſtivos hilari miſceat ore ſales:
Id nova materies,meaque indulgentia,ſuaſit,
Sanguis & in vena qui juvenile tremit
An pereat!quicunque minax & ſemper acerbus,
Infeſto teneras vellicat ungue roſas.
Si,quoties nitido derivat gaudia vultu
Femina,continuò diminuatur honos:
Ne Diana quidem ſit virgo triformis & inſons.
Sæpe lavat corpus flumine,ſæpe ſalit.
Quamvis cum Faunis verſetur Oreadas inter,
Nuda tamen TriplexGratia virgo manet.
Sic ego vos tueor,graciles,mea cura,Sorores.
Veſter ero:Mater ſi quoque veſtra mea eſt.
Dij melius.forſan me non amat illa,ſed odit.
Et putat æriſonas non niſi velle tubas.
Ac citharis blandiſque modis fidibuſque relictis,
Sola cothurnato bella movere pede.
Ominor:à vobis rèdeuntibus,unde venitis?
Cur pharetram geritis tinctaque tela?petet.]
Audito(perij)vel ſolo nomine noſtro
Exſpuit,& tremulâ plurima voce rogat.
Ecquid agit tetricus rabidi Iuvenalis alumnus,
Simia Papinij grande ſonantis opus?
Semper in arma ruit,ſemper liveſcit jambis.
Nunquam vult noſtro mitiùs ore loqui.
Hic opus inventis.Si quid mea vota valebunt,
Vos precor Aonides,dicite,Mater,amat.
Non eſt terribilis,qualem mala Fama ferebat.
Caſtalias placidi navigat Amnis aquas.
Perlege,quæ mittit(dabitis,quod Epiſtola præſens
Continet)eſt certis ſcripta Tabella notis.

* * *

Ad

Ad Elegiam magnam amorum matrem.

ELEGIA.

Auctoru vindicia.

SI licet & fas eſt, fluxos Dea ſparſa capillos,
 Vndenis pedibus baſia figo tuis.
Da mihi te facilem, neque ſis inamœna Poëtæ.
 Tam pulcram faciem, non decet ira gravis.
Nec ſum adeò triſtis ſolitóque indignus amore
 Comis enim verbis & Macer eſſe poteſt.
Nec ſic Virgilius, nec Statius urit amantem,
 Quique ſuo florens de Stilicone canit;
Quin ferar interdum rigui Sulmonis in Hortos,
 Sciſſáque Peligno vomere rura colam
Et videam, mirerque focum menſamque Tibulli,
 Quique tuus vates Vmber ocellus agat.
Teſtor Pegaſides, & te, niſi dura reſiſtis;
 Sæpius invideo, quod meruere legi,
Tu modò ne falſo famæ nos crimine figas,
 Et dicas aliis: iſte protervus homo eſt.
Contemnit molles Elegos humileſque myricas?
 Et tantum Thebas & ſua bella tonat,
Crede mihi, patior facile & tolerabile Numen.
 Mitior in noſtro jam natat ore Deus.
Quod juvat, amplector. Scio, non in montibus altis
 Fraga, ſed in viridi dulcia valle legi.
Arma canant alij, ſtringantque ad claſſica ferrum
 Pacis ego Charites blandaque caſtra ſequar.
Non ea, quæ Cyprius ponit damnoſa Cupido,
 Montis in Idæi conſpicienda jugo;
Qualia ſed Solymam ſapiens Hermannus ad Vrbem,
 Inque Palæſtino Belga locavit agro.
Diſcedant Galli, laſcivaque turba Catulli.
 Hos ſua flamma coquit, me meus ardor habet.
Sanctior in nobis calet & formoſior ignis.
 Nympha ſuo vultu quem Galilæa movet.
Caſta decent Vates & Sobria vota togatos;
 Vt Cygni cantus, ſic nive lota manus,
Credis? olorinâ ſcribentes utimur alâ.
 Qui dedit hunc calamum, ſuaviter ille canit.

Tam

Tam bona ſis utinam, ſimilique infecta colore,
Quàm ſit vel Vatis penna, vel hujus Avis,
Flectere Diva, precor, vultumque adverte petenti.
Auſpiciis liceat nectere verba tuis.
Quæ numeris modulata novis, lachrymîſque rigata,
Includat phialâ Parthenopœus Amor:
Et tibi pectenti diſcrimina mille comarum,
Offerat ad ſpeculum, florida dona, tuum.
An dubitabis adhuc fidei te credere noſtræ?
Heu mihi! ſollicito pectore multa times.
Objicis ignavi temeratam crimine faſtûs,
Téque tribus luſtris diſplicuiſſe mihi.
Diſplicuiſſe? metus niſi ſit vaniſſimus iſte;
Effluat è digitis candida penna meis.
Dirigeam totus; quæque eſt ad tempora Daphne,
Siqua viret, nullo ſerta movente, cadat.
Tympanaque & bovis accreſcant palearia pinguis,
Vtque ſaginati ludat imago popæ.
Quod tamen è medio ſurgens Agathyrſe ſepulcro,
Scis, quâ deteſter flebile voce malum.
Sed quibus accuſor cauſſis, quo judice damnor?
Qui reus ex culpa eſt, ſe ſciat eſſe reum.
Papinium verſo torquentem nubila cantu,
Lux mea: cur dici Papinianus amem?
Me juvenem, fateor, rapuit Cadmæa Iuventus;
Magnus ubi Tydeús pro Polynice furit.
Lucani lituos Civilis gloria ſuaſit,
Cúmque ſuo Genero qui Socer arma tulit.
Corduba jactavit Senecam, voluitque cothurnos
A me laudari prætereunte ſuos.
Fecimus hos magni, ſed adhuc tua gloria ſalva eſt.
Audiat ipſe licet me ſtimuletque Maro.
Ah! quoties mecum repetens, quid Marcia Bruto
Dixerit, optabam te potuiſſe loqui.
Ah! quoties, cur non Phædram furiaverat Exſul?
Quem tulit Euxini navis iniqua maris.
Ah quoties! nunquid non ejus flammea Dido,
Certabit flammis, Mantua docta, tuis?
Mincius & Sulmo, veſtros confundite fontes.
Pegaſeos latices flumen utrumque vehit,

Audio

Audio, quid dicas: cur non gemis ipſe, modiſque
  Imparibus ludis? ſi gemuiſſe decet.
Nitimur in vetitum. Caſſandram plangere juſſus,
  Riſero, ridebunt, me lachrymante, loci,
Propoſitis ſiſtris, fortaſſe Agamemnona tentem.
  Auferer oblato carmen Achille Paris.
Cumque Iovis Volucres alijs agitare videbor,
  Menſuram Citharæ parva columba dabit.
Nec ſemel aut iterum, ſed ſæpius impare verſu,
  Materiâ queſti conveniente ſumus.
Dumque meas Helicon curas conſpexit ad Oenum,
  Obſtrepit aſſiduis pons ubi merſus aquis:
Purgata eſt Veneris monſtro Bethlemia Rupes,
  Perque Tyrolenſes flevit Adonis agros,
Intumuere novis ſtagnantes imbribus amnes,
  Et planctu valles inſonuere cavæ.
At ceſſaſſe nocet. Mea lux: quis ſemper eaſdem
  Vnus oberrabit percutietque fides?
Ipſe tamen Phœbus nunc his, nunc utitur illis;
  Diverſamque Chelyn Paſtor & Augur habet.
Vt taceam turbas, & noſtri ſæcula ferri,
  Agmina morborum, funereamque luem:
Iſta truces faciunt animos & ad horrida ducunt,
  Et vellunt hederas, mitia ſigna, comis.
Adde: quod ipſe mei non ſim, dulciſſima, juris.
  Scribo, quod ille jubet. canto, quod alter amat.
Seu jubeor feſtas ſponſis attollere tædas;
  Aſſurgit caſto pronuba flamma toro.
Seu ſegnientatis vagitum ſiſtere cunis:
  More tuo, Corybas, cymbala pulſo manu.
Sive Iovi noſtro ſurgentia condere Templa:
  Cogor, ut Amphion, ædificare Lyrâ.
Prælia quod cecini de Muribus aſpera; non hæc
  Noſtra, ſed alterius dira cupido fuit.
Iephtiaden dedimus, populo ſpectante, rogati.
  Illa quoque armatæ vota fuere preces.
A Duce ſic miles, ſic Dux à Rege rogatur,
  Non fuit ingenio libera Muſa ſuo
Sed dedimus Scenas, & ſcripta Tragœdia viſa eſt,
  Adgemuitque ſuo Victima Virgo Patri.

Cur

Cur autem ſtomachum moveat tibi triſte Theatrum:
Pænè modi tragici ſunt, Elegia, tui.
Tu varios animos. Ex te naſcuntur amores.
Femineum genus eſt Spes, Timor, Ira, Dolor.
Quo magis affecto lepidas tentare Camœnas,
Dulcia triſtitiæ gaudia mixta meæ.
Tantum blanda fave. poſthac culturus amicam,
Proſequar & Thymbrâ Caſtaliiſque roſis.
Vnica mulcebis noſtros Elegia labores,
Qui dolet ut cantet; mitiùs ille dolet.
Vt mihi non deſunt unquam mala plura ferenda,
Sic quoque non deerunt plurima flenda mihi.
Tu partem lenire potes, tu ſiſtere curas,
Tu luctu pluvios fallere ſola dies.
Ludemus pariter, pariterque movebimus auram,
Quæ ſtrepit ad Clarium religioſa nemus.
Et modo deſcribam Naſarenæ Virginis ignes:
Præ qua non Phyllis, non Amaryllis amat.
Et modò narrabo. Quid non narrabo? ſed obſtat
Copia: narrabo, quæ tibi cunque placent.
Tecum & delicias, & quæ jam dicere nolo,
(Non niſi Nos ſoli novimus illa) canam.

SCENA VLTIMA, SIVE EPILOGUS de Vanitate Mundi.

Poëta, Scazon.

A Pluſtre Scazon floribus coronaſti?
Res extuliſti? ſtat carina fundata?
Sca. Mandata, ſicut vina Bacchus, exhauſi.
Poe. Amande Scazon & tremende non paucis,
Cum quo tot annos ſpiritúſque decoxi:
Age, ſub comante populo (vides Nymphas
Abiiſſe) conſidamus. Olpa procumbe.
Sca. Scazon ſedere neſcit integer, totus
Quantusque vivit, vivit iſte Pes *ſtando*.
Poe. Et ſtare poſſis, qui pedes habes ſeptem
Sca *Sex* nempe. Poe. Totus. Sca. nempe Poe.
Quantus es, monſtrum es.

Sca, Vah! ipſe memet, credo, funditus novi.
POE. Tremis & vacillas. Si quis uſus eſt quintæ
Rotæ in quadriga? & ſeptimo pedi, *Scazon*,
Erit. *Sca.* Anne cæcus Abderita ſum factus!
Poe. Numerare noſti? *Sca.* Quippe ni? Maris guttas
Etiam, & virenteis, ſilva quot comas profert.
Poe Conchyliata diluere gutturem ſputa
Quis iſte verſus? computa notas monſtrum?
Sca, Dehiſce tellus, & profundâ Scazontem.
Si qua eſt ſub imo Acheronte, vallis, abſorbe.
Et tu tremenda, tu ſecuris Anglorum,
Quæ capita Regum ſcindis, hunc pedem trunca,
Cum laude facies iſtud. *Poe* Olpa procumbe
Ocreaque latâ dedecus tuum cela:
Sca. Sed ſive mandes, ſive roges; tamen ſtabo,
Poe Sta. me quietum laſſitudo componit.
Confabulemur: miſceamus utrinque
Sine fraude ſenſa grande mentis arcanum
Et dulce pando conſcius ſacramentum
Animus volutat. *Sca* Quod volutat, exprome.
Poe. De VANITATE multa luſimus. Scazon.
Sca. Et plura multis. *Poe.* VANITAS inaurata,
Et hæc amara eſt. *Sca* Credo. nam ſubeſt fucus.
Poe. Faſtidioſa ſæpe. *Sca.* Fare, quo tendis?
Poe. Laborioſa. *Sca* Cur caput ſcabis lævâ?
Quo vergit anceps mentis anxiæ libra?
Poe. Ajunt Poëſin. ſerta cujus ambimus
Frondoſa, VANITATIS eſſe nutricem.
Quod ſi Poëſis Vanitatis eſt Nutrix;
Statui remiſſis abdicare me Muſis.
Sca Prius per hortos & ſoluta buxeta,
Mari relicto, ſe movere Delphinas
Cernam, fretique Punicos Magellani
Innare barros fluctibus. Quid expreſſit
Scelus hoc? reſorbe. *Poe.* Non reſorbeo. Dixi.
Sca. Quæ Dædalea remigem ferat cera!
Aut belluoſi taurus ad ſali fines,
Inter frementem portet Æoli turbam!
Deliberaſti? *Poe.* Non ſemel. *Sca.* Diu? *Poe.* Sæpe.
Sca. Diu? *Poe.* Senatu plurimo. *Sca.* Diu, quæro.

Poe.

Poe. Quot luſtra poſcis? Conſilij mei partes
Non Majus unus, aut December abſolvit.
Sca. Quis auctor? *Poe.* Adſum. *Sca.* Neſcias quid accuſes:
Succumbo famæ. Lancinat pedem ſpaſmus.
Si te rogari ſuſtines ab antiquo
Scazonte ſervo; mentis improbæ muta
Ferale fatum. *Poe.* Fabulam canis ſurdo.
Me dura Virtus obſtinavit in marmor.
Priùs Zazinthus colliqueſcet in flumen;
Dabiturque vallis altior ſuo monte
Serpensque cervo fidet, & cani cervus,
Canis leoni, territus leo gallo.
Sca. Tam contumaci mente! durior ſaxo
Non mollieris, nec moveberis fletu
Novem Sororum? quid Thalia, quid Clio
Eratoque dicent? mœſta Pieris ſparſos
Effuſa crineis, qualis atra Iocaſta,
Per tela vadet & per hoſticos igneis:
Te voce quæ ſitura, te citatura
Clamore magno. *Poe.* Méne Serve derides?
Vt quem decoro nulla ſtrinxerit vitta
Laurusve nexu, me Deabus argutis
Fuiſſe cordi non tenerrimo credam!
Et his Puellis major eminet naſus,
Ac ſe ſagacem quæque novit & doctam.
Sunt & ſuperbæ, felleisque ſarcaſmis
Vexant alumnos. fortè dicet EVTERPE:
Evax! abivit LONGVS iſte GERMANVS,
Exceſſit, erupitque feſſus, & noſtram
Purgavit Aulam quas moleſtias toto
Hæc Vmbra tractu temporis faceſſivit!
Cùm manè portam Porticúmque Parnaſſi
Pulſavit ingens: ſæpe ſimplicem riſi.
(Bis, ut notaret.) ad cubile deduci
Noſtri rogabat & ſacrarium Phœbi:
Vt inde Vates laureatus exiret,
Quis Allemannis expediverit χάιρε?
Quis impolitas expoliverit linguas?
Quis dederit artem gratiamque fingendi?

Algentis Æthræ filij, maritante
Septentrione frigidæ ſinum terræ.
De tabe Brumæ Stiriiſque concepti,
Vt igne flagrent, quo calore ſolventur?
Quis excitabit? unde carmen accendent?
Quas entheatæ mentis exſpuent flammas?
Tuſci Latino temperantur à cœlo.
Tuſcis Falernæ ſanguis integer Vitis,
Plenam Lyæo maſculo replet venam.
Hiſpana pubes Sole Patrio plena,
Sanctos furores Delphicâ bibit conchâ.
Teuton lacunam potat hordeo coctam.
Quot ille Venter ſpumet aureos verſus?
Qui maceratis frugibus ſaburratus,
Velut Suèvus meſſor allijs turgens,
Fuliginoſis fæcibus, ſitim mactat:
SCA. Prô! inſolentes quas imagines rerum,
Quæ monſtra formas? tam libet tibi falli!
Per dulce quidquid & ſacrum fuit, tandem
Omitte ſomniare Cyrrha Germanis
Semper patebit. POE. Nunc & obſtrui poſſit,
Me non vetante. SCA. Stat. ſedetque tam certò
Abire. POE. Certò SCA. Spreto Apollinis ſceptro?
POE. Quo paſcit agnos. SCA. Spreto Apollinis plectro?
POE. Quo ludit hædis. SCA. Spreto Apollinis Templo?
POE Aranearum SCA. Spreta Apollinis lauro?
POE Exarefactâ SCA, Spreto Apollinis fonte?
POE Sicca palude SCA Si fugis, time ſaltem
Scutum Minervæ, Gorgonemque prætentam:
Quâ nunc obumbrat Limen, & tuas pigro
Pedes rigore detinebit implexos
Sed finge, nullas Palladem moras ſparſo
Aſſibilare crine: quam viam carpes
Quid ages ſolutus vinculis Poëtarum
POE. Negotioſus otiabor in libris.
Privatus altum dormiam, velut Sylla.
Sca. Quis tecta pandet hoſpiti Reo, Poe. Mecum
Habitabo; felix, involutus hac pelle,
Qua veſte, quid dant amplius tuæ Muſæ
SCA. Diadema florum. POE. Quos capella detonſos

Habitabo; felix, involutus hac pelle.
Quâ veſte, quid dant amplius tuæ Muſæ?
Sca. Diadema florum. Poe. Quos capella detonſos
Abſumat uno prandio. vir hircoſus
Contemnat, udâ flaccidos terens barbâ.
Ad alta Scazon, evehamur erecti.
Sca. Quid altius fert Terra monte Parnaſſo?
Poe. Sunt turba Vates eſurire damnata.
Sca. Dii cura Vatum ſunt, & hi Deûm cura.
Poe. Mordere malim fraga, quàm tuam Laurum.
Sca. Et ſi quis eſt Philoxenus, bovem malit.
Poe. Sunt tot Poëtæ, quot fuere jam ſturni.
Sca. Vix tot Poëtæ, quot fuere Phœnices.
Poe. Pauci ſequuntur Patris Ennii caſtra.
Sca. Ad aratra plures vomeremque ſunt nati.
Poe. Dicuntur inſanire, qui canunt. Sca. Certum eſt.
Sed ſapere tunc vel maximè, haud minùs certum.
Quod vile vulgus neſcit, & ſtupent urſi.
Poe. Levis eſt negotI, verba concatenare.
Sca. Cadaveroſa, bruta, luſca: concedo.
Poe. Quæcunque: ſive pulcra, ſive non pulcra,
Limoſa Nilo, ſive lota Pactolo.
Sca. At non ſub illis ſi reconditur Numen,
Et ex Sibyllis fata ſpirat afflatis,
Supraque nubes mentis alveum gyrat!
Poe. Accedit horror ſervitutis immanis.
Coguntur ejulare, quando ridendum;
Ridere, quando flere ſuaviùs mallent.
Quâ Vanitate nil acerbiùs vidi.
Sca. Id nemo præter Sabbatharios credat.
Poe. Id conſtat Orbi Sca. Scilicet. Poe. Puer vagit:
Vagi Poëta. fer papaver admorſum.
Plorat puellus. I. Poëta complora,
Madidumque roſtrum mœſtus applica canis.
Motu creetur dulcè ſomnus infanti.
Infunde cantum tempori ſoporando.
Expergefacto melleas para pultes.
Ni vapulare laureo velis fuſte.
Quòd ſi calentes Nuptias Hymen nectat,
Suoque Iuno tertium Iovi nubat:

Ades poëta. verna ſerta compone.
Accende pinum, miſſiles nuces ſparge:
Toríque ſacris cinge vinculis fulcra,
Pomponii trabalis ingruit pompa?
Poëta, ſoccis ſocculíſque velate,
Sis Pantomimus noſter, & ſales pinſe,
Exſculpe Spectatoribus tuis auras:
Totóque vultu in hiſtrioniam verſo,
Buccis ſonoros Æoli move riſus.
Deceſſit Hic aut Ille? dicit extincti
Irriſor Heres: verbera colu Parcas.
Cur rupit immatura fila? (fors ridet,
Tacitè jocoſus in ſinu Crumenarum,
Lachrymáſque fingit) da nigerrimò ſcriptos
Carbone verſus. vende quid dabis? numum.
Et non trientem turpis Euclio? nullam
Ex aſſe partem? vel Charon reclamabit.
Quid ad iſta Scazon vane, naris obtuſæ?
Stupeſcis inſtar bubali, cui cornu
Fregit ſecuris, aut adulter obnixus.
SCA. Et me loquentem, ſi vacabit, auſculta.
Sermonibus ſum plenus, & coarctat me
Vteri tumentis ſpiritus. meus venter,
Vt dulce muſtum, quod lagunculam rumpit.
Quid eſt ab omni parte tam ſacrum & ſanctum
Aut tam beatam liberúmque mœrore?
Nullos ut unquam ſuſtinere cogatur
Patíque mancis anne ſola piſtrino
Damnata ſit POESIS, ut molam ſerva
Recincta verſet! omnium eſt idem fatum
SCIENTIARVM, nulla non habet rugas,
Gemítque parturítque duriùs Cervâ,
Et obſtetrice VANITATE fit Mater.
Matheſis aſtra ſpectat, & globum Lunæ
Periculoſo fixa luſtrat obtutu
Excentricíſque Centricíſque ſuſpenſa,
Noctes fatigat, & ſimul fatigatur.
Tremens & algens ad nivoſa ſarraca
Tardi Bootæ, tuſſiente Saturno,
Fœdata cujus frigidiſſimis ſputis,

Caput reducit machinaſque Tychonis
Sophus Ambulator jam comas manu vellit,
Iam labra mordet irruens Stagiritæ
Lumbis: ut exploretur unicæ verus
Recalcitrantis *Syllabæ* Parens *Arles*.
Quid? cum laborant nauſeantque jejuni,
Eviſcerare ſemper exta cancrorum,
Cruſtis apertis, ſpe cadente deluſi,
Quâ pinguiorem devoraverant bolum.
Quam vile, dixit ex Fatentibus quidam
Interrogatus, vile ſtramen incido.
Premunt dolores interim, coloreſque
Vero latenti, qui ſupernatant, quærunt
Olim repertos, millieſque detritos.
Iam ſi Duelli pugna fervet indicti:
Iactantur haſtæ, ferreæ tonant voces.
Subſelliorum nutat & Cathedrarum
Percuſſa quercus. mugit areâ totâ
Turmalis Echo *Sic Probo Nego Verum eſt.*
Falſum eſt. Probatur. Senſus Antecedentis
Probatur, hoc negatur. Antè conceſſit.
Non cogitavi. denſa pulveris nubes
Conſurgit evolantis à pavimento.
Credas frementem congredi Phrygem Turno.
Aut ad cruore ſtragibuſque Nordlingæ
Fumantis arva, Martis arma convelli.
Poſtquam calore provehente conflictum,
Sunt eruditè fortiterque nugati:
Dantur Manus; & Vterque victor abſcedunt,
Monſtrantque doctas omnibus cicatrices,
Et vultuoſas complicantur in rugas,
Ceu universâ Græciâ triumphatâ,
Turcis ſubactis, plena plauſtra Lunarum
Poſt terga vectent, militeſque captivos.
Sed & plateas per forumque monſtrari
Clamant aperta voce: SIC HONORANTUR,
QUOS VANITAS REGINA VULT HONORARE.
Quantò Poëta digniùs ſub æſtiva
Bellatur orno: ſive bella deſcribat
Phlegræa, Divis & Gigantibus nota;

Seu quæ Philippos civibus cruentârunt;
Seu Noſtra, quæ miratur ipſe Gradivus:
Se quando vinci non fatetur obſcurè.
Poe. Scazon: Pachynum Corſicamque ſaxoſam
Movere tentas. ore multa conſueto
Suades & ampullaris, ut tubas inflem,
Cædeſque campis digeram ſuperfuſas;
Penituſque diris ſpiculis capillatos
Intrem Cometas finge velle: qui poſſim?
Vigor Iuventæ verna Luſtra conſumſit.
Ætatis æſtas jam labantis inclinat;
Tepor calori ſubſtitutus obrepſit.
Macie timendâ Manibus cavas dicor
Pulſare tumbas. Oſſa deſinunt necti:
Oraculorum quot ligavero torques,
Solvendus Ipſe! Tempus & Quies deſunt,
Locus & receſſus. litus ille proſcindit
Melitæ catello, ſeminatque per tophos,
Qui deſtitutus hiſce prærogativis,
Imbelle carmen & ſenile luctatur.
Sca. Vbi ergo Nox eſt illa, ſeu Dies nota?
Quâ, cum citabas buccinæ ſono Verba;
Mox agminatim, quà ſequi jubebantur.
Tentoriorum de cubilibus mota,
Sonora, Magna, Parva, pulcra, criſtata,
Cataphracta, mœſta, læta, crinibus torta,
Venére dictæ Legis ad ſacramentum:
Ceu morte punienda, ſi retardaſſent.
Pars impedita ſubrubentibus ſoccis:
Pars in cothurnis, pars equis, in hoſtiles
Munita turmas lanceiſque, peltiſque.
Poe. Fuere Troes. Ilion ſtetit, Scazon:
Fuiſſ. crede, quem ſecutus es, Vatem.
Ego te vocans ad calceum manu mitto,
Et liberum pronuncio. Refer Muſis
Hoc involucrum litterarium.

Jacobus Balde

Divis & Deabus in Monte Heliconis.

O Scâ ſcribo plurimùm lingua, veteri ſtylo, ne per licentiam belli vagantis intercepta, militum prædæ ludibrioque diſpaleſcat & volgo. Dii, quod ipſe ſcitis, & probant anni; jam ſervio, ſuique veſter ambactus. amuſſitavi tempori meos Verſus. clinamen huc trahebat & virens Daphne, quæ ſubligandis crinibus verecundè alludiabat, meque virgo quæſebat. Sueſactus Odis multa metra deraſi. Seneſco nunc, totuſque frigefactatus, ſufflaminari me noto. nihil vena adproſperatur undequaque ſcrupoſa. quæ ſcita ſcitamenta ademſit, ignoro. Conlabefactus tot laboribus, canis ravaſter, haud nenuquio reſignare Fortaſſe petroſus videbor agreſtis, & tonſitandus: meque, quod fidem fallo, Elegia protelabit. hoc volim. nemo poterit retraxe jam recuſo ſirpari. ſeu ſirit hoc Apollo, ſive non ſirit. Viaticatus ſum; Valete.

Subſcribo
Olim quidem
Poeta veſter in Phœbo.

Scazon.

Lachrymoſe Scazon: hanc Epiſtolam Muſis
Afferre ſuſtinebis? ite rorantes
Per ora guttæ, meque prorſus in flumen
Mutate; nec ceſſate, dum *fluat* Versus.
Hoc ergo campo, quem Poëta calcavit
Meuſque Dominus preſſit, obſequar fatis,
Moriturus unâ. Vanitatis exemplis

Inſcriptus, Inconſtantiæque ſub Luna
Labentis: ecce defluens in ignotum
Convertor *Amnem* pullulantibus nervis
Revocabo laudes Acidis. pili manant,
Solvuntur artus. Vaſta planta, fit torrens:

HEIC. ô VIATOR. SISTE.
QUEM. VIDES. STANTEM.
FUIT. POETÆ. CARUS. ALSATÆ. SCAZON.
SEMPER. FIDELIS.
DUMQUE. FATA. SIVERE.
DE. VANITATE. MULTA. QUESTUS. HUMANA.
MORTI. SUÆ. PRÆLUSIT.
OCTIES. CAPTUS. EVASIT.
A. CERVICIBUS. TER. AVERTIT. GLADIOS.
HERUM. BIS. LIBERAVIT. A. MORTE.
AD. ULTIMUM.
DESERTUS. EXSUL. EXTORRIS.
SUO. SUPERSTES. ESSE. NOLUIT. VATI.
QUEM. DILIGEBAT.
PRÆ. DOLORE. PLORATIS. OBMERSUS. UNDIS.
HEIC.
UT. INDOLES. POSCIT.
MORE. STATUARUM LACHRYMANTIUM.
STANS. STAT.

FINIS.

Typum Vanitatis expreſſæ ſcripſit AUCTOR, expreſſæ corrigat Lector.

AGA-

AGATHYRSVS
Teutſch:
Das iſt/
Teutſcher Poeten
Eyfferig= vnd luſtiges nachſinnen
Vber das
Troſtreiche Ehren=Liedt
Agathyrs/ genant/
Vom Lob vnd Wolſtandt
Der
Dürr oder Mageren Geſellſchafft.
Anfänglich Lateiniſch beſchrieben
Von
JACOBO BALDE
Societatis JESU.

Vorred deß Auctors.

JCh hab/ lieber Leſer/ vngefähr für eilff Jahren zu Jngolſtatt ein Carmen, oder Geſang/ Agathyrs genant/ auff Römiſche Sexten/ Lateiniſch angeſtimbt: vom lob vnnd wohſtandt der Magern Geſellſchafft; vnd dieſes zwar/ theils meines eigenen halber; theils auch/ weil andere ſolches von mir begehrt. Ja/ die gantze warheit zu bekennen/ hab ich anfänglich das lob der Dürren herfür geſtrichen/ anders nit/ als wie Cicero in Topicis, Seneca Rhetor, Fab. Quintilianus in ihren Controvers. lehren: nemblich ein ſchwäres/ ſeltzames/ vnerhörtes/ widerſpenniges Thema, oder Paradoxum, das iſt/ wider den gemeinen wohn der Menſchen/ auff die bahn gebracht/ vermög meiner Rhetoriſchen Profeſſion. Dann ich je/ auff ernante weiß der alten Wohlredner/ meinem bedüncken/ zeit/ gelegenheit vnd perſonen nach/ ein vngewöhnlichers/ ſeltzamers/ vnd vor den fleiſchlichen Ochſenaugen verzweiffelters Argument/ nit leicht hette erwehlen vnd nehmen können. Wohlan: ſolcher geſtalt bin ich vrbietig/ auch den Feiſten zu advocieren. Nur zeit vnd gute beſtallung her. Pingue ſolum laſſat: ſed juvat ipſe labor, ſpricht der Poeten Mundkoch Martialis. Gut Erdreich macht müde Leuth/ lohnt aber die Arbeit wohl. Für die ſchmalen Macrobiis war gnugſam ein kleines Anacreontiſch Geiglen. Der weitſchichtigen Sempronianiſchen Burſt nehm ich zu lieb ein Fundamental Baßgeigen. Auff Heertromlen ſo gar wolt ich ihren Martialiſchen Heldenmuht paucken. Kürtzlich: der Feiſten gerechten handel mit ſo vielen Argumenten helffen zieren vnnd ſteiffen/ als zu Cölln am Rhein Fettmänniche (ein gewiſſe Müntz) gefunden werden. Nun aber iſt das wort an den Dürren/ vnd wird in Keyſerlichen Rechten bey höchſter ſtraff vnnd vngnad verbotten/ zweyen Partheyen auff einmahl zugleich dienen. Deſſentwegen ich widerumb zu meinem erſten furnehmen komme. Etlicher vrſachen halber/ welche auch der Nahm mit ſich bringt/ iſt dieſes Liedt Agathyrs getaufft worden. Fürnemblich/ weil die Agathyrſi, vorzeiten Völ-

cker

cker in Aſia / keinen zur Cron kommen lieſſen / er wäre dann dürr vnd mager. Wie hergegen der Gordier König fett vnd protſchet hat ſein müſſen. Ermeltes Poema iſt erſtlich zu München an tag kommen: folgends in andern Provintzen nachgetruckt worden. Von welcher zeit an mich vnderſchiedliche Biderleuth vielfältig ersucht haben: ich wolte doch / zu from vnd nutzen deß Lateins vnerfahrnen dürren Brüdern / den Agathyrs in vnſer allgemeine Mutterſprach verſetzen. Ich hab das meinige gethan: andere das ihrig / alles wohlgemeint: eben zur rechten zeit / da bey ſchwären Kriegsläuffen vnd verſchraufften Friedenspuncten / hunger vnd kummer in dieſen Landen / vnd / wie es zu folgen pflegt / das vnwidertreibliche Compelle intrare, (heiſt / wilt du nicht / ſo muſt du wohl) Maciei, der mägern / ein groſſen vorſchub gibt; vnd auß der noht ein tugend macht. Gleichwohl die hungerige Küchenſtertzer vnd verlauffene Burſt zuvor wohl ihres beruffs halber ſollen probiert / nit leicht in die Geſellſchafft eingelaſſen / viel weniger zu hohen ämptern befürdert werden. Es haben auch / neben vorermelter vrſach / etliche freywillige Dollmetſcher deß anvertrawten Agathyrs ſich eben darumb deſto gütiger vnderfangen: damit ſie hinderſtellig oder auffs wenigſt zu ſchanden machten / ſo viel vnſchambare Teutſche Bublerliedlein / die bey dieſer muhtwilligen Welt / allenthalben herumb fliegen. Inmaſſen jetzt / was Teutſch gereimbt vnd vngereimbt / ſchier nur von Pyramo vnd Thisbe, von Liebäuglein / Hochzeiten vnd Auffwarten / Cantu molli, geſungen wird. Gleichſam wäre nichts vbrigs zu einer ehrlichen kurtzweil in der Teutſchen Poeterey: vnd ſtieſſe Venus-berg hart an Parnaſſum.

In vnſerm Geſäng / wiewohl es ſonſt für Timones, Catones, Heraclitos, Weiner vnd finſtere Saurampffer nicht angeſehen / befind ſich gerad das widerſpiel. Agathyrſus hat nichts mit dem vppigen vnd ſchnöden fleiſch zu ſchaffen. Er handlet von ſtrengheit deß Lebens / außmerglung deß Leibs / verachtung deß Todts: vom Lob der freyen Kriegs- vnnd Friedenskünſten: vom wunderlichen Wandel ſo vieler tauſent heiliger Einſidler / welche ſich noch lebendig / auff dieſer Welt / im dürren Orden /

dem ſchatten an der Wandt gleich außgeſehen haben.

Betreffend deß Agathyrſi Widerſächer / daß ihres Jammer vnd Elends etwan meldung beſchehen / haben ſie billicher weiß nichts zu klagen : dann zu geſchweigen / daß die feiſten der dürren öffter ſpotten : hat nach auß- weiſung der kunſt / Tag vnd Nacht / weiß vnnd ſchwartz / dick vnd dünn / müſſen im gegenſchein zuſammen gehebt / vnnd alſo beſſer geſehen werden. So muß ihms keiner verſchmähen laſſen / wan ſein Kothſack / der maſtige faule leib bißweilen mit Heliconiſcher laugen abgewaſchen vnd gerieben wird. Es muß doch nur geſtorben ſein ; die Würm im Grab warten drauff ; denen gleichwohl vnſer P, Drexelius ſeelig den ranck abgeloffen. Bloß für ſeiner verſcheidung ſagte er lächlend zu den Vmbſtehenden / es werden die Würm an mir eine ſchlechte Mahlzeit ha- ben. Fürwar : dann ſolche hungerige Gäſt nit gern an Beinen nagen : trachten nach einem geſpicktern Zehr- gaden. Weiters : die gelehrteſte Weltweiſen / die hertz- haffteſte Soldaten / die gröſte Heiligen Gottes / pflegten ihren Cörper in ſchertz vnd ernſt außzuſchänden, Hiero- nymo war er ein Madenſack : Reginaldo Polo dem Car- dinal ein Kleyd / daß allweil fleckens bedörffet ; Hilarioni ein ſtöttiger Eſel / müſt ſo gar die Sporen leiden. S. Paulus nennet ihn ein gefängnuß. Ja freylich iſt der Fleiſchthurn manchem Pintzger ein Keichen vber alle Baſtillen. Ein Chriſtliche Seel auß lieb vnd begird ei- nes glorificierten leibs / vnd deß himliſchen Vatterlands / ſolte nit allein hie in dieſem Elend wünſchen geſchwinde erledigung : nit allein mit den Augen vberſich / ſonder ſo gar durch klumpſen / ſpalt vnnd riß deß verdrießlichen Kerckers / ich ſag / durch ihre Rippen vnnd Bein den Himmel begehren anzuſchawen. Laſt vns jetzunder allge- mach zu dem Text ſchreiten. Man muß aber zuvor mit einem kurtzen Dialogo, oder Geſpräch die Seyten auffziehen / vnd anſtimmen.

Geſpräch

Geſpräch / zwiſchen einem Gordianer / der feiſten Parthey / vnd zwiſchen einem Agathyrſiner / der mageren Geſellſchafft zugethan.

prærupta, & aliquot locis inacceſſa. Terrebamur primò haud aliter, quàm Alexandri Magni milites à conſpectu *Sogdianæ* petræ. Ad hæc, aditum quâ per acutos ſilices dabatur, vepreta, lanceæ, & omne telorum genus, in modum ſepimenti conſtipata, prorſus incinxerant. Et petitur cuiquam, dixi, per veſtigia vix capreis adeunda tener Floſculus? & placeant hæc Olympia ſtatura tanti, curſúſque in acclive ſaxum! Atqui Poëtis leſſum mortualem plangentibus, ex monte, niſi fallor, in vallem ac ſepulchra, quod pronius, decurrendum fuit: nobis contra ex valle in ſupinum montem enitendum eſt. Deinde, quoties de Morte diſſerere jubemur, neſcio, quàm facundos ipſa natura nos fecerit; quippe mortales, mortis rei, mortis unco debiti, ſicut ejuſdem ſemina in pectore geſtamus, ita ſtatim primo vagitu prodimus infantes: viri, cunis in roſtra verſis, longa oratione, nullo negotio, proſequimur. Verùm à laude Virginis, quæ protulit vitam, tanquàm ignotum germen, inviſum munus, neque miſeris mortalibus pro dignitate ſatis æſtimandum, tam inopia propriæ conſcientiæ depellit; quam copia alienæ gloriæ præſtinguens, velut noctuas nimius ſolis fulgor arcet. Talia mecum voluntatem viſus eſt alloqui Chriſtianus Apollo, amœno vultu renidens, & jaculo verſus ſiniſtrum verticem Montis protento: Quid reſtitas timide? jam decurſa foret meta, niſi dubitares, an decurri poſſet. Ad omnes mihi ſermo eſt: Tu non poteris quod iſti, & iſte?ſi Germanus invitat vernaculâ ſuâ; Tu, Romane, non poteris prævalere linguâ tuâ. Bibite ex ungula hujus Monocerotis, infuſus liquor & pedibus alas addet. Neſcitis? non feſtinatione corporis, ſed impetu animi, hæc viarum ſpatia tranſmittuntur. Animi pedes, affectus ſunt, his itur in altum. affectibus velocior, Olympionices Marianum ſtadium abſolvet. Vicerit, quiſquis florem fortiùs, virginem caſtiùs concupiſcet.

Currite: qui primus Florem decerpſerit, illi
Imponet meritum virgo pulcherrima ſertum.

Accepimus oraculum: abſolvimus encomium: confecimus curſum: decerpſimus florem à Carmine,

quod

quod exiguum eſſe fatemur, nemini fama quæſita eſt. Maluimus obſequium debitum probare Virgini, quàm indebitam nobis arrogare gloriam.

De Titulo Odæ Partheniæ.

CUR *hujus Floris nomine Oden ſuam Auctor inſignivèrit, cauſas exploratas non habemus. conjicere licet. Canturus enim B. Virginis laudes, Titulum præfixit, qui has quoque modo, velut omine illecebroſo includeret. Quippe flos iſte, patrio ſermone,* Ehrenpreyß/ *dictus, ex nomenclatione ſua vernacula (nam ſi* VERONICAM *voces, non idem ſenſus emerget.) ſive vocabulum ſepares, ſive junctim legas; ſemper honorem laudemque ſignificat. Sortitum ajunt hoc nominis decus ex præſtantia naturæ, qua pollet, medicis eventibus conſpicuæ. Flos autem eſt ex herbarum ordine, duplicis generis Alterum modicè rubens lacteo colore palleſcit. Alterius purpura, in flavedinem vergit.* Dotes, *inter alias, iſtæ recenſentur. Medicatur læſis pulmonibus, obſtructo pectori, indurato lieni, quem emollit. utilis quoque adverſus tuſſim, catarrhos, ulcera Iuvat aſthmaticos, & ſpirandi difficultatem laxat; quo fine paſtores diſpulucrant, & cum ſale pecori curando adhibent Contra vertiginem præterea efficax, & cancrum. Humores acidos, pingues, ſpiſſos in humanis corporibus findit, evehitque. Stomachi calorem fovet, flavam bilem caſtigat, lentum vel craſſum ſanguinem, liquidiorem, puriorem que reddit. Vim memorandi torpentem excitat; utque ſimulacra clariùs promantur, enubilat. Mitigandis calculi doloribus nihil eſt præſentius. Regem quendam Galliæ,*

herba iſtius uſu à lepra fuiſſe purgatum, *ſcribit Ioach. Camerarius in Herbario Clariſſ. Viri Andreæ Matthioli; ex quo hæc ſumpſimus. Addit iſte: Diſtillatam in balneo Mariæ (ut vocant) exprimere ſudorem, pulſoque à præcordiis veneno, peſtem domare. Quæ ſingula non eſt operoſum accommodare D. Virgini. etenim ſive animi, ſive corporis morbi propulſandi ſint, quæ* Salus infirmorum *dicatur, ſcimus. Scivit ille certe, qui his conceptiſſimis verbis imploravit.* Tu, quæ genuiſti Chriſtum, medicinarum cunctis ſalutarium largitorem, medere cordis mei vulneribus, Virgo; motuſque meos internos ad voluntatem Numinis dirige. Tentationes demitiga, & miſerandæ animæ meæ fluctus compone. cor denique meum, anguſtiis preſſum, tuo ſolatio refice. *a*

a *Ex Pietat. Marian. Græc. P. I. n. 25. & 11.*

OLYMPIA SACRA
IN STADIO MARIANO.

13.

ACh! wie lang hab ich ſchon begehrt/
MARIA, dich zu loben:
Nit zwar/ als wie du wirſt verehrt:
Im hohen Himmel oben.
Diß wär umbſonſt: mein gringe kunſt
Wird an der Harpffen hangen:
Und dieſes Lied/ mit gantzem Gmühet/
Tieff in dem Baß anfangen.

I.

QVid indiſerta Pſaltria,
Quid, ah, Thalia tentas?

Cantare

Cantare laudes Virginis
Vix almus audet æther.
Impar reconde barbitum,
Raucumque veſpa murmur;
Rumpenda ni teſtudini
Vis immori *Cicada*.
Vrget amor celeres animare in carmina nervos,
Magnæ canenda Virgini.
Vrget, ſed tenuem deducere barbitos odam
Rudis timet Poëtria.
Suaviùs ætheriæ vibrent ſua plectra Camœnæ,
Digniſque certent plauſibus:
Nos humili ſub valle juvat condire profundis
Sacrum melos ſuſpiriis.
Virgo, tuas quoties exarſi pangere laudes!
Reſpuit at flammas frigida Muſa meas.
Innumeras numeris quis tentet claudere Dotes?
Hic etiam Angelicæ torpeat artis ebur.
Aurem Magna dabit tenui Regina Camœnæ?
Non facit ad tantum carmen agreſte Thronum.
At voluiſſe ſat eſt. nihil ex Helicone ſitimus,
Si, de quo cantat Fonte, Poëta bibit.
Ah! cor ſæpe tuas & alma noſtræ
In laudes ſaliere, Virgo, chordæ!
Non ut Numinis Orpheos canoris
Arte aut voce laceſſerent duellis:
Nam Phœbum malè provocaret Arcas.
Hæc venâ caret altiore Muſa;
Sed totis animis, tubâ relictâ,
Verſus concinit impares avenâ.
Ah, quoties volui ſupplex impellere noſtrum
Barbiton in laudes, Diva Maria, tuas!
Non equidem Amphion Thebis cœleſtibus ortus:
Vrbs ubi ſtructa Lyrâ, myſtica ſaxa ſonant.
Si licet, & pateris; Dominæ famulata paternum
Fatidici feriet Muſa Davidis ebur.
Pectore demiſſo quicunque profundiùs orat;
Dum penetrat nubes, altiùs ille canit.

2.

Demühtig ſey von mir gegrüſt/
Nimb gnädig an diß gruſſen:
Von der ſo viel der Gnaden flüſt/
Was immer her mag flieſſen.
Der dich erwehlt hat/vnd gewölt/
An deinen Brüſten ſaugen;
So ſchön Er iſt/ſo ſchön du biſt:
Er ſcheint dir auß den Augen.

II.

Sed mentis urget impetus,
Amor vetat ſilere.
Ave canenda millies,
Et ſæpius MARIA!
Fons ô ſalutis inclyte,
Compendiumque Nati!
Quàm pulcer eſt, tam pulcra tu:
Totoque ſpirat ore.

Salve ergo, ô Virgo, Mater dulciſſima ſalve,
Et blanda votis annue.
Tot tibi ſollicitum meditatur pectus honores,
Quot plena fulges gratiis.
Infans Virgineo qui geſtiit ubere paſci,
Vlniſque ferri ſarcina;
Is tua depingit roſeis labra æmula labris.
Nempe uvam ut uva purpurat.
Incipe Muſa; imum fidibus depecte ſuſurrum;
Ritè canam Dominam pronus in ora meam.
Salve Nympha: Tuo ſaliant ex ubere Lymphæ,
Vnde ſuos riſus Orbis uterque bibit.
Æterno qui FONTE fluit Fons, Ipſe Sititor
Geſtit materni ducere mella favi.
Lucet ab alterno *Genitrix* & *Filius* ore;
Quiſquis amas MARIAM pingere, pinge DEUM.
Salve ſupplice corde FONS SALUTIS,
Nec ſpernas famulum: MARIA ſalve:
Ex te tot Charitum fluenta fundis,
Quot vaſtum fluvios parit Profundum,
Quàm Natus tuus eſt decorus ore,
Tam cultus tuus eſt decorus ori;

Sol

Sol Natus tuus eſt, es ipſa *Luna*,
Formoſiſſimus eſt, es ipſa forma.
O igitur ſalve. ſacros patiare rogamus,
Libari noſtro pronius ore pedes.
Per te, perque tuos obteſtor, VIRGO, favores;
Ex qua ceu riguo Gratia fonte ſalit.
Qui ſibi te immenſo Genitricem elegit ab ævo,
Ille tuus PULCHER, LACTEUS ille tuus;
Fallor: án ex oculi materni proſpicit uva?
Quàm ſimiles ſunt, *hac Mater*, & *iſte Puer*.

3.

Was in der welt ſo manigfalt
Zierlichs iſt außgegoſſen:
Wird in vergleichung deiner gſtalt/
Verworffen vnd verſtoſſen:
Die gröſte krafft/den beſten ſafft/
Die fünfft Eſſentz der Gaben/
Soll/wie man ſagt/deß Herren Magd/
Vom Sohn empfangen haben.

III.

Natura quidquid *Dædala*
Digeſſit arte pulcri,
Hymettios per floſculos,
Per Indicos lapillos,
Per clara cœli Sidera,
Et aureos planetas:
Hoc omne cedit VIRGINI:
Pudetque comparari.
Induat in miros ſe florida pompa decores
Mundi volentis aſpici:
Victa tamen, pulchro cum tu jubar exeris ore,
Se forma gaudet deſpici.
Si quid inacceſſis latitat ſpecioſius aſtris,
Si quid recondit Gratia,
Vna tenes Mater, Natuſque remunerat unam,
Totamque donis perfluit.
PRIMA ſui quidquid diviſit in Orbe VENUSTAS,
Colligit in forma ſe Decus omne Tua.
Iam nec Erythra micat, nec Chloris floribus halat;
Fulges præ gemmis, VIRGO, fragraſque roſis. Ar-

Digitized by Google

Artificis Summi reliquis ſe Dextera ſpargit;
Implevere Tuos *Arx Opifexque* ſinus.
Flectit humo famulæ dum caſta Modeſtia frontis;
Reginæ ſupra ſidera ſcandit Apex.
Quoſvis Paſitheæ decoris omnem
Sparſos munere rivulos per Orbem,
Tanquam diluvium MARIA formæ,
Immenſum mare gratiæque vincis:
In te nam tuus, ô BEATA, Natus
Concludens operum brevem *Synopſin*,
Et gazæ tibi præpotentis aſſem,
Virtutum quoque contulit medullam.

Naturæ gremium toto excutiatur in Orbe:
Effundat cornu Copia plena ſuum.
Quod viret in pratis: quidquid ſcintillat in aſtris,
Aut rubet in conchis, maceret igne liquor:
Sic, ut conflatus gemmam decor omnis in unam
Certa per artificum cola tuboſque fluat.
Tota tamen non eſt unius digna venuſtas
Pupillæ tunicam tingere, Virgo, tuæ.

4.

Der Annæ Leibsfrucht deinem Kind
Iſt gantz nit zu vergleichen:
Und was ich guts in Sara find/
Muß eben ſo wohl weichen.
Die Rachel zwar die ſchönſte war/
Der Jacob offt thät rüffen;
Doch gegen dir/ weiſſag ich ihr/
Wird ſie/ wie Lia trieffen.

IV.

ABRAMUS hanc ô viderit,
Et par nepos Abramo:
Qui pro Sorore ſerviens
Conduplicavit annos:
Voces in has erumperent;
Vah, tetra monſtra, formæ:

O Sara!

Digitized by Google

O Sara *Spinthurnicium !*
Pitheciumque Rachel !
Sunt jam vana Deos genituræ ſomnia matres;
Tu Mater una Numinis.
Ulimi ſuperas auguſta puerpera partu,
Cunis quod uſquam vagiit.
Eſt minor, Anna, tuus, minor eſt *poſt oſtia* quondam
Sarae jocantis Filius.
Opprobrium formæ credat ſe iudice Rachel,
Liamque dicat *alteram.*

Anna ſuo quondam matrum fauſtiſſima partu,
Infelix dici, Te pariente, poteſt.
Quæque parens ſeri riſit cunabula Nati.
Miratur cunas Sara modeſta tuas.
Illaque, bis ſeptem quam paſtor amaverat annos,
Ruſtica præ Dominæ contegit ora genis.
Cynthia ſic ignes ſuperat formoſa minores,
Æmula fax nitidi nec micat ulla Chori.
* Quo plùs Emmanuel tener vetuſtâ
Ceu Phœbus Samuele fulſit umbrâ;
Hoc Annæ quoque præſtitit Maria;
Hoc Sara quoque pulchrior Maria;
Hoc Rachele venuſtior Maria.
Hac cum Virgine comparata forma,
Hoc cum ſidere comparatus æther
Diſparet bona forma, *lippit* æther.

Quo ſpacio ſeſe Samuel Chriſtuſque relinquunt;
Facta parens utero ceſſerit Anna tuo.
Virginis audito partu, ſua gaudia Sara
Cunaſque, & riſum rideat ipſa ſuum.
Ut fuerit Rachel formoſa, ac digna, tot annis
A paſtore proco multa ferente peti:
Lippa ſoror tecum collata videbitur eſſe;
Lippa? ſed & luſca, & cœca, myopſque Lia.

5.

Abigail war nie ſo klug/
Die David eingenommen:

Und

Vnd die durch ihren Waſſerkrug
Den Iſaac hat bekommen.
Judithæ blut vnd Heldin muht/
Vnd ſtärcke/müſt verzagen.
Der vorzug ghört MARIAE Schwerdt:
Was will ich lang viel ſagen?

V.

IUDITTA non tam fortis eſt,
Non tam REBECCA prudens,
Nabalis Vxor barbari,
Caræ *Camœnæ* mentis,
Placare docta regiam
Sermonibus machœram,
Delirat hîc, evanidis
Cum gentium Sibyllis.
Vincitur ingenio, quæ munere provida vicit,
Davidis iram vindicis.
Et tu, cui *ſortes* facilis dedit, VRNA *jugales*.
Vultu Rebecca vinceris.
Hebræa Aſſyrio celebris Bellona triumpho
Cedit trophæa Virgini.
Succiduæ trepidant acies, ubi fulgurat enſis
Divæ vibratus dexterâ.
Quid collata Tibi, potuit ſapuiſſe videri,
Ieſſæi gladii quæ domat ore minas.
Nympha quid, egelidâ quæ flammas prodidit urnâ
Sponſus ab oblatis cui fuit emptus aquis?
Illa quid, Hebræis Victrix cantata triumphis,
Meſſuit Aſſyrii quæ fera colla Ducis?
Linea ſunt cœptæ ſine lumine ducta tabellæ.
Perfectum VIRGO Numinis extat opus.

Quid cum Virgine comparata ſtulti
Cuſtos provida, Nabaliſque conjux;
Aut felicior urceo jugales
Iſaci ſimul *hauriens* amores:
Aut huic robore comparata Iudith?
Hæc ſtrictum properè recondet enſem:
Splendoris dabit haut Rebecca guttam;
Nomen Nabalis obtinebit illa.

Gratior.

Gratior, & cautâ ſolertior Abigaïle,
[Te tamen exceptâ] fœmina nulla fuit.
Comptior obſequiis, & honeſtior ore, Rebeccâ,
[Te tamen exceptâ] nulla puella fuit.
At non Iudittæ gladium Bethulia jactet,
Quamlibet Aſſyrii cæde ſuperba Ducis.
Quin ultrò volet ipſa tuo dare baſia ferro,
Et titulo victrix inferiore cani.

6.

Erfahren hats der Holofern/
Der Gott hat gleichen wöllen:
Der Lucifer vnd Morgenſtern/
Mit ſeinen ſchönen Gſellen.
Du haſt den Pracht zu nichten gmacht:
Vnd der verfluchten Schlangen/
Dem Höllen Fürſt/den Kopff zerknirſcht/
Daß ihm der muht vergangen.

VI.

Te ſenſit audax *Lucifer*,
Rebellis ala Ditis:
Non fabuloſi milites,
A ſeculo Gigantes:
Subſtructiones improbas,
ALTISSIMO propinquas.
Et contumaces Spiritus
Contrivit una planta.
Diſperiit ſcelerata phalanx. monſtrum jacet ingens;
Deditque pœnas Tartarus.
Feſtivis iterum colluceat ignibus æther:
Ferale Sidus occidit.
Occidit aſtriferis quiſquis bella, impia bella,
Campis ſceleſtus intulit.
Hoc habet, & Stygio ſerpens porrectus in antro,
Faſtum nocentem deſpuit,
Quàm bellatricis decoret te gloria dextræ,
Monſtrat adhuc Stygio Bellua merſa lacu.

Illa

Illa per ætherias Tempeſtas horrida ſedes,
  Accedit titulis Hydra perempta tuis.
Criſta jacet tumidis olim radioſa pyropis:
  Sub pede victrici ſibila colla premis.
VIRGO, nulla Tuis æquant ſe prælia pugnis,
  Ex acie palmam nec feret ulla parem.
    Senſit prô HOLOFERNUS *Inferorum*,
    Divinæ procus indoliſque ſenſit,
    Senſit LUCIFER ille ſideratus,
    Erronum quoque ſiderum magiſter;
    Quæ ſit Virginis arguentis ira:
    Quid ſit Virginis obterique plantâ.
    Evax! Cerberus hac premente victus,
    Hac, hac Tartarus eſt ligante vinctus.
Senſit Tartareas Holofernes pulſus ad oras:
  Cui Numen cœlo pellere faſtus erat.
Ille Draco, obſcuri nebuloſus Lucifer Orci
  Deque triumphata poſteritate ferox:
Senſit virgineæ calcatus fulmina plantæ;
  Illiſumque ſolo eſt prodigiale caput.
Vipereo fundus cerebro reſperſus Averni,
  Ex illo ſaniem tempore felque vomit.

7.

Selbm erfahrt es der Tyrann/
  Vor etlich ſechzig Jahren:
Als er zu Meer mit Schiff und Mann
  Hinab in Abgrundt gfahren.
Der Türckiſch Hundt/dort wohl empfundt/
  Daß nichts mehr halff das bellen;
Hinnumb/herumb/getrieben umb
  In Sturmb und Waſſerwellen.

VII.

Et tu Tyranne Boſphoro
  Egreſſe, ſterne pontum:
Claſſem, viroſque compara,
  Solum, ſalumque inunda.

Ad.

Ad Inſulas Echinadas,
[Locum memento Fati,]
Ad Inſulas Echinadas
Miſceberis profundo.
Iam duodena ſacros numerant tibi luſtra triumphos,
Metitque pax adorcas.
Bellica deſcripſit Marianos Gloria faſtos,
Cani nefaſtos Turcico.
Ad tua palantes trepidârunt claſſica lunæ,
Fractis pavore cornibus.
Ad tua commotum tumuit mare ſigna, Maria,
Thraceſque fluctu ſubruit.
Saucia Threiciæ didicerunt cornua Lunæ,
A Luna quid ſit nobiliore premi.
Agmina ſanguineo rapiuntur barbara fluctu,
Nereus imperiis dum gerit arma tuis.
Nequidquam Getici latrat canis ira: procellis
Pars perit, hoſtili pars cadit icta manu.
Vectores, Nautæque ſalo, tabulæque rotantur.
Pallas ab irata fortior arce tonat.
Hujus Thracia mille luna magnis
Eſt experta manum coruſca velis,
Ætolum mare claſſibus fatigans.
Interceſſerat ut Maria votis:
Eclipſin fuit, ecce, paſſa *Luna*.
Et ſpes Turcica naufragata ponto;
Eſt victus Selymus; Maria vicit:
Tu quoque ſenſiſti celebres ad Echinadas armis,
Quem Selymum Turcam barbara Terra vocat.
Vix Mariana dedit ſignum tuba: cùm mare vaſtum
Odryſios barathro merſit hiante Duces.
Deſcendêre viri totis cum navibus hauſti.
Fragmina disjectæ claſſis arena tulit.
Voluit, & in medio fluctuque æſtuque revolvit.
Vnda catenatos exululata canes.

8.

Das Meer der Statt Corintho gantz
Mit Blut war vberloffen.

Digitized by Google

Alis dem Baſſa/hat ein Lantz
Das lebendig getroffen.
Gantz bitter wehe war Siſaræ/
In dieſem leid vnd jammer:
Dem Hirn vnd Bein hat gſchlagen ein
Der alt Jahelis Hammer.

VIII.

Tabo rubebunt vortices,
Nocentiore tabo,
Quàm Neſſus è præcordiis
Stillârit interemptus.
Centaurus ALIS Nereo
Portaberis Corinthum.
Et *Vulnus* hoc, & *Funus* hoc
IAHELIS eſt ab ictu.
Triſtibus irrubuit Neptunus decolor undis,
Luctatus inter funera.
Vindex Biſtonio vitam romphæa tyranno
Rimata lato vulnere eſt.
Sævior inſtabat triſti Rhamnuſia Fato,
Faſtumque preſſit Siſaræ:
Decubuit, putremque animam ructavit in Orcum,
Rumpente frontem malleo.
Longa ſuperfuſo nigreſcunt littora tabo,
Mergitur alta rubris pœne Corinthus aquis.
Inflatis nuper velis ventoſior *Alis*,
Voluitur obſcuro gurgite pondus iners.
Non dolet inviſis vitam diffundere Fatis;
Tam validis MARIAM viribus eſſe dolet.
Sic veteri Siſaræ clavus fit clava Iahelis:
Senſerat hæc medio Concanus arma freto.
Tantas erubuit videns ruinas,
Et tot funera, Nereuſque ſtrages:
Nam fuſus cruor hoſtis, & rubentes
Pulſabant animæ natantis Iſthmum;
Præfectus quoque Turcicus necatus
Oſtendit Siſaræ timenda fata;
Quando dirigit arma Chriſtiana
Ad *clavum* reſidens Iahel MARIA.

Tunc

Tunc Naupactæas pavere Cadavera phocas,
Stagnaque ſanguineis intumuere vadis.
Torvus Alis princeps remumque momordit & haſtam
Faucibus, in Stygias præcipitatus aquas.
I nunc, Threiciam præfer Geta Siſara claſſem:
Chriſtiadum trucibus claſſica ſperne minis.
Si potes, & noſtræ clavum contemne Jahelis.
Fortiter impactus malleus hujus erat.

9.

Hie/weiſer Mann/dein ſtarckes Weib/
Hie/mein ich/wer ſis erfragen:
So ſtarck/daß ſie in ihrem leib
Hat gar ein Riſen tragen.
Da noch ſo klein/ein Jungfraw rein/
Den gröſten Mann umbfangen:
Der ohn beſchwerdt kont von der Erdt
Hoch biß an Himmel langen.

I X.

Hic illa fortis denique
Herois eſt reperta,
Clamata terris omnibus,
Vix evocanda cœlo.
Virgo Virum circumdedit,
Virum puella magnum;
Tellure qui ſtans, unico
Suſpendit aſtra pugno.
Deſine ſollicita luſtrare indagine mundum,
Num fortis uſquam fœmina?
Magna, ſed una tamen tibi ſiſtitur Heroina,
Non metienda Amazoni.
Prodigium matres agnoſcite: Virgo Gigantem
Puſilla magnum parturit.
Virgineiſque virum Genitrix amplectitur ulnis,
Qui tangit aſtra vertice.

Inſtitor extremos *Sapiens* quid curris ad Indos,
In merce ut reduci Foemina fortis eat?

Fortius

Fortius eſt aliquid, Fortis quàm Virgo? pudici
Clauditur immenſa corporis Orbe Gigas.
In cujus digito Cœlumque & Sidera currunt.
Illi pro Stadio Virginis ulna fuit.
Machina cui Mundi vix parvum vaſta cubile,
Huic MARIAE Gremium fit Thronus atque Torus.
Fortem quid Salomon requiris ultra
Deſperans propè fœminam per Orbem?
Hæc eſt fortior omnibus Camillis
Virgo, Thermodoontiiſque peltis.
Intra viſcera clauſit hæc Gigantem,
Ipſum corpore condidit Tonantem.
Forti dicere fœminâ repertâ,
Rex Εὕρηκα quid ergo magne ceſſas?
Iam non trans Thulen *Mulier* Salomonia *fortis*
Quærenda eſt. Solymas, ecce, ſtat ante fores.
Si fortes creat & fortis; tulit iſta gigantem,
Non niſi divino ſemine plena parens.
Concepit, circumque dedit [notiſſima res eſt
Vatibus] ingentem parva puella virum.
Qui terra ingrediens tantò ſublimius inter
Nubila quantumvis condidit alta caput.

10.

Zier/ Mardochee/ tauſentmahl
Dein ſchöne Heſter/ zier ſie:
Vnd führs drauff in deß Königs Saal/
Zur Hand Aſſueri/ führ ſie.
Laß ihr geſchmuck vnd güldes ſtück
Mit Perlen vberſetzen:
So werd ich doch/ MARIAM noch/
Ohn maß weit höher ſchetzen.

X.

Se comat HESTER nobilis,
Se compta meliatur;
Frontique fundos *illinat.*
Quin regna corpus ornent.
Sit tota demum gemmea,
Sit tota margarita;

Si

Si compares, ut plumbeum
Exploſerim metallum.
Purpuret Heſtra genas, nitidaque in fronte lituras
Cenſore vitro corrigat:
Errantes ſtatione comas componat in arcum,
Elenchus aure pendeat.
Ventilet auguſtos *phaleræ* ò in corpore cenſus
Perſæ marita principis.
Non tamen ad ſolidos facit hoc leve fulgur honores,
Solam decent hi VIRGINEM.
Cepit Achænienium gemmis oculiſque Tyrannum,
Mardochææ tuo *compta* puella *metu*.
Sol quoties criſpum capitis depexuit aurum,
Pexa tamen crines non ſatis illa ſuos!
Cynthia mutato quoties reſplenduit aſtro,
Nec ſatis Heſtera eſt viſa rubere ſibi!
Auguſtæ Dominæ radius te ſtrinxerit unus;
Mox, Regina, genis tota rubere potes.
Ornet patruus *Eſtherem* pyropis,
Et cunctis Garamantidos lapillis.
Et totam Tyron, Eſtherique totam,
Vt Rex diligat, induat Sabæam:
Hæc ſed clarior omnibus pyropis,
Mater purior omnibus ſpecillis.
Vivum prototypon mihi deceris,
Vmbræ vix ſpecies videtur Eſther.
Aſſueri conjux pulcherrima prodeat: ulla
Si dubiam litem forma movere poteſt.
Excolat ergo ſuos ſpeculoque reciproca vultus
Vrgeat, Heſtheras multiplicetque novas.
Palla coruſcantis motu ſingultiat auri;
Plurimus in collo luxurietur onyx.
Ah! quid in hac ſumptus nutritor perdis Alumnæ?
Mortua viventi cedit imago Deæ.

II.

Was ſoll ein bloſſer ſchatten ſein/
Nur ein figur der Alten/

Gegen dem heſſen Sonnenſchein?
Das Feld kans nit erhalten.
Ein Engel ſag/ſo viel er mag/
Vnd hör nit auff zu ſchreiben:
Wird doch darob allzeit vom lob/
Das meiſt ihm vberbleiben.

XI.

Lucente Sole, frigidæ
Dudum periſtis umbræ.
Cùm VERITAS effulſerit,
Faceſſat hinc *Figura*.
Dicant Mariam Cœlites,
Et Siderum choraulæ,
Cùm dixerint ter omnia,
Dicenda plura reſtant.
Hæc obſcura olim veteres luſiſtis in umbra
Nec umbra plauſu finiit.
Iam nova perſonæ facies, ſine nube theatrum
Sincera pandit Veritas.
Spectatum ſatis eſt; Marianæ plaudite ſcenæ
Stellantis aulaï Hoſpites:
Ingeminate choros Genii: reparabilis Echo
Cœlo ſoloque perſonet.
Scilicet Iſaciæ fuit hæc caliginis umbra,
Atque ſecuturæ tecta favilla Facis.
Flammea nocturni ſic laudas atria cœli,
Dum Sol divitias pandat ab axe ſuas.
Ipſe tuam damnas mox Titan pallide flammam,
Virgo Parens roſeum cùm vibrat ore diem.
Angelicas inter nulla eſt tam dædala Pennas,
Exprimat ut tanti luminis Ala jubar.
Quantùm lamina diſtat à lupino,
Quam nutrit Tagus, aut propinat Indus:
Tantum codice ſanctiore Virgo
Laudatas ſuperat Parens Figuras.
Scribant Sidera Virginis refertas
Laudum carmine lineas, & orbes:
Si ſcribant ſine fine, ſique cantent;
Ad centrum, nec ad angulos reducent.

Vmbra

Vmbra quid ad Solem : num veri æquabit honorem
  Corporis, à madida linea ducta manu ?
Provoco vel Superos [vinci mortale fatemur
  Ingenium] quotquot fert oneratus Atlas.
Virgineas Dotes poſita frænare columnâ
  Tentent; Huc ſigno ſcilicet VSQVE dato
PLUS VLTRA inclamem toties. trans, meta MARIAE,
  Humanas Gades Angelicaſque jacet.

12.

Zwölff Stern vmb ihr glorwürdigs Haupt
  Ringsweiß heroben ſchweben;
Dann ihn allein iſt es erlaubt
  Daſſelbig vmbzugeben.
Kein Schwerd kein ſtab/kein gwalt tribs ab/
  So ſteiff thuns hie verharren:
Sie lieſſen ehe/der Himmel zwee/
  Ja ſämptlich alle fahren.

XII.

Sertum *Puellæ Gnoſsiæ*
  Vt verticem coronat !
Bis aſtra ſex hîc excubant,
  Hic excubare gaudent :
Seu juſſeris, ſeu truſeris,
  Non dimovebis unguem.
Priùs migrabunt æthere,
  Quàm deſerant MARIAM.
Officioſa tibi duodenis aſtra pyropis
  Sacrum ſerenant verticem.
Sollicita ſtatione hærens vigil excubat ignis,
  Nullo movendus turbine.
Et caput hoc, fas eſt, ſtellatâ impune coronâ
  Cingat ſatelles ætheris.
Fixa priùs, liquidos erret vaga ſtella per orbes,
  Quàm fronte migret Virginis.
Virgineo Capiti bis ſeno fulgure ſerta
  Irradiant, flammis ambitioſa novis,

Et quanquam Divæ certant allambere crines,
Attamen intacti verticis ardet apex.
Quanta rotat circum famulas reverentia flammas!
Quantus amor Dominæ volvit in orbe Faces!
Ignibus antè ſuis viduus ſpolietur olympus,
Quàm perdat radios iſta corona ſuos.

Bis ſenæ caput hinc & inde fixæ
Cingunt *lumine blandiente* ſtellæ:
Hæ, ſi Marte premat Iovem Typhœus,
Aut ſi deſerat aſtra feſſus Atlas,
Et cœlum ruat, atque fractus Orbis
Secum detrahat ad profunda Solem;
Hæ fixæ tamen hinc, & inde ſtellæ
Cernent *impavido nitore* caſus.

Stella ſacris duodena caput regale coronat
Floribus, & fluxas ambitioſa comas.
Iſta miniſtrantes ſtatio, pia Sidera, flammas
Detinet: hoc acuunt lætius ore jubar.
Vicinos circùm videas errare Planetas,
Flagrantes lepidis invidiæ maculis.
Non abigant hinc Saturnus, ſi falce minetur;
Non Mars enſe ſuo, Iuppiter igne ſuo.

13.

Ihr gröſte fremd vnd hertzens luſt
Iſt/dieſes Gſicht anſchawen;
Den Mund/den Gott ſo offt geküſt/
Die Augen vnd Augbrawen;
Geſalbte Händ/Lefftzen vermengt
Mit Hönig vnd mit Roſen.
Oelflieſſend Red/die von ihr geht/
Iſt vber alls liebkoſen.

XIII.

Hæc ora, frontem, lumina,
Has areas genarum,
Hæc comparata Numinis
Labella bella labris;

Has

Has gratias, hunc aureæ
Solem videre formæ,
Est Suavitatum Suavitas;
Quin eſt Olympus ipſe.

Hic juvat aſpectus: ſincera hoc gaudia vultu
Librare gaudent ſidera
Totque columbino mirantur Virginis ori
Fixiſſe Numen oſcula.
Stillant ambroſio tibi roſcida melle labella,
Manuſque rorant balſamo;
Ore roſas, oculiſque roſas jacis: undique frontem
Verni coronant floſculi.

Aſpergunt foliis radioſum luminis imbrem
Sidera, *de vultu Virginis ipſa bibunt.*
Quid niſi mella fluant illa de fronte, geniſque,
Vnde Deus ſuccum nectaris hauſit Apis.
De manibus primæ deſtillant munera myrrhæ.
Eſt collum niveis area ſcripta roſis.
Balſamei laticem roris labra bina propinant;
Hic *Naris* dubites, *Auris* an eſſe velis.

Vultus Virginis, eſt amœnitatis,
Dans ſpectacula perbeata *Circus.*
Os, quod Numinis oſculis inunctum,
Tinctum, floribus, ebriumque melle:
Quod nectar loquitur, roſaſque fundit;
Stellantes oculi, manuſque *primam*
Flentes ubere ſuavitate *myrrham*;
Omnis ſunt amor, omnis & voluptas.

Quem non detineat tam vultus amabilè mulcens!
Languiduli quem non hi feriant oculi!
Sed neque ſic languent, ut amœna ferocia deſit.
Appreſſo irritant oſcula plena Deo.
Diffundunt digiti myrrham, caſiæque liquorem,
Oblita ſunt roſeis bina labella favis.
Neſcio quo ſimplex facundia nectare manat.
Certè ea vel miti mitior eſt oleo.

Digitized by Google

14.

Dem Palmenbaum ihr länge gleicht/
Die Wang den Turteltauben:
Vnd ihren ſüſſen Brüſten weicht
Der Wein auß Cypris Trauben:
Voll Hyacinth: von keiner ſünd
Noch groß/noch klein beladen:
Deß Adams gifft/das alle trifft/
Hat ihr nicht können ſchaden.

XIV.

Statura palmam provocat,
Certant genæ columbis.
Fons uberum vel Cyprias
Poſt ſe relinquit uvas.
ILLIME VAs te criminis
Non inquinavit error.
Primi parentis toxicum
Tantùm *medendo* nôſti.

Diceris aëria, Virgo, magis ardua palmâ,
Quæ verrit æthram frondibus.
Grata tuo Cypri cedit vindemia ſucco,
Quem ſacra fundunt ubera.
Purpureas ſine labe genas non turtur adæquas
Decente vultus gratia.
Noxa procul genialis abeſt: primæva nocenti
Non læſa virtus toxico eſt.
Palma ut vicinis caput hoſpes nubibus infert,
Sic ſe, VIRGO, tuo vertice tollit honos.
Simplex innocuo reſidet Tibi Turtur in ore,
Vberibus certet nec Cypris uva tuis.
Lilia cum ſociis ludunt in corpore gemmis;
Vincit mens ipſas integritate nives.
Labis pura nites de tot mortalibus una:
Nec macula agnati te premit ulla mali.

Huic palmæ velut eriguntur artus:
Turtur mitibus inſidet labellis.

Huic

Huic ſunt ubera dulciora muſto,
Quod prægnante parit Cyprus racemo.
Eſt gemmis gravis, atque tota gemma.
Eſt totum decus intus abſque noxâ.
Eſt præſtans, ſine verme, Fructus Adæ.
Eſt Evæ ſine væ decora proles.!

Ardua, Idumæis ceu palma aſſurgit in arvis.
Lacte putes lotas turturis eſſe genas.
Vbera [matris honor] pendentibus æmula bottis,
Haut ſecus ac Cyprii palmitis uva fragrant.
Contra angues *saturis* vallatam cor *hyacinthis*
Lædere non poterat virus, *Adame*, tuum.
Fertur, *prima* nocens cùm carpſit ab arbore malum,
Abſtinuiſſe ſuas Eva secunda manus.

15.

Weiß/roht/ihr Lieb vnd Schatz ſein ſoll/
Als der im Krieg geſtritten;
Sie köſtenbraun; vnd ſteht auch wol/
Gleich wie Cedar Hütten.
Der ſie entferbt/hats nit verderbt/
Sonder nur wöllen mehren.
Viel ſchöner ſeys auff dieſe weiß/
Der Augenſchein thut lehren.

XV.

Dilectus illi candicat,
Candenſque purpuraſcit:
Sed illa dulcè nigricat,
Amœna ſic videri.
His imbuens coloribus,
His lineis honeſtans,
Formæ ſuæ miraculum
Faciebat, imò Fecit.

Ille tuus, tuus unus Amor candetque, rubetque,
Fuſo decorus ſanguine.
Tu Sponſa, aſſiduis veluti tentoria Cedar
Fuſcaris icta ſolibus.

Artifici hoc placuit vultus medicamen *Amori*:
Cùm nigra ſis formoſior.
Hinc placido ridet facies tranquilla ſereno,
Quam nulla nubes aſperat.
Sponſi mixta nivi commendat purpura vultum,
Scilicet hoc dederant prœlia geſta Decus.
Sponſam fuſca quidem facies, ſed amabilis ornat,
Lævis in enodi ſic nitet umbra cedro.
Cynthius hanc Sponſæ cœleſtis lampade formam
Pinxit; præ reliquis nam placet ille color.
Gratius ex oculi vitro nigredo relucet,
Hæc Pupilla ſuo colligit Aſtra ſinu.
Sponſus Virginis inclitus cruentis,
Plus candens nive, purpuraſcit armis.
Sponſæ janthina nigricanſque forma,
Reginæ decus anteit Sabææ;
Et quæ Cepheus æſtimavit ora.
Hæc eſt Numinis indoles, & ars eſt;
Obſcuris magis emicare rebus,
Et lucem, ſimul, & locare noctem.
Millibus è multis bicolor DILECTUS, & oſtro
Et nivibus certat, ſanguine tinctus ebur.
Ipſa tamen fuſca eſt, quali ferrugine ludunt
Caprarum pelles & Cedarena domus.
Nec quia fuſca, minùs placeat. vaccinia lætam
Sic faciem & dulces miſcuerunt violæ.
Res loquitur. magis urit enim pretioſa nigredo;
Pallida, DILECTI pallet amore ſui.

IV.

Wie ſie dem König auffgewart
Zu Heſebon/in Reben/
Da hat den beſten gruch ihr Nard
Herumb weit von ſich geben:
Ihr Sommerhauß durchgehend auß
War voll der Zimmetrinden.
Darzu/ſo hats ein ſolchen ſchatz/
Dergleichen nit zu finden.

XVI. Rex

XVI.

Rex fortè pranſus vineæ
Vt pergulas obivit;
Quas ordinavit Heſebon
Per collium theatra:
Tunc balſamum, tunc cinnamum
Tunc cortices Ciliſſi.
Tunc nardus eſt; & omnium
Effuſa viſo odorum.

Pampineos inter tumulos Heſebonis in agro,
Ancilla Regi ſiſteris
Dumque recumbenti vigil adſtas, undique nardi
Odora ſpirant germina.
Sunt tibi frondifluo ſpecioſa cubilia luxu
Suffulta libris cinnami
Largior haut aliam Fortunæ rivus inaurat,
Manatque dos beatior.

Nympha Palæſtinis cùm Regi aſſiſteret Hortis,
Faſciculus Nardi, meſſis odoris erat.
Latè Engaddanis ſe vernans aura viretis
Diſtulit: in totos ſpiritus ivit agros.
Regius accubuit geniali Sponſus in oſtro,
Cinnama fragrantem compoſuere larem.
Horti deliciis prior eſt Sponſa omnibus Vna;
Veris in hac Sponſus gaudia cuncta legit.
Hæc certans Heſebonis in viretis
Omnes obſequii ſubire partes,
Vt Regem ſibi vindicaret omnem,
Spiravit Cilices odore nimbos,
Nardum, cinnama, balſami medullam,
Ac omnes animas roſariorum.
Ingentem ſuper hoc tenens opum vim,
Orbis poſſidet utriuſque gazas.
Quo trudit pingues Heſebonis villa racemos,
Regia cùm ſedem figeret Aula jugo;
Obvia fortè ſtetit. mox fundere nardus odores:
Spargi Corycio purior aura croco:
Fumare incenſis æſtiva umbracula libris,
Quantos è ſicco cortice volvit Arabs.

Vt taceantur opes,genus innumerabile gazæ.
  Filia tam magnam nulla Sionis habet.

17.

Der Mon/all Monat hat ſein gnants/
  Von ſeiner lieben Sonnen/
Vnd mehrers nit: dann all ſein glantz
  Quellt her auß dieſem Bronnen.
Hat er ſein meiſts Liecht auffzehrt/heiſts/
  Sparamundus halt darzwiſchen;
Biß widerumb die Sonne kumb;
  Die muß die fleck abwiſchen.

XVII.

Argenteæ fax Cynthiæ,
  A Sole nonne lucet?
Fulgoris hic precarii
  Cùm ſat dedit Sorori,
Et illa plenis cornibus
  Vlciſcitur tenebras;
Tunc frater illi ſubtrahit
  Quadramque Sportulamque.
Arbitrio Phœbi lunat ſua cornua Phœbe,
  Et juſſa rurſum contrahit.
Fraternoque ſoror bene compta ſuperbit in auro,
  Genaſque pingit æmulas.
Aſt ubi ſubducto latitat ſol aureus ore,
  Orbata ſqualiet Cynthia:
Donec ad aſtra redux abſtergat nubila Phœbus,
  Nævoſque Lunæ diluat.

Luna quòd ambito limbum ſibi circinat auro,
  Accipit à fratre hæc menſtrua penſa ſoror.
Accendit ſeras aliena lampade bigas,
  Frænaque dat tacitis mutua pauper equis.
Quod ſi fraternæ remorentur pabula flammæ,
  Caſſa auro,plumbi livet in ore notis:
Vlla nec infectos extergit ſpongia vultus,
  Ni purget ſordes Fratris in igne ſuas.

Per

Per menſes face ſingulos Sororem
Phœbus recreat, erogatque certam
Curſu perpete ſportulam nitoris:
Nam fons luminis, omnis & nitoris
Sol eſt undique promus, atque condus.
Si conſumpſerit hanc Diana lucem;
Cœco ſidere pervagatur aſtra;
Donec lumina Frater ipſe reddat.

Ignes Luna means inter regina minores
 Candida præſigni cornua fronte gerit,
Atqui divitiis alieni clara metalli,
 Argentum *radit* Fratris ab ore ſuum:
Nam niſi Sol quovis conſumptum menſe rependat;
 Evaneſcit inops & miſeranda ſoror.
Ille cavas iterum valles implere rogatur.
 Tantiſper retinet ſe pudibunda domi.

18.

Weit anderſt iſt das Firmament/
 Das in MARIA leuchtet.
Mon hat ſein anfang/ hat ſein end/
 Nur Tröpffles weiß befeuchtet.
Du/du Planet von Nazareth/
 Du hohes Gſtirn der deinen/
Du biſt das Faß/das ohne maß.
 Mit ſtätem Liecht thut ſcheinen.

XVIII.

Aliud MARIA ſidus es,
 Alius Planeta VIRGO.
Quis vidit in te nubila?
 Quis menſtruos pavores?
Lunaticas quis vertebras.
 Spaſmoſque febrientes?
Tu LUNA, tu fax, *ſonticos*
 Non ferre nata *manes*.

Altera, flammifero veheris ſuper æthera curru,
 Decus, MARIA, ſiderum.

Aurea tu fulges, vix luna *argentea* pallet,
Cenſûs egena menſtrui.
Summaque Nazarei, Tu Virgo, Gloria cœli
Minora vincis ſidera.
Tu ſine nube dies, Tu ſol, ſine labe, perenni
Accendis Orbem lumine.
Non ita mendicis Virgo dat fulgura flammis;
Nec defecturis hic pluit imber aquis.
Jugiter ardentis micat illi Copia lucis,
Vena nec emiſſo ſiccior igne fluit.
Sideris hæc ingens Naſareni gloria; nunquam
Ploret ut extinctum lux viduata jubar.
Formoſas quamcunque faces diſpenſet in Orbem,
Clarior à radiis emicat uſque novis.
Vivum non patitur MARIA *cœlum*
Hæc *ſymptomata*, luminiſque *craſes*.
Loram Delia lucis, atque guttas
A Phœbo capit, & propinat Orbi.
Sed tu Nazarei Planeta cœli,
Ieſſææ quoque grande ſtirpis Aſtrum,
Effundis, ſine diminutione,
Pleno ſidere luminis meracum.
Altiùs ô quantò Mariani gloria cœli
Diſtat ab ancipiti circumeunte globo!
In quem guttatim, pænè & jam mortua tantùm
Lux numerata cadit, non numeroſa fluit.
Tu Decus, & vivi VAS ADMIRABILE, Virgo,
Luminis, occiduas non ſubitura vices;
Ceu nitidus torrens vibras immane ſerenum,
Ex radiis ſolidum facta MARIA mare.

19.

Gantz Tonnen Sonnen ſeind in dir/
Gantz Million voll Tonnen.
O köſtlich außerwehltes Gſchirr/
In der all Klarheit wohnen.
Wohl innerlich vnd äuſſerlich/
Hat dich die Zier vmbfangen:
Biſt vber all hoch Berg vnd Thal/
Von Libano außgangen.

XIX. Quot

XIX.

Quot lampades, quot ignei
In te micant pyropi!
Tot ſolibus circumdata,
Quot fers, Olympe, ſtellas.
Intus foriſque lumen es;
Infra, ſupráque lumen.
Compone, quot vis, vinceret
Omnes MARIA Soles.
Millenis pateat ſpacioſus ſolibus æther,
Et luce totus ardeat:
Tu Genitrix tamen una paris, quæ concipis una
Omnem Sereni copiam:
Téque ſuum exoptant diſtinguere ſidera cœlum,
Quod Sole prægnans altero eſt.
Non humiles meditata gradus, ſublimia gaudes
Calcare terga Libani.
Sidere milleni ſoles ſuperantur ab uno,
Inque Ille nullum ſe videt eſſe Dies.
Vas *Jubaris*, Virgo, lucis ſupereminet omnes
Divitias, cœli queis nitet Alta Domus.
Reginam illuſtri Decor undique cingit amictu;
Æterni Solis Regia pectus habet.
Tranſiit ut Libani calcatas ſilva myricas,
Sidera ſic majus Virgo minora præis.
Quot Democritus omnibus putavit
Delirans atomos in-eſſe rebus.
EX TOT SOLIBVS ISTA VIRGO CONSTAT.
Hæc lucis domus, atque tota lux eſt;
Hæc in cortice millies decora,
Sed Præſtantior intus in medulla;
EST VERTEX SACER ELEGANTIARVM,
Excedens Libanum, premens Olympum.
Tot Soles habitant, unoque in pectore fulgent;
Hybla quot & vernans paſcit Hymettus apes.
Quot folia in ſilvis, quot arenæ in littore ponti;
Quot trepidant atomi, dum calet alta dies.
Vſque adeò penitus *Pulchro interiore* recepta,
Formoſiſque micans tota cupidinibus;

Quà juga conſurgunt Libanitide conſita cedro,
Dicetis inſuetam ſæpius iſſe viam.

20.

O Fürſten Tochter/ O wie ſchön/
Seynd deine Schritt/ ders zehlet/
Was für ein Feſttag wirdt begehn/
Dem du einmahl vermählet!
Dein Bräutigamb/ wirdt bey dem Lamb
Ein anders Gſänglein ſtimmen:
In lauter Frewd/ vnd Süſſigkeit/
Gleich wie in Meer fiſch/ ſchwimmen.

XX.

O Ter, quatérque dixerim
O centies beatum!
Huic FILIÆ qui PRINCIPIS
Meretur eſſe Sponſus.
Perfuſus ille gaudiis,
Medullitúſque potus,
Vt piſcis innaus æquori
Efflabit ore nectar.
En, quanta ingreditur roſeis ſuccincta cothurnis
Auguſta Regis Filia!
Pronuba feſtivas agitabunt aſtra choreas,
Ducente Sponſam Numine.
Barbitos icta ſonet, ſacrique Hymenæus ad Agni
Sonet canendus nuptias.
Inde voluptatum mens innatet ebria ponto,
Et mille plaudat gaudiis.
O quo Nata gradu procedis Régia! quali
Ponis Virgineos Nympha pudore pedes!
Fortunatus Hymen felicia vincula: quiſquis
Se, Sponſa, ingenuo nectit amore tibi.
Ille per Elyſios gradietur *Candidus* Hortos,
Non immitabilibus ſolvet & ora modis.
Pompa triumphantis quacunque invexerit AGNI,
Ille ſuperfuſus melle, ſequetur *Ovans*.

O quam

O quam FILIA PRINCIPIS venuſtos
Moliris pede ſanctiore greſſus!
Quam felix Hymenæus inſtat illi,
Quem ſponſum Mariana fecit arrha!
Hic! hic concinet, invidente Muſâ,
Plaudens carmina, cùm ſequetur Agnum:
Huic mulſo quaſi piſcis innatabit.
Quàm liquido ſignas pede, *Filia Principis*, auras!
Vincula quàm ſuræ ſunt ſpecioſa tuæ!
O nimiùm felix, quem Tedæ in fœdera ſumes!
Fortunæ cenſor neſciet eſſe ſuæ.
Quippe per ignotos ſaltus deducet ad AGNVM,
Non prius auditi Carminis auctor Hymen.
Hymen, iô, delphinas Hymen novus inter *Arion*,
Lætitiarum immenſo obruet Oceano.

21.

Komb her/dem Keuſchheit angenemb/
Vnd will ein Sponß erfragen:
Die Töchter zu Jeruſalem
Einhellig alle ſagen;
Vnd haben drauff zween Finger auff/
Daß/ (vnd ſey zubekommen)
MARIA frey die ſchönſte ſey/
Durchauß kein außgenommen.

XXI.

Cui Caſtitatis Lilia
Crevere cordis agro,
Et Virginem deſideras,
Vt virgo palma nuptam;
Audi, quid omnes Filiæ,
Omnes canant puellæ:
Pulcherrimam, Caſtiſſimam
Duc protinus MARIAM.
Huc age, virgineis cui pectus Amoribus ardet,
Sponſáque gaudet Virgine:

Accelerato

Accelerato gradum, campis ubi lilia vernant,
  Agnique tondent paſcua.
Hæc formoſa tua eſt, quia nõn formoſior ulla
  Cœli ſubivit Regiam.
Sola inter Solymæ comptas celebratur alumnas,
  Vnámque monſtrat indice.
Delicias thalami caſtas & gaudia prenſas,
  Atque in Virgineo pacta marita toro?]
Si qua Pudica tuis ſit, quæris, amoribus apta?
  Quælibet ex Solymis dicet Alumna choris:
Vna poteſt iſtos extinguere Virgo calores,
  Virgo roſis, primâ purior atque nive,
Liligeras inter Princeps candore phalanges;
  Virgo, cui ſimilem Terra nec Aſtra ferunt;
    Huc, huc, quos amor integer laceſſit,
    Rivales properate Caſtitatis:
    Hic jurantibus, aſſerentibúſque
    Felicis Solymæ ſimul colonis:
    Eſt belliſſima Mater hæc amica:
    Eſt dulcedine dulciórque Sponſa:
    Ipſa Pallade, pulchriórque Veſtâ;
    Et veſtris tamen eſt parata tædis.
Huc, thalami quem caſtus odor quem Virginis afflat:
  Huc Iuvenis voto velificare tuo.
Vnanimes tactâ jurant Solymitides Arâ,
  Ante piatrices, Numinis inſtar, aquas.
Sunt, quæ, ſi fallant, optent *cultroque feriri*
  Et ſaxo; Diris devoveántque caput.
Pulchrior eſt cunctis Virgo Naſareia Nymphis!
  Vox diverſa ſonat, vox tamen una ſonat.

22.

Ein Paradeyß hat dieſen Rhum/
  Ein Garten/ der beſchloſſen.
In dem ein wunderſame Blum/
  Ieſſe, IESVS entſproſſen.
Wanns gliebt muß ſeyn/ ſo lieb was fein/
  Was löblich zubegehren;

Was

Was ſeeligſich/was adelich
Herbracht mit allen ehren.

XXII.

Non abſque duces dotibus
Matrémque Virginémque,
Fecunditas & caſtitas
Toro virent eodem.
Flos inde qualis germinat?
Ieſſæus en IESVS!
Quid rarius, quid carius
Tulere priſca Tempe?
Quod decus irriguis dat Flora benignior hortis,
Quos ſepta claudunt frondea:
Hoc tibi Ieſſæo totum vernantia Flore
Gratantur incunabula.
Si quid vota valent, ſi quid ſuſpiria crebras
Luctantur inter lacrymas:
Diſpliceat Cyprius; placeat, qui pectus honeſtis
Amor maritat nuptiis.
Sidereos inter Flores pars pulchra v[illegible]ri
Si cupis, en Hortum Florida Virgo [illegible]bit.
Flos eſt illa unus, ſed Toti ſufficit Horto;
Hoc de Ieſſæus FLORE reſurgit Odor.
Quod ſuo ſi flammis neſcit ſpirare voluptas
Pectoris; his ignes Floribus adde tuos.
Num potes ex putri mulſum ſperare lacuna?
Argumentoſæ hîc mella legatis *Apes*.
Pæſti florida jam valete prata,
Tu ſalve Paradiſe, VIRGO, clauſe:
In quo prodigium perenne florum,
Ieſſe ſtemmata protulere IESVM.
Si certo dare vela vis amori;
Expandas Zephyris ſinus honeſtis,
Et pellentibus ad beata ventis,
Illud dilige, quod probatur aſtris.
HORTO prima Deus connubia ſanxit *aperto*:
Altera CONCLVSO nobiliora parat.
Nec ſterilis Paradiſus hic eſt. produxit IESVM.
Germine Ieſſæo ſuavius eſſe poteſt!

Quis

Quis prohibebit? ama. *dulces* ab amore *ſagitta*,
Dulce ſub attonito pectore vulnus alunt.
Dummodo quam terris generoſum exemit Honeſtum,
Et Virtus ſupra Fata levavit, ames.

23.

MARIAM lieb / MARIÆ dich /
Sollſt allerdings verſchreiben:
Die Morgengab / glaub ſicherlich /
Wirdt keines wegs auß bleiben.
Das Hochzeit Kleidt iſt ſchon bereit:
Begehr die Farb: auß allen /
Das Himmelblaw (gen Himmel ſchaw)
Sollt dir am beſten gfallen.

XXIII.

Quod ſuadeo, quod occino,
Ne ſpreveris Sodalis.
Contempſeris, ſors cætera:
Feram, ferām, quid ad me?
Hoc unicum, quod ſuggero,
Sacrum memento ſacrum.
Amabis hanc, amabis hanc,
Sodalis! hanc amabis.
O Amor, ô animis! ſtabili ſibi lege MARIAM,
Pulchróque jungant fœdere.
Fœderis eſt pretium non indotata Virago,
Hæréſque ſcripta ſiderum.
Iam ſponſum invitat vario ſpecioſa colore,
Iam palla geſtit indui.
Iam tibi cæruleos expandunt aſtra tapetes,
Veſtémque ſpondent pronubam.
Felix, qui caſtos MARIÆ tranſcribit amores.
Dos erit Heſperio non redimenda Tago.
Aurum vile nimis; ſunt vilia munera conchæ,
Dives Erythræi quam parit unda maris.
Nec Serum pulſet veſtis tibi cura tabernas:
Intra te, Sponſæ cur adameris, habes.

Affinis

Affinis cœli ſi vis ornatibus ire:
Gloria cœrulei prima coloris erit.
Ignis quò jaculeris, ac amores,
Sit non altera meta, quàm MARIA,
Iam dos eſt tibi dicta ſic amanti,
Non tantùm *Decies*; ſed æviterna.
Te cinget quoque nuptialis auro,
Aut quocunque placet colore veſtis.
Cœlum ſuſpice, cœrulámque Sponſæ
Pallam, ſi ſapis, eligas MARIÆ.
Ergo ignes, Mariane, tuos impende MARIÆ.
Hic ſcopus: huc jaculum cordis & arcus eant.
Fige Deam: totum tibi *dotatiſſima* cœlum
Offeret, atque alias ignibus icta faces.
Aſpice cæruleam veſtem, qua incingitur æther.
Ex ſimili tela conficienda tibi eſt.
Fucata innocuo candori purpura cedat.
Quos facit Ars, omnes vicerit iſte color.

24.

MARIA hat den beſten Theil
Wie gſchriben ſteht/erwöhlet.
MARIÆ Theil/iſt aller Heyl:
Ders hat/nit wol verfählet.
Weil ſie ſo gut/vnd wolgemuht/
Well jeder muß bekennen:
Thue ich mit fleiß im Ehrenpreiß/
So offt ihr Namen nennen.

XXIV.

Mirare, quàm ſit perſpicax
In rebus eligendis,
Teſtantur hoc oracula,
Aggratulante Nato.
Aſſem, MARIA, nobilem
Hereditavit aſſem,
Aſſem profectò divitem,
Mundóque dividundum.

Pars

Digitized by Google

Pars melior voto ceſſit, quæ fama, MARIÆ:
Votum beavit Gratia.
Nil lævum fortuna movet, cui fortior almæ
Favor MARIÆ militat.
In commune bona es, Virgo, facilémque precanti
ARAM SALVTIS exhibes.
Mille favendi artes miſeris: tibi nomina mille
Noſtrum ſonabit barbiton.
Optima Votorum Pars eſt electa MARIÆ,
Quæque illi nulla vi rapientur Opes.
Ter fortunata replet ille cupidine pectus,
Spernere qui, demptâ Virgine, regna poteſt.
Invideant veſtro jam non conchilia rori,
Si micet in gemmis Vna MARIA meis.
Quæ dulcedo fluit MARIÆ de nomine! nectar
Hoc quoties ſcribit Penna, favúmque bibit.
Teſtis pagina ſacroſancta partem
Eſt, quod legerit optimam MARIA.
Hæc eſt teſſera certa, Pars ſalutis:
Hanc quiſquis tenet, obtinet ſalutem.
Hæc cùm ſit bona Virgo, milliéſque
Quod vel Zoilus afferat, benigna;
Geſtit promere verſibus MARIÆ
Hinc ſacrum mea Muſa ſæpe nomen.
Optima pars cujus votis electa? MARIÆ:
Si qua fides verbis, Virgine nate, tuis.
Ex qua eſt orta ſalus? *Maria*, prô cerea flecti
Quàm bene conveniens flexile nomen habet!
Quid refert: *Mariam* cantaveris, anne MARIAM?
Hoc ego ſeu longum, ſeu breve Nomen amo.
Quis mihi det, cunctis inſcriptum ut floribus, hortos;
Inciſum ramis, impleat omne nemus.

25.

O daß von Siena noch ſo viel
Der Bernardini wären:
Deren diß einig End vnd Zihl/
Dieſe Geſponß zu ehren.

Er ſchencket ihr all ſein begär;
Luſt/Hoffnung/Frewd vnd Schmertzen:
Vnd/wie ich ſing/ſein liebſten Ring/
Ein Adamant im Hertzen.

XXV.

Tecum SIENA Romuli
Laus invidenda regni,
Ignoſce, tecum expoſtulo:
Nimis tenax fuiſti.
Vnum dabas pro millibus
Cultoribus MARIÆ.
Bernard— Virum integerrimum,
Nimiúmque nominari.
Sollicito quoties TE BERNARDINVS amore
Solers Amator ambiit!
Cor dedit obſequio, poſtquam dedit omnia ſponſæ,
Et *alter eſſe* deſiit.
O tibi non uno fœcunda Siena cliente.
Plures amori conſecret.
Quos caſta ingenuis luſtrent incendia tædis
Magnæ dicandos Virgini.
Bernardine, Tui ſimiles quis germinat alter
Hortus opes; Tuſcas quæ foret ora Roſas?
Altera Parthen as quæ nectit Sena corollas?
Virginis halanti qui ligat orbe caput?
O utinam, Phœbus quà ſurgit & occidit, unus
Fragraret tali Flore ſuperbus ager!
Auro ſive, roſis ſeu fulgeat *Annulus*; Arrha eſt,
Si medio virtus ſtet tua Gemma loco.
O multus ſit in Orbe! multus omni
BERNARDINVS Hetruriæ columna;
Qui nervos ſimul & fibras honori
Intendat, dicet, applicet MARIÆ.
Iecit littus in hoc Beatus ille
Quaſvis pectoris æſtuantis vndas.
Atque ornans adamante ſigna Sponſæ,
Iunxit ſic adamantinos amores.
Si Bernardino Senis illuſtribus orto
Ter centum ſimiles Itala Terra daret:

Quod

Digitized by Google

Quot vireant ſertis noſtræ Sulamitidos ædes!
Ille ſuæ Sponſæ fortis Amator erat.
ILLE SVAM, veluti vitem ſibi vinxerat ulmus,
(Annulus eſt teſtis pronubus) ILLA SVVM.
Etſi COR pretium vireſque *Adamantis* haberet;
Virgineus totum comminuebat Amor.

26.

Ich greiff zum Endt/ laß allgemach
(Ade) die Seiten lauffen.
Der weiter will/ thut zu der Sach/
Laß auch ein Harpffen kauffen.
Schlag ſelber auff; nur wacker drauff/
Mit ſeinem gut Vertrawten:
Vnd ſing das Gſang ſein Lebenlang:
Iſt vber ſiben Lauten.

XXIV.

Nos verò portus reſpicit,
Chordas Thalia laxat.
Qui voluis hæc teſtudinem,
Vis provehi? parabis.
Et lude pernox, perdius,
Nec ante Fata pauſa.
Hunc Orpheum, quid hæſitas?
Vel Cælites probabunt.
Vltima meta mihi Mariani carminis inſtat,
Stridente raucum barbito.
Ergo frangatur, poterunt nam fracta ſonoris
Servire plectra luſibus.
Hoc cape, cui faciles aptârunt fila camœnæ,
Noviſque plaude laudibus.
Plaude: nec Aonio rumpantur pectine fila,
Dum Parca filo parſerit.
Iam noſtro enervi ſtridet teſtudo ſuſurro,
Langueſcunt anima deficiente fides
Qui cupit in dignas ſuccedere carmine laudes,
Non delaſſatam verberet vngue lyram.

Quiſ.

ſquis Arionia peperit ſibi nomen ab arte,
ngenium ad numeros convocet omne pios.
ungat ſocios, veluti Philomela, canoros;
i neſcit fidibus: *Corde Animoque canat.*
Sed tandem citharam, fideſque ſiſtens
Raucæ mando ſilentium Thaliæ.
Si præconia major urit ultra
Cantandi generoſa te cupido;
Intactum cape barbiton: quid hæres?
Aude cum ſociâ cohorte dignas,
Dum ſpiras, MARIÆ ſonare laudes.
Pimplæáſque novem valebis unus.
jam laſſato reſides ſub pollice nervi
Deſtituunt Vatem. finio. Muſa vale.
oduci cantum plures qui mallet in horas;
Eia, ſibi parvo comparet ære chelyn.
e meo pius exemplo præconia pangat
Virginis, increpitas ſolliciterque fides.
utitias alii citharæ ſeptemplicis optent:
Nil tamen hac vnâ *lautius* eſſe reor.

27.

Alls ſoll er/ was Spieß tragen kan/
Von Mundt vnd Hertz auffmahnen:
All ſeine Nerv vnd Adern dran
Für Seyten laſſen ſpannen.
Gſetzt nun/ daß ein/ groß oder klein/
Sext oder Quint thät ſchnellen:
Wirdt ſie ihm ſchon den Schlagerlohn
Im Himmel baar herzehlen.

XXVII.

Quod purioris ingenI
Quod mentis eliquatæ,
Quod artis eſt, quod virium
Vociſque, gutturiſque;
Impende divæ Virgini;
Nil altius canetur.

Fatiſce-

Digitized by Google

Fatiſcerent Arteriæ?
Hæc integrabit olim.
Dum tibi vena micat, dum lentis brachia nervis
Robur perennat maſculum:
Garrula fila micent, tremulis tua barbita nervis
Cordique chordæ conſonent.
Vtque fides nimiis tenuatæ pulſibus Odam
Cogunt ſupremam carpere:
Emeritum Virgo lauri donabit honore,
Cœliq́ue plaudent Muſici.
Ite, ſalite Cheles, Citharæ; Lyra, Barbita, Buxi,
Quidquid & Iſmarii ludit in arte chori.
Et fidium, vocúmque vibret Symphonia cantum:
Vnanimi reſonet Carmine, VIRGO PARENS.
Quid dubitas? tibi vena chelyn, tibi pectora plectrum;
Córque dabit chordas; Mens tua Cantor erit.
Quamvis argutos rumpat contentio nervos,
Plauſus erit rupta major honóſque lyræ.
Voces vndique convoces ad arma;
Et quoſcunque ſonos ad arma! ad arma!
Nervis omnibus, omnibúſque linguis
Certatim Mariana laus canenda.
Rumpantur licet hoc labore nervi,
Expiret quoque pulmo, cor fatiſcat:
Non eſt ulla tamen Phthiſis timenda.
Omnia lora manu nervóſque intende, Sodalis:
Quæque tuo pendet taurea fixa toro.
Crede mihi: *alternas* amat hæc quoque DIVA *Camœnas*,
Fac, Lyra nonnunquam; terga ſubinde ſonent.
Senſeris ut plectro ſcapulas reboare cruento,
Et chordas veris ingemuiſſe modis:
Perfer ad *arguti* leges præceptáque *Tactus*.
Orphea ſanguineum præmia digna manent.

28.

Wans ſolche Meinung hat: ſo ſchlag;
Vieł auff die Kunſt zum ſingen;
Die gantze Nacht/den gantzen Tag
Solt Harff vnd Hertz zerſpringen.

Jch laſſe/ſprich/O Jungfraw/dich/
Vnd deinen Sohn jetzt walten.
Mein Seel vnd Leib ich dir verſchreib:
Es ſteht vnd bleibt im Alten.

XXVIII.

Stat ergo rupe firmius,
CANTARE STAT MARIAM.
Succumbat ars,cor excidat:
CANTARE STAT MARIAM.
Alauda rumpat tinnula:
CANTARE STAT MARIAM.
Et vivus hunc & mortuus
Implevero laborem.
Sic animare Lyram Fidicen tentabis:ab imo
Rimatus artem pectore.
Cumque ſuum roſeis Genitrix Aurora diei
Phœbum ſalutat oſculis;
Dic pariter,*Salve* geminent quoque barbita,*ſalve.*
Cum Veſper aſtra provocat,
His pius obſequijs famulum cor ritè dicabis,
Perenne laudis *organum.*
Carmina quid ceſſant?non ſaltu corda moventur?
Non trahitur dulci Nóxque Diéſque ſono?
Exſpectant iſtam jam dudum ſidera Muſam:
Felix ſi modulis immoriare tuis.
Sic quondam,Philomela,tuo teſtudo ſepulcro
Servijt ô tumuli gloria rara novi!
Cum tibi Fata fides rumpunt & ſtamina:*Verba*
Deficientis erunt ultima:MATER AMO.
Hæc cum ſint ita:perge,lude,canta;
Lydo chromate,Doricòque canta.
Vox frangenda licet ſit,atque plectrum,
Pernox,perdius uſque,& uſque canta.
Dic:*Sub præſidium tuum*,BEATA,
Et NATI *fugio* Fave Clienti.
Me totum tibi mancipo per ævum.
Hac ſtent fœdera ſanctione ſancta.
Ergo age,& incurvum(curva eſt Teſtudo)frequenti
Noctes atque dies pectine corpus *ara.*

Dúmque crepat dorſi compages ſutilis ictu,
Suſpira, interdum. Sic citharædus eris:
Miſce etiam *gemitus*, ut ſit Symphonia diſcors,
Scis, variùm meliùs tinnit in aure melos.
Nate Deâ, Genitrixque Dei; ſit Muſica vobis
Et veteri voto grata, precare *mea*.

29.

Hilff vns/ O Thurn auß Helffenbain/
In Diemand woll gegründet/
Vnd auffgeführt mit edelgſtain/
VVie ſeelig/ der dich findet
Hilff vns/ O Thron/ den Salomon
Mit feinem Goldt beklaidet.
Dem du vergwiſt/ kein wunder iſt/
Daß ihm die welt verlaydet.

XXIX.

Tuere nos, fortiſſima
O turrium tuere!
Quamcunque te, ſeu gemmeam
Eburneamve dicam.
Regum Thronus celſiſſimus,
Salomonis alta Sedes!
Quem poſſides, mirabimur
Fors nauſeare Mundum?
O Te, quam *indomiti* Turrim ſolidant adamantes,
Eburque veſtit candidum:
Tu malè deprenſo pateas tutela clienti;
Pulſata pande mœnia
Vna ſalus Turri, Turrim te poſcimus omnes,
Quos mortis urgent ſpicula.
Te ſolium petimus, quod lux pretioſa metalli
Ridente mulcet fulgere.
Si lubet in plures citharam contendere chordas:
Turritum rectè Virgo vocatur *Ebur*:
Fundamentum adamas, ſunt puri tecta ſmaragdi;
Aude hoſpes, caſtam Caſte ſubito Domum.

n memorem te Virgo Thronum, quem veſtijt auro
Rex illæ Aſtriferæ fulgidus arce plagæ?
Regnum nullis æquanda opulentia votis,
Tam fortunati quem tegit umbra Throni!
Securos tege nos Eburna Turris,
Quam fundant adamantini lapilli;
Quam condunt amethyſtus, & ſmaragdi,
Quam qui poſſidet, implet omne votum.
Succurras Salomonis invidendo
Indorum Throne fulgurans metallo.
Cui tu certa manes Maria, juſtè
Immundum jubet is valere mundum.
rotege Bellatrix nos, ſicut eburnea Turris,
In montem clypeis ædificata tuis.
undamenta rigent quadratis aſpera gemmis:
Summus chryſolithis grandibus ardet apex.
u Solium Regni, fulvo quod purius auro
Stravit *Homo Salomon* pro Salomone Deo.
t miramur adhuc viles, magalia, nidos,
Quæ pueri ſtatuunt, quos fabricantur aves!

30.

Hindan mit dir/ O Menſchen gſtalt/
Mit milch vnd Blut gewäſchen:
Die letztlich welck wird vnd verait/
Zu lauter Staub vnd Aſchen:
Beſonders die in falſcher blue
Ihr Schönheit nur erdichten:
Ohn Kunſt vnd Oel/ nur waſſer Gmähl/
Vnd drauff bald gar zu nichten.

XXX.

Argentei Narciſſuli,
Vos aureique pupi!
Vos Fœminarum futiles
Vmbratiléſque formæ!
Procul, procul diſcedite;
Maria ſola bella;
Vos cera, Larvæ, ſimiæ,
Vos umbra, bruma, ſtruma.

O formas hominum informes, ſine numine vultus!
O fex Gomorrhæ putrida!
Impatiens ævi primos exſpirat ad Auſtros
Caducus oris floſculus.
Diluitur facili mendax aſpergine gypſus,
Et vultus in vultu perit:
Vtque levis patitur vitium pictura coloris,
Sic gluten oris diffluit.
Ite hominum formæ, pretium queis purpura ponit;
Purpura fucatis aſſimulata dolis.
Quidquid id eſt Veris, blandos citò perdit honores:
Febricula affrictas decutit una roſas.
Fallere picturæ fluxo didicere colore,
Hiſtrio gypſatæ ludit in ore genæ.
Crinibus, alii, quoties atque empto dente ſuperbit,
Prima inter ternas quæ putat eſſe Deas.
Hinc cedas ſpurium decus venuſtæ,
Prognatum nive, purpurâque formæ.
Nam tandem decus exſoleſcis omne,
Et reſtant elementa ſola, *pulvis.*
Præſertim procul hinc abite fuci;
Et mendacia faſcinantis oris;
Hinc ludibria, ſplendidæque larvæ
Hinc pompæ procul hinc Inanitatis.
Ite coloratæ, MENDACIA CRASSA, Puellæ:
Carbones picti, tecta ſepulchra nive,
Quamvis ungatis faciem rugáſque lavetis,
Hæret in attritis ſplendida vappa genis.
O cinis, ô ſordes, ô frigora! vos qui amaret?
Ignis, Amor: vultus ſed mera veſter *aqua* eſt.
Tot madet ac ſtillat ſuccis. Quo diſtat ab illo
Spongia habens nares, os, oculosque duos?

31.

Würff vnd verdamb all Vppigkeit/
Die niemand wol gelungen.
Die ſchöne Welt vnd Eytelkeit.
Von der ſo vil geſungen.

Vnd was für Pfeil der Lieb/in eyl/
Doch nit von Himmel gſchoſſen/
Vilen das Hertz/in bitterm ſchertz/
Mit ſüſſem Gifft abgſtoſſen.

XXXI.

Procul ſit omnis *Vanitas*,
Quæ neminem beavit;
Centum ſtrophis, ceu victimis,
Proſerpinæ litata.
Et cominus, vel eminus
Cupidinem ferentes,
Letho graves non felleo,
Sed melleo ſagittæ.
ive funeſto ſaltes perſona theatro,
Quo ludit orbem VANITAS,
rima excipitur petulanti fabula riſu:
xtrema fert cataſtrophen.
aumum nocuo Cyprius puer impedit arcu,
ppone ſcutum vulneri.
aſpis Amor, niveo qui dente venenum
nſtillat atrum pectori.
Ite procul Charites, fallacia nomina; poſtes
Obſero; formoſæ vertite terga feræ.
Virgineæ volucrum facies, turpiſſima ventris
Proluvies, oculis vos removete meis.
Abjice tela, Puer, Cyprijs armata venenis.
Nobiliore arcu vulnere noſtra fluunt:
Non ita venali viles mihi ſanguine venæ,
Procumbam ut Paphijs victima prona ſacris.
Damno perpete calculo nocentes,
Quas luxus parit, aut figurat umbras.
Tritas vatibus, ebriaſque fumo
Deteſtor quoque vanitatis auras;
Sirenum melos, improbáſque nervo
Iactas Cypridis execror ſagittas;
Quæ (prô) vulnera ſuaviora multis
Inflixère, ſed obliganda morte.
es nugæ, vanique crepundia mundi,
etextati, ludicra pompa, joci.

Sint procul infames pharetræ: quæque improbus olim
Formata ex auro tela Cupido jacit;
Plumbea poſco mihi. tegar his licet, inſtar echini
Hiſpidus: hæc odium fixa movere ferunt.
Cætera, quæ intorquet nunquam ſecura Voluptas,
Tincta venenato ſpicula melle necant.

32.

Gantz biemit auch den PARCIS ab/
Die mir bißher geſpunnen.
Bey denen ich an meinem Grab
Verlohren mehr/als gwunnen.
Falſch vnd Vntrew ſeynd alle drey
Haimblich mit mir vmbgangen.
Mußt an ihr Gſpunſt vnd blawen Dunſt/
Mein Leib vnd Leben hangen!

XXXII.

Et quas Sorores dicimus
PARCAS, ſed unde *Parcas*?
Ah nemini, dum Mundus eſt,
(ô perfidæ) fuiſtis.
Sinoniæ re, nomine,
Fuſo, colore fuſi,
MARIA vivat! imperet,
Vos ite, & interite.
Fatidicis etiam ſcribam divortia Divis:
Odi prophana nomina.
Queis vultus niger eſt, has tu moribunde caveto,
Hæc monſtra ſunt feralia.
Sæpius illa meæ tentârunt ſtamina vitæ,
Fallente ſemper forfice,
Nunc fatuas Divûm contemptor rideo leges,
Vallatus ære triplici.
Vos quoque tergeminæ, pullata fronte, Sorores.
Quid mihi cum veſtra forfice, cumque colu?
Quid veſtri *rhombi* varijs & licia filis,
Aurea ſeu fuerint, ærea ſive mihi.
Seriùs an citiùs de fuſis penſa trahatis,
Rideo, non veſtris luſus, ut antè, dolis.

Tela videbatur texi mihi *ſerica* vitæ;
Caſſis Arachnææ ſed fuit illa rotæ.
Feralis quoque tu trias nigrarum,
Quæ vitam mihi neveras, ſororum.
Sed non fida mihi trias, valeto;
Noſtræ noxia cede Parca vitæ.
Nobis perfida fila, dum trahebas,
Texebas laqueos, dolóſque nobis.
E vili, tenuique noſtra filo
Vltra pendeat an caduca vita?
Vos quoque deteſtor, tetricæ, tria Funera, Larvæ,
Dicta per *antiphraſin* parcere PARCA triplex.
Nimirum ut vulgo T*extrix* bona fœmina rara eſt;
Sic quæ nent vitæ ſtamina; quæque ſecant.
Vadite lucifugæ, vertatur in ora ſororum
Atropos & digitos amputet ipſa ſuos:
Abſtineat noſtris. Vetula pendebit ab una
Sors mea, ut à fragili ruſtica lana colu!

33.

Diß ſey/MARIA. dir vertrawt
Von Tag zu Tag der Jahren:
Der dir vertrawt/hat woll gebawt/
Sodales diſʒ erfahren.
In letſter Noth vnd bittern Todt/
Bitt/thue mich nit verwerffen.
Erzaig dein Macht/vertreib die Nacht
Wirdts jeder wol bedörffen.

XXXIII.

Hoc ergo ſpes meas ſinu,
Hoc abdidíque vota.
Queis tutiora mœnibus
Scrutentur, aut Aſylo?
Teſtantur hoc & prædicant,
VIRGO, tui Sodales.
Cum mortis hora venerit,
Da clauſulam beatam.

O quæ deducis meliori ſæcula fato,
Ævumque condis aureum,
Quot mihi præcipitans ſoles numeraverit ætas,
Albi fluant hac auſpice.
Denique cum ſiſtat fatalis meta ſagittæ,
Mortisque ducar victima;
Auxilio me, Diva potens, anima luctantem,
Dextramque dextræ commoda.
Tu mea ſpes; VIRGO; noſter tibi ſpiritus halas:
Ceſſat ad imperium vena, micatque, tuum.
Nôrunt Parthenij, Matris pia Cura Clientes,
Quid ſit Virgineo vota locare ſinu.
Mors ubi vicinâ mihi lumina ſepſerit umbrâ,
Virgo Parens oculis Lux oriare meis.
Triſtior ô Pharijs horret caligo Tenebris,
Hanc mihi ſub noctem Luna MARIA nites.
Hinc totus tibi do, MARIA, totam,
Quam ſpiravero, tempus omne, vitam:
Nam quod mille tui probant SODALES,
In te qui ſedet, in vado recumbit.
Cum Mars ultimus, ultimumque mortis
Bellum me premet, adjuva jacentem,
Vires exere tunc, repelle noctem:
Certamen petit iſtud, hoc juvamen.
In te ſpes omnis, melior Patrona, recumbit;
Lux miſero reſtat quantulacunque mihi!
Accipe jurati luſtralia vota Clientis:
Rem prope confectam, qui tibi fidit, habet.
Accipe, & extingui metuentem Lampada vitæ,
O præ Veſtali ſedula Virgo fove.
Tu venis oleum irrora: tu ſuffice flammam:
Tu ſcelerum & noctis nubila pelle meæ.

34.

VVann dan die Kranckheit wirdt zuſchwer/
Daß ichs nit mehr kan leyden:
Soll mir den Faden nimmermehr
Derſelben ein abſchneyden.
Dein ſchöne Hand/dein mildte Hand/
(VVeil je die Stundt abgloffen)

Schneid

Schneid oder halt/gleich wies dir gfallt/
Sonſt iſt es auß mit hoffen.

XXXIV.

Cum lectus *uret*, ultimus
Cum morbus ingraveſcet,
O nulla præſto, nulla ſit
De triſtibus Deabus:
Tu jura vitæ tempera,
Coliquè fila tracta
Vel proroga, vel abroga
Vtrinque ſum paratus.
la cum triſtis me cingunt agmina lethi,
Dolorque pectus obſidet:
tatione animus, non vi præcordia cedant,
Parcis licet ringentibus;
ihi ſi fato ſtamen rumpente cadendum eſt,
DIVÆ cadam ſtipendijs.
imperio moriar, vivamque MARIÆ,
it una Fatorum arbiter.
lefecti oculi multa jam morte natabunt,
udetur digitis palpebra, VIRGO, Tuis.
a profana meos, nolo, mihi tangat ocellos,
fica nec noſtro garriat ulla toro.
extremas ubi ſudor torſerit undas;
mihi ſis iſto Navita, VIRGO, Salo
fert, moriens remis divellar, an aurâ.
ita ſi fueris, nulla procella nocet.
Quare cum gravis, ultimusque morbus
Vrgebit, neque vena jam micabit:
Tunc ſcindat mea fila Parca nulla,
Mergat funere Parca nulla, nulla.
Sed mitis tua, nobilisque dextra
(Cum ſententia certa mortis inſtat)
Hæc, hæc dextera fila noſtra volvet,
Cum ſis *Anchora* mortis, atque vitæ.
TUM FIXUMQUE ſimul me Fata citabunt;
d facile ex morbo præveniente ſciam)
m atras dignabor anus in vota vocare;
a ne ſubito turbine penſa rotent.

Tu potiùs medicante manu, mitiſſima Virgo,
(Quandoquidem fractis admonet Hora rotis)
Vel rumpenda tene; vel jam marcentia fila
Frfice, ſi mavis, ingenioſa ſeca.

35.

Wan bey dem Beth die Kertzen brinnt/
Die Augen nimmer wachen;
Vom Leib der kalte Todtſchwaiſz rinnt/
Die Balner jetzt ſchon krachen:
Dein ſchöne Händ/dein milte Hand/
O Jungfraw außerkohren;
Schneid oder halt/gleich wies dir gfalt/
Sonſt iſt es alls verlohren.

XXXV.

Accenſus eſt cùm cereus
Manu tenendus ægrâ:
Lethóque nabunt lumina,
Artus gelu rigebunt;
Et oſſa magno concident
Fragore; cor dehiſcet:
Migrabimus, manebimus.
Quod juſſeris, placebit.
Cum mea flebilibus mors lumina funerat umbris,
Et tæda flammat cerea.
Squallida cum triſti rorant áſpergine membra,
Et horror oſſa concutit:
Auſpicijs Regina tuis mihi *reſtitues rem.*
Quam mortis agmen perculit.
Sic cecidiſſe juvat, nec *ſic cecidiſſe* nocebit,
Si caſu in ipſo ſublevas.
Cum diſceſſuro funeſtam nigra præibit
Lampada *Cupreſſus* Stella MARIA fave.
Oſſea texta ſonant; vox naufraga morte dehiſcit;
Adſis ô famulo, Tu Cynoſura, tuo.
Non cupio mollis Leti ſuper æquore ferri:
Provoco nec veſtras, horrida Fata, minas.

Sed

imus. *hanc animam venti quocunque ferendam*
ccipite. at Virgo flecte Patrona ratem.
Cum jam cereus, *Heſperusque vita.*
Fulgebit prope mortuis ocellis:
Cum ſudor quoque frigidus per artus
Areſcentibus oſſibus meabit:
Tunc mitis tua, nobiliſque dextra,
O VIRGO, morientium levamen!
Noſtram dirigat iſta dextra vitam;
Cum ſis Anchora mortis atque vitæ.
tenebræ ſerpent obtuſa in lumina frontis;
antum in manibus funebre lumen erit:
oque necis propiore, trementia ſudor
ifer admixto perfluet oſſa gelu:
:a parcente manu, blandiſſima Virgo,
venam tentes pollice, quale micet.
us, heu vereor, nigris ne Fabula ſiam;
ima ſi vitæ ſcena pudenda meæ eſt.

36.

Wann nun geſchwächt ſeynd all fünff Sinn/
Die vmbſtehend Rott wirdt ſagen:
Jetzt hat ers gar/jetzt iſt er hin/
Man merckt kein Pulß mehr ſchlagen:
Dein ſchöne Hand/dein mildte Hand/
O Mutter meines Lebens;
Schneid oder halt/gleich wies dir gfall/
Sonſt iſt es alls vergebens.

XXXVI.

Cùm quinque ſenſus fugerint,
Præſénsque turba dicet:
Obivit hic, abivit hinc,
Ponendus in ſepulcro.
Tu Virgo dulcis Virginum,
Vitæ necisque Præſes:
Impelle me, vel ſuſtine:
Sic *ſtabo*, vel *iacebo.*
luxato quina oſtia corpore cluſit,
tum gemunt conſortia:

Pertentantque fibras, tenuis num fortè reſultet
 Scintilla vitæ nuntia:
Cumque nihil vitale micat, fit luctus, & omni,
 Heu vixit! ore perſonant.
Sic vixiſſe juvat, nec ſic cecidiſſe dolendum eſt,
 Quisquis MARIAE vixerit.
Provehor immitis jam frigida ſarcina Cymbæ
 Aſpergit fictas fortè ſodalis aquas,
Vtque emigrantem propellat flatus amicum.
 Suſpirat, tacitos ſplene coquente jocos,
Quò feror? incertæ niſi Dux es, Virgo, Carinæ;
 Alto Cocytus gurgite certus hiat.
Pande Sinum VIRGO, mihi Tu Ratis, Anchora, Remus,
 Tu Zephyrus, Malus, Lintea, Portus eris.
  Cum ſenſus fluet omnis abſque ſenſu,
  Et præſens hominum corona dicet;
  Vixit: ſpiritus, atque vita ceſſit.
  Venæ ſtant, hiat os, rigetque: vixit.
  Tunc mitis tua, nobilisque dextra,
  O Mater, mea vita, Fónsque vitæ!
  Noſtram dirigat illa dextra mortem;
  Cum ſis Anchora mortis, atque vitæ.
Sic ubi mens *in ſe* ſtupidis jam ſenſibus orba
 Ceſſerit; ut capta miles in urbe ſolet.
Muſſabuntque aliqui: migrat, illuctatur agoni.
 Frigidus in toto corpore ſanguis hebet.
Fila ſeca languente manu, Dulciſſima Virgo;
 Vt quæ diſſimulet ſcindere, quando ferit.
Ah, precor, ah totâ te protinus utere Mater.
 Actum eſt; ni totâ protinus uſa juves.

ODE GERMANICA.

Auctore.

Iacobo Balde ex Societate IESV.

WEr iſt/ der dieſes Lied gemacht,
 VVann einer auch darff fragen.
  Villeicht hat er gar offt zu Nacht
  Ein Paſſamezo gſchlagen.

Er

Er ſagt nit wo: jetzt iſt er fro/
Daß d' Lauten ſey zertrimmert:
Vmb Saytenſpil er ſich ſo vil
Hinfüran nicht mehr kümmert.

PARAPHRASES SEQUENTIUM.

Simonis Mair S. J.

Quis fecit hoc Odarium?
Anacreontis Heres?
Fortaſſe noctes humidas
Laſſavit inter Odas.
Non dicit urbem, compita,
Non nominat plateas.
Nunc dulcè pauſat, unicà
Abſorptus in MARIA.

Erneſti Bidermanni S. J.

quis Apollinea cecinit teſtudine vates?
Sit fas, Poëtam noſcere.
novus hic inter nocturnas Orpheus umbras!
Saltante luſit Cynthia?
it, & illiſit reſonanti barbita ſaxo;
Tu ſigna quære vulneris.
lyra nulla placet, nec chordi eſt corda: nec auri
Placet *ſonora Vanitas*,

Michaëlis Pexenfelder S. J.

è rogas, caſtæ biberint quo fonte Camœnæ?
Quisúe Poeta iſtas temperet ungue fides?
ı cùm ſudâ ſaltabant ſidera nocte,
djunxit modulos Orpheus ille ſuos.
c piget; & veterem citharam pertœſus & Artem,
animem gaudet diſſiluiſſe Lyram.
ion Muſa tacet Citharæ poſt funera fractæ?
l numeros Vatem *fruſta renata* vocant,

Caroli Sonnenberger S. J.

Cujus panxerit hos Thalia verſus,
Si ſit quærere culpa nulla, quæris?

Forſan ſæpius is, favente Lunâ,
Parnaſſum celebravit in plateis.
Sed non dicit, *ubi*: tacere gaudet,
Et fractum numerare fruſtra plectrum,
Nec poſthac Heliconis arma tanti
Vates fecerit. *Hæc ſit ergo Pauſa.*

Anonymi.

Ille quis hanc cecinit (liceat ſcitarier) Oden?
Qualis enim Vates, ater an albus erat?
Nempe olim noctu citharâ juvenilè vagatus,
Detinuit curſus, Cynthia, ſæpe tuos.
Vrbs quoque, Sed præſtat ſociósque locúmque ſilere.
Diſſiluit veteris machina vana Lyræ.
Iámque magis Teſtudo placet, quæ repit in horto:
Quàm quæ mollè ſonans vellicat auriculam,

Ad majorem DEI DEIPARÆque gloriam.

CHOREA

CHOREA MORTVALIS
SIVE
LESSVS
in Obitu
AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS
LEOPOLDINÆ
FERDIN. URBANÆ,
SERENISSIMORUM ARCHIDUCUM
LEOPOLDI Com. Tyrol. & CLAUDIÆ
Medicæ F.
Cæſari FERDINANDO III. Nuptæ
Anno M. DC. XLVIII.
In Puerperio mortua
Anno M. DC. XLIX. VII. Auguſti.

Todten-Dantz: Oder

Klaglied/

Geſungen/ nach dem kläglichen Hintritt/ Der
Allerdurchleuchtigiſten Kayſerin
Leopoldinæ Ferdinandæ Urbanæ/
Weiland Leopoldi Ertz-Hertzogs zu Oeſterreich/
Graff zu Tyrol/ꝛc. Und CLAVDIÆ Geborne
Groß-Hertzogin zu Florentz/ allerliebſten
Tochter:
Deß unüberwindlichen Kayſers
Ferdinandi III. ꝛc.
Einjährige Gemahel/
So im Jahr 1649. zu Wien / in der
Kindelbeth gottſelig verſchiden iſt/
Den 7. Tag Monats Auguſti.

DE SORTIS ET MORTIS IN HUMANAS RES IMPERIO:

ARGVMENTVM.

Inter funebres tædas, ad modulatos VMBRARUM paſſus decantandum.

Argument.

Wie Glück vnd Vnglück / neben dem Todt / vber Menſchliche Sachen / gewaltiglich herꝛſche.

Tragœdi weiß / bey nächtlichen Windliechtern zuſingen.

I.

EHeu, quid Homines ſumus!
Vaneſcimus, ſicuti fumus.
Vana, vana Terrigenûm Sors,
Cuncta diſſipat improba Mors,

All Menſchen herkommen auß Erden!
Staub / Erden ſie widerum werden.
Ach Eytelkeit alles zumahl /
O Schwachheit / betrübenter fahl!

II.

ncta eſt LEOPOLDINA:
tra clamat à Lucinâ,
Lacrymoſa Puerperæ Mors,
Miſeranda mulierum Sors!
Kayſ-rin alſo geſtorben/
on der wi ein Printzen erworben)
Ihr ſelber durch eben die Gab.
Hat/layder/beraittet ihr Grab.

III.

lie formoſa, cras cinis:
eſt, alia Cæſarum finis,
Vide, quàm ſit inſtabilis Sors:
Neque parcat Auſtriacis Mors.
as lebhafft/iſt alles entwichen/
it Wolgeſtalt/Morgen erblichen.
Hauß Oeſterreich/Bayren/Tyrol/
Erbt jedes ein finſteres Hol.

IV.

perio clara Romano,
paret humata Summano,
Dura nimis & aſpera Sors,
Seva nimis & horrida Mors.
e Sonnen zum herrſchen erkohren/
t nunmehr ihr Klarheit verlohren.
Vnd ſchaidet ins finſtere Landt/
Gehorſamb/der mächtigern Hand.

V.

guſtus Menſis Auguſtam
puit Piam & Iuſtam.
Inimica Virtutibus Sors,
Curat impia neminem Mors.
o ſeyn wir ja billig mitleydig/
ch Vnfahl/der Tugent ſo neydig/
Der hat dich im Monat Auguſt/
Hochglantzende Sonnen vertuſcht.

Diß

VI.

Cùm falcibus ageret Æſtas;
Eſt & hæc ſucciſa Majeſtas,
Ah, Ariſtæ purpureæ Sors:
Sic ne dira te meſſuit Mors!
Diß Zweiglein auff noch ſovil Mayen/
Hett künden ſich tröſtlich erfrewen;
Im Sommer vor ihrem Termin
Fallt vnder der Sichel darhin.

VII.

Quo more vulgaris urtica,
Iacet hæc quoque regia Spica.
Suo condidit horreo Mors.
Brevi poſuit angulo Sors.
Der Königs Cron zartes Geſchöſſel/
Wie doch ein verächtliche Neſſel/;
Wie Papel vnd ſchlechtiſtes Kraut
Wird nider zur Erden gehaut.

VIII.

Vt Bulla defluxit aquoſa,
Subſedit, ut veſpere Roſa:
Brevis omnis eſt Floſculi Sors,
Rapit ungue celerrima Mors,
Was will ſich ein Roſen verbluemen/
Der ſicheren Jugent beruehmen?
Gemaine Leuth tritt man wie Graß/
Durchleuchtige/bricht man wie Glaß.

IX.

Quam manibus oſſeis tangit,
Cryſtallinam Phialam frangit.
O inepta & ruſtica Mors!
O caduca Iuvenculæ Sors!
In Summa/der Todt will halt erben/
Zu friden mit ſtucken vnd ſcherben:
Wirfft wol ſo bald hinder die Thür/
Criſtallin/als Erdens Geſchür.

X.

unc decor ille genarum,
ormæ miraculum rarum !
Bina lumina ſubruit Mors.
Cœca tenebras intulit Sors.
ſeynd jetzt die Röſslein der Wangen ?
VVaſſerfarb ſeyn ſie vergangen.
Der Augen hell glantzenden Pracht/
Verwendet ein dunckhele Nacht.

XI.

orporis bella figura !
actis oſtrique mixtura !
Lac effudit in ceſpitem Sors :
Texit oſtrum ſandapila Mors.
gleichſamb ein Göttin auff Erden /
Tugent vnd hohen Geberden/
Holdſelig weiſs/lieblich/roſin/
Iſt alles verfloſſen/iſt hin.

XII.

rubra coralla ſunt oris!
retia,crines,amoris:
Parcæ rapuit forficem Sors ;
Scidit iſtâ Cæſariem Mors.
ſeyn doch erblichen/zerfallen/
Leffzen/ ſo friſche Corallen !
VVas hangen für Liebſtrick am Haupt!
Deſs Härlins der Zierden beraubt!

XIII.

ervix & manus eburna ?
funebri jacent in urna.
Atra nives imminuit Sors,
Colla preſſit tam candida Mors.
Helffenbain/laſst ſich mehr finden /
kan da ſo gähling verſchwinden/
Der Schönheit rain glantzende Schnee!
Verſchmeltzen/im tödtlichen VVehe!

Quæ

XIV.

Quæ pulcrior fuit Aurorâ.
Hanc Cæſaris Aula deplora,
Vana ſpecies, lubrica Sors:
Tetra facies, pallida Mors.
Die Morgenröth muſt ſo gar weichen/
Wann man ſie mit ihr wolt vergleichen/
Dem Todt iſt kein Stammen zu grüen:
Diß kümmert die gantze Statt Wien.

XV.

Non ſola Vienna lugebit:
Tyrolis uberiùs flebit,
Vbi carior Patriæ Sors;
Et amarior Filiæ Mors.
Zwar Oeſterreich trawret von hertzen/
Mehr bringt es dem Vatterland Schmertzen
Tyroliſche Velſen vnd Thal
Erſeufftzen vom kläglichen hal.

XVI.

Præceſſerat Claudia Mater:
Sed ſuper eſt geminus Frater,
Ferdinande, en flebilis Sors:
Sigiſmunde, en lugubris Mors.
Die Mutter war blößlich begraben/
Die Tochter den Nachtritt wolt haben.
Zween Brüder noch übrig/allbayd
Erzaigen ihr hertzliches Layd.

XVII.

Quis luctus, ah, erit Sorori!
Iſabella concupias mori.
Ita nubere, dubia Sors:
Ita parere, certa eſt Mors.
Nit wird ſich/offn zweiffel/getröſtet
Befinden ihr traurige Schweſter/
Vill mehrer empfindt ſie das Wehe/
Gott geb/es ihr beſſer ergehe.

Ad

XVIII.

Fœminas vertimus ora,
ibus imminet citiùs hora:
/tque thalamos properat Sors,
ta tumulos properat Mors.
Weiber/es geth euch nit miller/
r ſeyt halt zerſtörliche Bilter:
Friſch/ manich Jungfräwlicher Krantz
Kombt heut noch auff vnſeren dantz.

XIX.

na ſcilicet Genitrix Eva,
a eſt prægnantibus ſæva,
Quia prole vel uterum Sors
Vel exonerat animâ Mors.
es Eva verſchuldet vor allen/
ß heiſſt ihr wol redlich bezallen:
In dem ihr ſolt mehren die Welt/
Euch ſelber/das Leben entfelt.

XX.

vides has cunque choreas,
ebis & ipſa mox eas.
Subitam movet aleam Sors,
Certa rotat haſtilia Mors.
umben den Reyen beſchawet;
Spiegel/dem Todt nit vil trawet/
Weil er auch im völligem Lauff
Offt/vnverhofft eine ziecht auff.

XXI.

prompta volenſque ducetur:
lis invita trahetur.
Ducet inevitabilis Sors,
Trahet inexorabilis Mors,
willig iſt /wird nit entfliehen;
it will/die wird er wol ziehen/
Er ziecht ſie mit Händen beym Haar/
Zur kalten Bainrauſchenden Schaar.

Quod

Digitized by Google

XXII.

Quod es, fuimus: ſumus, quod eris,
Præceſſimus, tuque ſequêris:
Volat antè leviſſima Sors,
Premit arcu veſtigia Mors.
VVas du biſt/wir eben auch waren/
VVas wir ſeyn/das wirſt ſchon erfahren/
Lebt kainer ſo mächtig/ſo groß/
Der diſer Gefahren iſt loß.

XXIII.

Nihil intereſt, pauper, an dives,
Non amplius utique vives.
Simul impulit cleplydram Sors,
Vitæ ſtamina lacerat Mors.
Ohn underſchid/alles erbarmen/
Begegnet es Reichen vnd Armen/
Das Leben flieſt/ohne beſtandt:
VVie doch in der Reißvhr der Sand,

XXIV.

Habere nil juvat argentum,
Nil regna prætendere centum,
Sceptra ſarculis abigit Sors:
Ridet albis hæc dentibus Mors,
Zum alten verächtlichen hauffen
Eylt alles: es laſſt ſich nit kauffen/
Deß Lebens ein Stündlein/zur friſt/
Kombt nimmer/ was einmal hin iſt.

XXV.

Nihil intereſt, turpis an pulcra:
Exſpectant utramque ſepulcra,
Legit lappas & lilia Sors,
Violaſque cum carduis Mors,
Die ſauber/vnd häßliche Maſen,
Verdecket ein ſtinckender VVaſen:
Vnd fallen auff Todes Gebott/
Die Diſtel zun Lilgen ins Koth.

XXVI.

c intereſt, vilis an culta,
lluſtris, an major adultâ.
Vere namque noviſſimo Sors
Populatur & hyeme Mors.
hilfft hie kain bittlichs verſöhnen/
fragt nit nach höflich/ vnd ſchönen/
Herbſt/Frühling vnd Sommerlichs Lauf/
Reiſt alles zur Erden/in Staub.

XXVII.

rs Iuvenes ſenibus æquat:
llas & anus excæcat,
Furit ſine diſcrimine Mors,
Manet eadem Principes Sors.
nn pflegt er bey Jungen vnd Alten/
Heitlein zu richten in d Falten/
Guet bäwriſch: vnhöflicher Mann/
Platzt einher/vnd klopfft nit vor an.

XXVIII:

quenda eſt Aula cum caſa,
ligite ſinguli vaſa.
Iubet ire promiſcua Sors,
Ire cogit indomita Mors.
larua/ſo vil du kanſt faſſen/
n wird vns doch anderſt nichts laſſen/
Als endtlich ein Häſzlein auſz Laimb/
Voll Aſchen/das tragen wir haimb.

XXIX.

ille non remanet unus,
omnes etitis funus
Ite, ite: quò convocat Sors,
Imus, imus, hoc imperat Mors.
z tauſenten rett ſich nit ainer/
werden wir Aſchen vnd Bainer
All ſuechen ein kühles Gemach/
Ihr Brüder/vnd Schweſteren hernach.

Ergo

XXX:

Ergo vale, ô LEOPOLDINA,
Nunc Vmbra,ſed olim Regina,
Vale: tibi nil nocuit Sors,
Vale,vale: nam profuit Mors.
VVir wünſchen den ewigen Frieden/
Der Kayſerin ſeelig verſchiden/
Nichts hat Ihr entzogen der Todt/
Recht jetzund/ regiert ſie mit Gott/

XXXI.

Bella ſuper & Suecica caſtra,
Nubeſque levaris & aſtra.
Penetrare quò nequeat Sors:
Multò minùs attonita Mors.
Jetzt iſt ſie frey ſicher im Himmel:
Förcht weiter kein Feindsliches Getümmel/
Beſtändig beſitzet ſie Dort
Ein feſtes/gar ſicheres Ort.

XXXII.

Inde Mundi deſpiciens molem,
Lunam pede calcas & ſolem.
Dulce ſonat ex æthere vox:
Hyems tranſiit,occidit nox.
Jetzt ſchwebeſt hoch über die Sunnen/
Dem Hagel/Blitz/Donner entrunnen:
Hie leyden/bringt lauter Gewin;
Creutz/jammer/vnd Marter iſt hin.

XXXIII.

Surge,veni: quid Sponſa moraris?
Veni digna cœleſtibus Aris.
Imber abiit, mœſtaque Crux.
Lucet,iô,perpetua LVX.
Der VVinter/betrübende Regen/
Den Frühling ertheilet hergegen:
Brich Blumen/mein edle Geſpons/
Im Garten deß himmliſchen Throns.

FINIS.

Digitized by Google

EMPLVM HONORIS
APERTUM VIRTVTE
ERDINANDI III.
AUSTRIACI REGIS
ROMANORUM.

AMICE LECTOR.

Xhibetur tibi facies Templi. quod ab Ratisbo-
ıenſi Collegio Societatis JESU, *adumbra-*
dicatúmque demiſſiſſimè fuit Sereniſſimo ac Po-
ſſimo FERDINANDO III. *Germaniæ,*
gariæ & Bohemiæ Regi &c. quo tempore in Ra-
nenſibus Comitiis, Rex Romanorum ſive Cæſar,
nciatus ac Coronatus, Orbis habenas accepit.
rimùm Templa Numinibus dicari; deinde in-
itti Clientes adoraturos; vulgus autem profa-
arceri. idem hic mos ſervatus. Verſo cardine
que patefactis, ſecunduùm Proceres purpuratos
latinos. nunc tu quoque admitteris: &, niſi
, aditum petiviſti. Intra, & ſublatâ voce,
AT FERDINANDUS III! *exclama:*
AT REX ROMANORUM! *Enimverò*
IPLUM *iſtud, ſive* HONORIS, *ſive*
DINANDI *nominaveris, perinde eſt: modò*
iter caſtéque venereris Inhabitantium Maje-
; & Ævo ſuo accommodatæ, neque Priſcis in-
criptionis huius involucro, ne exiſtimes tibi
radi Caryſtia, cæſumve Tyburtinum marmor;
uſtriaca Domûs (quæ quidem univerſa, quid
quâm Templum Honoris?) Noſtriq́ꝫ Novi Re-
ructam in fundo Virtutis Gloriam. cæterùm
nil Aſiatici luxus eſt: exeſto Heroſtrate.

TEMPLVM HONORIS

ET

FERDINANDI III.

REGIS ROMANORUM.

TAndem exſpectatione ſuâ evolutus Orbis, in victricem Tuam dexteram conceſſit, FERDINANDE III. Téque CÆSAREM & REGEM ROMANORUM Septemviri renunciarunt, & nunc ſalutant. à Tuo deinceps nutu pendebit hæc machina: Tuo Sereno Natura ridebit. Quod quidem ita confectum eſſe videmus, ut cùm omnes lætentur, qui hoc audiunt; nemo tamen admiretur, qui gaudet. quorum alterum paucis contingit; alterum vix ulli. Voto omnium es electus, antequam eligereris Fato; & priùs meritis notus, quàm nomine deſignatus. Qui ſummum hunc Honorem detulerunt Majeſtati Tuæ felices ſe putant, quòd detulerint: & qui accepiſſe vident; gratulantur ſibi quòd acceperis. non ad omen aliquod plebis, ſed ad judicium Tuæ Virtutis deventum eſt. Martiano, ut hujus dignitatis potiretur, dormienti Aquila umbram & omen fecit: Tibi vigilanti, tibi in acie hoſtiles ſternenti exercitus, victrices Aquilæ, præviis clangoribus augurium cecinêre. Te GENIUS IMPERII ROMANI complexus,

Digitized by Google

ix vidit Regem , & jam Cæſarem prævidit. Ille ilicet incubans animoſo pectori , exſtimulavit ad tia; ille TEMPLUM HONORIS *à Romanis conditum , ut* REX ROMANORUM *rederetis . & auxilio fuit , & volentem manu tit. iuvat hos eventus ſeriémque rerum , totius bis bono, à capite arceſſere.*

Impleverat jam ſacrâ præſentiâ ſuâ Ratisbonam uſtiſſimus GENITOR Tuus ; totámque Augu- Tiberinam , Septemviralis Collegii occupaverant itia : Te intereà in campis , ſub pellibus & Dio,in- iſcrimina bellorum tubáſque fremente. Vidit hoc rii Romani GENIVS ; & placidè intonsâ cæ- motâ , vultúmque verſus urbem contorquens, ri ſimilis , BENE EST , exclamavit. nunc fa- via , quà peragat animus , quod egit diu abſol- leniquе vota multorum , ſpéſque laudandas ho- o ſucceſſu. Superi IMPERATOREM MEVM it , & ad aſtra ſerò deducant , impleturum vicem i Sideris ! Sed neque alterum ſubſtituant , niſi ſimillimum , & Maximo Patre PLENVM ! FER- NDVS II facit , ut amem et III. Voveo : ſit is nulli ſecundus; nec ſecundus à PRIMO , ſed s à SECVNDO. equidem jam dudum agitavi hemia & Vngaria,inprimis cum Auſtria ; ut mea i Regis & Sanguinis æquarent honores in id vo- ſequia mea obtuli. Significavi ét ROMÆ ; appe- iquando tempus creandi REGEM ROMANO- ropoſui Perſonam:movi:non viſa eſt abhorruiſſe. ui tamen ſumpſit perturbationem rerum : bella ùs Iani poſtibus convulſis , pleno impetu,in Ger- n effuſa , quibus prohiberetur vera juſtáque, , AVREA CAROLI IV. LANCE , li- anti negotii pondus. Septemvirale Collegium riò cogendum : quo minùs cogatur ; obſtare va- i Provinciarum , ſqualorem urbium , & com-

mune quoddam in luctu Iuſtitium, adhæc TEMPLVM HONORIS, de more REGIBVS ROMANORVM aperiendum, pandi non poſſe: quando verendum ſit: ne patefactum Auſtriacis, aut uni de Septemviris, Rivalis Exterus intret, coronatus aliquis Nauta, qui Baltico remo perturbet Ordines. Ita tum Roma. At enim quid moras nunc quoque nectere juvat? ELECTORVM vota Ratisbonæ conſpirant, unanimes ferunt ſenſus. ſed alibi bella tonant. tonent: eligatur, qui adversùm tonet. luget Germania, tumuliſque adſtrata ſuorum deflet interitus. recreabitur, poſteaquam audiverit, ſe etiam vinculis FERDINANDI III. propiùs innexam eſſe. eo hanc Reginam inquiſitum: mixto conſilio Reipublicæ conſulemus. Sic fatus, ex alto cum Aquila, quam inſederat, ad Rheni ripas ſe demiſit. Ibi Germaniam reperit, noto flumine profunda vulnera eluentem. Nymphæ in medium acceptam objectu corporum tegebant. Cymodoce ex urna cryſtallina lympham derivabat. compoſuit veſtes. pallam & peplum, mitram & ſandalia Leucothoe. Ipſa Germania humeris ſupereminens inſtitit tergo famulantis Fluvii, tabúmque aſperſo fonte, quà potuit, Galatea deterſit. Najadum unam non fefellerat adeſſe hoſpitem proinde ſtrepitu inter arundines, quem excitaverat, ſedato; ſubmiſſiùs ex admota canna Patri in aurem ſuſurravit: imminere Perſonam aliquam ripæ, otioſè ſpatiantem, quidni, addidit, ultrices undas in novum Actæonem ſpargimus, qui lavanti ſe Dianæ intervenire non vereatur. Bicornis Senex, compreſſo rivo, glaucos oculorum orbes circumtulit: & primo ſtatim obtutu GENIVM Imperii Romani agnovit; commonitâque Filiâ, ut ne pergeret improbè ſtomachari, Germaniam certiorem factam ad vadum proximum comportavit. deinde celerrimè reverſus, in occurſum Hoſpitis, & hæc repentina metra defluxit.

Salve Deorum, qui Patriæ Patres,
Curis & Armis Imperium regunt,
Verende Cuſtos: FERDINANDI
Et decus & columen SECUNDI

Suc-

Succede noſtro, DIVE, palatio.
Ne ſperne conchas & vitreos toros;
Mixtáſque verbenas ſmaragdis:
Quas virides tibi præparavit
Me nata Nais. Si tenues opes
Dignare Menſa: non equidem graves
Promitto turdos, aut volucres
Phaſiacas, Numidaéque cortem:
Sed dona, vultus qua bonus optima
Facit. Superbam nos Fluuii gulam
Nequidquam habemus. Hoſpes, aude
Spernere delicias: ab udo
Salmone ſupplex obſequium cape.
Vivax bonaéque eſt indolis, & ſapit.
Interque piſces educatos
Non humilis natat iſta ſquamma.

Hoc eloquii Flumine ſpumavit Rhenus. quamdiu murmuraverat ſalutationem; variis flexibus mæandri more currebat, quippe, ut inconſtans & fluxa Fluviorum natura fert, neſcius ſtare loco, tremulis pedibus, maximè plantâ uliginosâ idemtidem locum, ubi ſtabat, pulſavit; quaſi riparum memor, & fundum quæſiturus. Lepidum erat. Cornigerum Vrinatorem extra ſe (qui hoc?) audire loquentem. GENIVS ore gratioſo renidens, hæc repoſuit: agnoſcere ſe promptum obſequendi ſtudium in omnium bellicoſiſſimo Flumine: cujus olim & Cæſar rationem habuerit; & qui nunc regit, habiturus ſit. daturum illum operam, ut ſi quos Rivales habeat, (annuebat autem ruſtico nutu Rhenus) truncatis cornibus amittant vires, & ſerviant. pergeret porrò latè dominari pontibus: & gurgitem tot ſæculis laudatum ad omnes Oceani fines, exploratorem Teutonicæ ſobolis, CASTE ſemper haberet nec ullâ perfidiæ notâ contaminaret. Ita Hebro ipſique Strymoni Martis præferendum. diutius nunc quoque, perſpectâ

ſidelitate, apud ipſum commoraturum; niſi major moles, & inprimis deplorandus Germaniæ ſtatus avocaret. In quæ verba Rhenus influens: Hæc ipſa, quam quæris, in noſtris Cubilibus degit heri advenerat, cicatrices & ſanguineas notas vivo fonte purgatura. Flet, ejulat, gemit, ſuſpirat; vellit capillos, fodit genas. modò vociferatur; modò ſpiſſa ſingultibus verba reſorbet. vix ſolatium admittit. Atqui hanc, ſubjicit GENIVS, ut dixi, veſtigo. Cereris raptam Proſerpinam quærentis major diligentia, nec in cupreſſinis tædis emicuit. Vade age, tranſporta pretium non vile vecturæ. proximis Comitiis, ſtantibus cæteris Fluviis, tibi ſuper urnam conſidere jus fáſque eſto. Subſtravit viridis Senex dorſum, ſeptimóque tractu, vix ſulcum relinquens, Iuvenem Deum expoſuit. Huic obvia Germania in conſpectum ſubit jam amicta; útque fieri amat, repentini adventûs tumultu concuſſa, neglectim tamen oculis perfunctoriâ manu deterſis, & ficto gaudio delibutis, diſſimulatura mœrorem. tametſi facilè apparebat, Rhenum ipſiſſimam veritate ore fudiſſe. MATRONA vultu erat exercitato; eminebátque integritas morum, & permixta candore priſco pulchritudo naturalis, abſque fuco & ſtalagmate; negligentiâ tamen vel incuriâ quâdam corrupta, ac vulneribus deformata. lata frons ſinceréque ſibi conſtans, maturæ prudentiæ ſedes: oculi grandiores, aquilini, ut et naſus; ſed lacrymoſis pluviis non-nihil deſtructi denſa ſupercilia, crinis turritus, theatrali gradu conſurgens, quem infixus decenter pugio diviſerat. premebat autem altiſſimum dolorem animo. Locuturam prior occupavit GENIVS; &, Qui talem te video Germania? quid immo tam immani quiritatu fatigaſti Siluas, Rhenum & Sidera? Surge animo decus Europæ, diſcute nebulas, nec ſuccumbe præſentibus. Illa vocem, qualem magna & regia calamitas habet, in hujuſcemodi triſtem næniam reſoluit.

At non vana meam placant ſolatia mentem,
Quam luctus mœrorque gravant, cognataque bellis
Supplicia exercent, ipſis deflenda Gelonis.
Illa ego, quæ quondam Regina, Sororibus ibam
Altior, & Superis etiam formoſa videbar,
Votum immane Procis. in quæ modo funera damnor?
Quos patimur manes? in qualem labimur umbram?
Tot ventis promor ac turbis, tot fluctuo curis:
Pectus ut Aeoliâ non ſit mihi mitius aulâ.
DI, quibus invitis Romanam intravimus urbem,
Quando meis lacrymis veſtras ſatiabitis iras?
Omnia vaſtârunt flammæ. cum mœnibus hauſti
In cinerem ſedêre Lares. ego feſſa tot annis
Denique procumbo, nimiis exercita Fatis;
Pendentes ſulcata genas, lacerata capillos.
Victa malis, morimur, totoque è Corpore manant
Stridentes tabo rivi, campiſque vagantur.
Adde genus probri: chalybem conſumpſimus ore,
Devotum Cereri: conflatus vomer in enſem
Ceſſit; & attritos nunc fert vagina ligones.
Quà pes cumque movet greſſum, plorare puellas
Audio; & oppreſſas, rapti poſt damna pudoris,
Atroci gemitu maternum tundere buſtum.
Quid memorem pretium mortis, multoque redemptas
Exequias auro? quid plenas Civibus urnas,
Plus quàm Syllanâ Sueci veniſſe ſub haſtâ?
In cunas ivit gladius, ſtirpemque ſecutus
Sanguinis, infantum naſcentia ſtamina rupit.
Quæ menſura mali? nondum complevimus omen,
Quod nigræ cecinêre Deæ? abitúrne dolenti
Triſtius augurium? rurſus cum grandine fulmen
VVandalicum, tortiſque pluens haſtilibus Aether

Creſcentem pulſabit humum? reduceſne catervas
GVSTAVI, caloque novum ſpectabo Cometen?
Scilicet hoc ſupereſt, ut diris caſa flagellis,
Collum obtorta trahar; ſpoliumque ignobilis Hunni
Ducar in æterno damnatas frigore terras.
Aut pecudum ritu, Getica percuſſa ſecuri
Immoler, inferias ſuper injicienda Sororum.

Dicebat iſta calidè, & in ipſo ſono verborum micabant ſigna concitati animi. terror inerat lacrymis, & augebat dolorem. Cui GENIVS: Non te vanis, ait, permulcebo ſolatiis. redi in ſereniorem vultum; ſi me audis, enova lætitiis frontem. DIs cordi ſumus. Salvo Cæſare nil metuimus, quàm cœli ruinam. Nimirum ſalvo ſubjecit DEA. ſed quid afflicto? quid cum morbis fatiſque luctante? certo rumore percrebuit, ad ultima Ratisbonæ deductum, faſtiditis Mundi ac Germaniæ rebus ſidera ſpectaſſe. Tum GENIVS: Equidem ex vano hauſtum non fuit, decubuiſſe, penè avidiùs à Cœlitibus petitum. cæterùm magnis votis ceſſere, & quodammodò timuere invidiam Mortalium. Vivit Cæſar, vivit Imperator. quid ſi te èt alio cumulem gaudio? Quaſi frigida ſemiſopitæ affunderetur; ita vivida ſolitóque major ad hæc orſa conſurrexit Germania: &, Te, quando per Genium Imperatorum obteſtari nemini fas eſt; per fidem ſaltèm Cæſaribus datam rogo: effare, quod pectore clauſum geris. Molimur etiam, inquit; & ſubitò conticuit. Hic Diva: Te per ego hos oculos, ne celaveris fors èt mihi dulces animi ſenſus; ſi me amas, ſi reliquias vitæ novo dolore torqueri, barbarum putas. affundor etiam genibus. Poſtquam allevavit; Molimur, pergit ille, Sacratiſſimam Progeniem Imperatoris tui FERDINANDVM III. altiùs ſubvehere. Si ei creato REGI ROMANORVM, Orbis habenas commendaremus, cui fideliùs crederetis? O dignam hoc GENIO mentem! exclamat Germania, Genium Regno, Regnum FERDINANDO, FERDINANDVM Imperio! Quoties occultis ſuſpiriis idem optabam? ad vota trahebar affectu: hunc &

Fama

Fama & Virtus excitaverant, viſaéque dotes cælo dignæ. Exorſus Virum in Iuvene, ſe talem tantúmque promiſit. ſi Sapientem amamus; quid illo ſapientius? qui non modò Doctos fovet; ſed divini jubar ingenii, omnibus ſcientiis inſeruit. Si comem; quid eodem humanius? qui minimis etiam regale culmen inclinat. dexteram triumphis impletam porrigit ſupplici. pietatem ejus Templa commendant: fortitudinem Vexilla & Aquilæ; ſollicitudinem vigiliæ; munificentiam Exteri Subditiéque. qui à Patre tanto degenerare poſſet? AVSTRIACVS eſt: ſat dictum. In alios diviſo alveo derivata bona; in illum uno meatu collecta fluxêre. Beaſti me hoc nuncio, ô Noſter, niſi deludis. Ita omnes Cæſarem ac Veritatem ament, reponit GENIVS: ſerius ſum: & quando umquam lætior? Nihil, animo quidem meo, utiliùs hac tempeſtate ſtatuetur; nihil adverſus fortunæ furentis turbinem magìs valiturum. cæterùm gaudii noſtri meſſis adhuc in herba eſt: quæ tamen ſummâ etiam hyeme lacteſcit, viridis jam & florens, brevi in culmum culménque ſurrectura.

ANTE NOVAM CEREREM QUAM MATURAVERIT ÆSTAS;

ROMANO EX AGRO SCEPTRUM REGALE METEMUS.

Sceptrum, inquam: cujus ſementem in Pharſalicis campis, Iulius Cæſar, imbre ſanguineo rigavit. Tam grande ſecretum ſcito jam Auſtriam, Sorores item tuas Vngariam & Bohemiam, didiciſſe ex litteris ad Aquilæ collum appenſis. ſumma fuit: iis acceptis, ornatu regio inſignes, ad te ocyùs feſtinarent: nos ubicumque tandem reperiendos inquirerent. nam ét ipſe ambigebam, Rheni an Danubii conſideres ad littora. Fata me huc duxerunt. Simulatque nobilis Triga ſe advexerit; juncto choro impellemus Romam, (faventem jam ſcio) ut FERDINANDO NOSTRO famoſum Sui HONORIS TEMPLVM aperiat. eliciet, ſi ulla, ex Ara hunc DEVM: qui permotus honeſtâ flagitantium cupidine, dum Comitia Ratisbonæ fervent. Vota

omnium facilè ferет ad metam. Incubabit pectoribus Septemvirûm, & calculos numerabit. Tu quoque pulcherrimos, ſi umquam, induta cinctus; cave dedeceas adornandam ſordidata pompam. Simul his oſtenſura DEA, quàm altè in pectus demiſerit verba GENII: Rheno negotium dat jubétque feſtivos apparare ludos. Is dicto citiùs, quaquaverſùm diſcurrens monenſque manantia brachia, priuſquam juſſa exhauriret à ſuo fundo; ad Nymphas verſus, his carminum bullis jocosè obſtrepuit.

Romanum Genium dicite Najades,
Germano Genio ludite Najades:
Depictiſque phaſelis
Noſtrum ſcindite cærulum.
Felicem Genitum dicite Cæſare:
Illi, qui genuit, ludite Cæſari.
Famâ notus uterque
Iam pridem ſuper æthera.
Hic Faſces capiet, quos et Iulio
Rudolphoque Pio Gloria prætulit.
Cunctis altior, uno
Vivit Patre ſuo minor.
Reſpirent Fluvii ſanguine livida;
Nec Brumam timeant, quam Boreas jacit:
Inſultentque catenis,
Quas vis Suecica nexuit.

In hunc modum ſecuturo Choreumati præluſit Rhenus: neque diſplicuit GENIO inexſpectatus lepor Odæ Navalis. cujus extrema carpens, Non poſſum non, inquit, quod ſentio, tibi, Alemannia, in animum dare: auſculta. Numquam tam malè cum REGNO ROMANO agitur, ut non illi digniſſimum Fata admoveant, & quidem tempore vel maximè opportuno. Finge, quod Dii avertant, Imperatorem noſtrum Emeritum,

ritum, ætate devexâ, poſcentibus fatis, ad Conſtantinos Carolóſque ſideribus illatos abiiſſe, priuſquam Succeſſor eligeretur: quot turbis collidendum putas Imperium? quot violandum bellis, fœdandum cædibus? externorum funeſta ambitio, quo reverentiæ metu coerceretur? namque hoc malum ubi ſemel invaluit, nónne per acervos cadaverum ad Coronas itur? Exemplum ipſe ſit, qui eam fabricavit cruentus Socer Pompeii, ex Theſſalia, non ſine ſtrage plùs quàm civili in Capitolium allatam. Vacuam ejus morte Rempublicam occupavêre alteri alterique, cædibus & tyrannide crudeliùs infames. dulcedo gloriæ, novitas rerum, immoderata cupiditas evertunt animos. experimentis Poſteri docti ſunt, optimum eſſe, navim non omni Rectore deſtitui, etiam in portu ſtantem. ſcilicet non diligentiùs providebitur; cùm in ſalo jactatur diverſis ventis, Aquilone potiſſimum in CLAVVM alliſo? Principum quidem Imperii frugales animos, ſumma virtus continet. at enim hoſtium ſenſa & gannitus quis exploret? exſpectandum ergo erit, donec novus Totila, ex patriis paludibus claſſem promoveat, onerandam Auro Coronario Romanorum? Ego cenſeo Divis immortalibus grates immortales referendas eſſe; ſi Voti, quod in deliciis habemus, ſalutaris ac læti damnemur. Quemcumque Ducem Regémue mihi Fata deſtinent: apertè dico, quaſi cælitus delapſum, ex officio amantiſſimè complector tueórque. neſcio tamen, quid diuturnus uſus & familiaris vita, quâ Auſtriacis hactenus illigabar, polliceatur mihi certius; rapiat fortiùs, lætiùs afficiat. Ab annis Rudolphi I, ejuſdémque glorioſis factis, huic ſuper gemmas fundatæ DOMVI prolixè faveo. nam Genus hominum iſtud, aut Semideûm potiùs, ad hoc natum factúmque eſt, ut regat; & regat omnia, Pii ſunt: *Pietas ad omnia utilis*, Placidi ſunt: *reſponſio mollis frangit iram*. Manibus non niſi Tago lotis tangunt accedentium manus, *beatiuſque* putant *dare quàm accipere*. PVBLICAS CVRAS TRACTANT, &, FRONS PRIVATA MANET. ad alloquia Civium ſe demittunt; & Majeſtatem non temerant. ſcelera puniunt; & cle-

& clementes vocantur. cùm parcè ſeveritate & gladio utantur; Iuſti nomen non amittunt. Digni, quibus Sceptrum ad Cunas ponatur, qui naſcantur in purpura, qui mereantur imperare rogati; quibus Sereniſſimæ Conjuges non tantùm Reges, ſed et Regna pepererint. Vide, obſecro, ut illos Virtus & Felicitas muniverit, Imperii & terrarum bono: quàm meritò Orbem manu geſtent, quem ſubactum pedibus calcant? Trans Indum & Gangem; trans Herculis Columnas; quà ſol cadit & ſurgit, ultra Garamantes dominantur. Ipſa tu, Germania, multam partem eorum Imperio ſúbderis, ornata parendi beneficio, non ſervitio & gemendi neceſſitate onerata. Iam FERDINANDO NOSTRO, quàm commodè ſe Hungaria & Bohemia tractabiles præbent! hæc firmat robore, & metuendum exhibet inimicis: iſta Othomannicæ Lunæ varios vultus obſervat, & Turcarum incurſus prohibet à finibus Imperii. alterutro ſi carendum foret, periculoſa ſæpe alea jaceretur. Plura dicturum numen, interpellat eminus ſublatus clamor, cum feſto fremitu & rauco ære. Tritones, allapſas per nubila Deas inſtructâ liburnicâ vehebant, carinam ſuſtentante Rheno. movit ea res frequentem riſum. nam capite dumtaxat undis eminens, cornu latè deſpumans ad proram remóſque ſæpe alliſerat. Nereides circùm alnum & Patrem plauſêre choreas, quas in Ludis Iſthmiis didîcerant, ultimis præſertim; quibus Neptuno Regnum Maris, & Coronam Cæruleam gratulatus eſt omnis Phorci Chorus. non enim minùs (ominabantur) fore FERDINANDI III. Imperium in terras, quàm Nerei ſit in aquas. Cymodoce conchis alliſis, ſtrepitúque lympharum in cincinnos vibratos emicantium, veluti ſono ſiſtrorum aut crotalis tripudium animabat. Ad novi Carminis leges, cum ſymphoniâ pedes agitabantur.

(***)

PLAV-

PLAUDE NYMPHA FERDINANDO,
PLAUDE NYMPHA TERTIO.
Age ſalta,
Dea triplex, aqua & aër
Pede nunc ſunt ſaliari quatienda.
Corybantum ſtrepitus, & thyaſorum
Choreas & citharœdos
Imitemur.
PLAUDE NYMPHA FERDINANDO,
PLAUDE NYMPHA TERTIO.
Date rores,
Date flores, date ſerta
Hyacinthi, & violarum ac amaranthi.
Roſa vernet calathiſcis; fluvioque
Vitreoſe ſpeculatus
Adoleſcens.
CINGE NYMPHA FERDINANDUM,
CINGE NYMPHA TERTIUM.
Modò noſter
Chorus illum celebrabit:
Tumidos dum mare fluctus, aqua piſces,
Fera ſaltus, avis auras agitabit;
Et ab uno fluet ungue
Aganippe.
PLAUDE NYMPHA FERDINANDO,
PLAUDE NYMPHA TERTIO.
Canet illum
Helicon & Chorus iſte:
Vaga donec glomorabit Polus aſtra;
Et anhelum Phaethontis ſuper axe:
Genitorem feret AEthon
Et Eous:
CINGE NYMPHA FERDINANDUM,
CINGE NYMPHA TERTIUM.

Iucundum ſcilicet erat intueri glaucas & graciles puellas.ad natos recens modulos,neque antehac viſos decorè commoveri,ordine ſervato, & cæremonijs Saltûs Iſthmij caſtè habitis Auſtria, Bohemia, & Vngaria, averſæ obliquumque tuentes, in morem trium Gratiarum,conſeruerant manus Exſcenſione factâ,poſtquam lævâ plantâ Fluvium modicè libaſſent, (is mos à Nuptijs Galateæ & Acidis obtinui) in amplexum Germaniæ ruerunt, Auſtriæ id prius licuit,quippe Filiæ, dein cæteræ amori litarunt. Vbi GENIVS: Enimverò properate, dum Matri viventi fas eſt colloqui,incredibile dictu, quæ paullò antè facundo dolori verba laxaverit. videbar mihi Hecubam, aut Andromachen, certè Polyxenam quiritantem audire de incendio Troiæ. Nunc ſi miſeræ juvandæ meditatum huc conſilium attuliſtis,expromite. Ibimus Romam, an ſuſtinebimus ignaviæ argui? Atqui Germania quantumcumque triſtis antè,levabatur vel ſpe FERDINANDI promiſſi. Noſtrum eſt providere maturè, ut ab HONORIS ROMANI TEMPLO Orbis negotium auſpicemur. Ad Iliæ Martiſque Filiam feſtinare volentibus, nulla mora injicitur. ecce pilenta, ecce aurigas Aquilas. his Ductoribus puncto temporis allabemur turribus Albanis jam monui Romam, venturáſque prædixi Et placet hilaritas exporrecti vultûs,veſtérque decor, quem corporibus afflaſtis. Erant omnes cùm naturæ clementiâ, tum verò multò maximè,gratiâ Novi Regis,ex compoſito cultiſſimæ: patebant ipſo inceſſu Deæ.

AVSTRIÆ facies emendata, oris pulcerrimum decus,nutus expoliti labia rubra & magna, dentes albi. Genæ, quas ſtibium & ceruſſa primum dedecoraſſet. oculi naturâ ſuâ ad lætitiæ radios exacti cum obliquabat latus,ſcintillabant ut ſtellæ quædam,cryſtallino humore in gratam temperiem fluente. ſi totam frontem indulſiſſet,Aurora credi potuit. reliquus membrorum modus ita conformatus:ut quia ardua, Iuno, quia virginea,Diana videretur, & tunc quidem depoſito diademate,quod ardebat gemmis, laxabat impeditam comam,quæ in humeros,ipſo neglectu gratior,defluxit.

HVN-

HVNGARIA ex æquo animoſa & venuſta. ſcriptura genarum elegans. capillus niger: cæterùm radicitus bonus, partim decurrens, partim ſerico nodo cohibitus. Quà in orbem turbinatus apex, involucrum crinale facit, hæſit acus comatoria: quà ſub aurem lævam capillum demiſerat, prominebat ſpina argentea cum peregrino unione. Pallæ ad ſuras fluentis limbum, ambiebant auri folia, ſcilicet ab arte infuſa. Quòd verò audiret Diva, in procinctu potiùs ad iter ſtandum eſſe; compoſuit moderatiùs mundum, & Amazonem induta, dextram nudam exſeruit, pharetra & ſagittis inſtructam.

BOHEMIÆ corpus magnificum, procerum, elegans, animæ militaris & ad quietem difficilis regium caſtrum. vultus ſeverus & bonus luminum vigor inſignis; acrior tamen, quàm quis in fœmina ſperet, in Dea amet. frons miſtâ nobilis irâ, nec rugæ dedecuere. comam galea oppreſſerat, temerè, & velut inter feſtinandum injecta. criſpatus optimo metallo conus aſſurgebat candentibus criſtis. Veſti leo intextus candidus, late jubas diffuderat. Zona purpurea moderabatur lateri ſiniſtra geſtabat clypeum. in eo FERDINANDVS III. cum Marte expreſſus. Mars currum verſus Rhodopen urget, haſtâ equos increpans. quadrijuges ſolido adamante figurati. haſta ex ferro & chalybe. Ipſe Deus è pyropo fabrefactus, ſanguineum numen vel in parva ſpecie magnum exhibuit. Rhodopen electrum ſignabat; nives cryſtallo canduêre, Germania ad veterem habitum nihil adjecit. In hunc modum ſe Divæ habuere: GENIVS intereà, dum laborant, dum comuntur, bene longos ſermones undis Rheni miſcuerat. quædam edixit: Nonis Novembribus Ratisbonæ ad fratrem Danubium inviſat. propter ſaxeum pontem, tot nominibus celebrem aut fluat, aut ſiſtat. Si qui ELECTORES illac vehantur; toto ſtatim verticis vortice aſſurgat. Si qua in re occaſio gratificandi annuat, pronam voluntatem ſecundo alveo ſtringat. Nymphis Iſtri, FERDINANDI III gloriam clarè & liquidè narret Danubium porrò nullis prælijs convomat, neq; ripas alterius petulanti

lanti incurſu turbet: quisque potiùs in hoc communi Orbis plauſu, alter alteri, quaſſatis in capite cannis ſtipulíſque adſtipuletur. denique Româ redituros obvius dorſo excipiat revehatque. Iuravit Rhenus per Tridentem Neptuni: ſi fallat; Acheloi pœnas ſubiturum. Subinde frænatæ alites ducuntur ad currum, juſſæ. Sorores conſcendere, agilitate corporis libratæ provehuntur in altum; GENIOQVE ſignum dante, propiores ſemitas aëris tranant. Quacumque iter eſt, ningit rubris albíſque floribus, Auſtriaco colore infectis. Nomen FERDINANDORVM inſonat: reſultat Echo currúmque propellit: abeuntes Rheni canicies ſtridulo cantu proſecuta, Aquilæ curioſam felicitatem, & exoptatum munus invidit his vocibus.

Nimiùm felix, Iovis ô Satelles,
Cæſarum cuſtos, metuende roſtro,
Fulminum raucis metuende nimbis,
Flammiger Ales,
Tu Quirinales Oriente colles
Craſtino viſes Italàsque terras:
Quodque deluſo ſerit aſtra Brenno
immobile Saxum:
Tu ſalutabis Latium, ſuperque
Arduas Romæ gradieris Arces;
Et Remi ſparſo madidam videbis
Sanguine foſſam.
Quem vehis Regni GENIVM Supremi,
Thuſciæ fines Ligurumque noſcent.
Fortè iam tollit caput altus Apen-
-ninus in auras.
Clange, quùm montes Tyberimque cernes.
Sed ſono leni lituoque pacis:
TERTII crebrò ſacra FERDINANDI
Nomina miſce.
Rupe Tarpeiá tua fræna ſolvet

Romulis

Romuli lictor reparabis illic
Perditas vires, bibiturus ignem
Nobilis aſ[illegible]
Admove Soli caput, ut liquorem
Aureum libes. oculos in altum
Tolle: formoſi Phaëthon propinat
Luminis hauſtum.
Sic Deo viſum. trabeatus inter
Alites Conſul. legionis Alas
Plumea cenſes, regis et volantum
Caſtra Quiritum.

Interea felix Quadriga, rapido curſu propulſa, ſecuit Italiæ campos. GENIVS notitiam locorum accuratè callens, digito protento DEAS edocet. Intuitus Florentiam: Hinc illa CLAVDIA, dixit, orta; quæ Sereniſſimum LEOPOLDVM tuum; ô Auſtria, non uno Aſcanio parentem fecit. Viſo Mediolano. Hic, ait, Corona Ferrea ſervatur, contra quamvis auream æſtimanda Aſpice ſis hanc Domum. juxta pænè compreſſus erat CAROLVS tuus multitudine populi, videre geſtientis tanto virtutum apparatu inaugurandum Cæſarem. ecce, hæc Caſa fuit, quam contemptis Palatijs intravit. nunc in baſilicam molem ejus veneratione aſſurrexit. Videtis Venetias indomito elemento ſtantes? Hujus Vrbis Senatus divinis pænè honoribus affecit MAXIMILIANVM tuum. Atque iſtud mare Adriaticum eſt, quod amores & connubia Ducis ſentit: quotannis annulo deſponſum, ſervat fidem Senatui; ut ne caſtiùs quidem Nereo ſuo Amphitrite. Ita viſum Comitum per ſingula curioſè duxit. & paſci viſæ ſunt oſtentis rerumque variarum ſpectaculis, Nondum omnia abſolverant; cùm Tyberis eminus Hoſpites contemplatus, ingentem mugitum per littora excivit.

Confeſtim ROMA ſuis Sedibus emota, ad virides & ſapphyrinis tapetibus contectas ripas, geminum par Dearum, unà cum GENIO exquiſitè accepit. Salve Auſtria dilecta nobis à CAROLI V. tempore, non memini tam formoſam te videre. Salve Hungaria. quis te

te Deus noſtris advertit Oris? talem et ego Amazonem Camillam hoſpitio excipere mereor, formidabilem Thracibus & Turcis? Quì vivimus Bohemiæ? credebam ſub ingentibus tumulis aut ſepultam jacere, aut ægram vix ſpirare. Simul intra Tarpeiæ Rupis arcem invitat. Dixiſſes Cybelen egreſſam ad Eleuſinum Sacrum inclinatis turribus & pinnis honorare voluiſſe Comitia Deorum. Sancto decore venerabilis apparebat, multum de Veteribus, plus de novis Conditoribus trahens. Geſtavit chlamydem, cui Tybris infuſus, textili argento revocabat aquas in nativum gurgitem. juraſſes vivere ab imo fontem. littora ex oſtro aſſurgentia, aquæ vitreæ, urna argentea. ipſe cæruleus emergebat conchæ majori incubans. glauci oculi, lentiginoſa frons, nares alveo rapidæ, barba in ſcaturigines floccis rorantibus depexa. Toga Romæ candida; ſymbolum nutricæ Vrbis illuſum habuit. nam in togæ rugis, ceu ſeptem vallibus, reptabant Romulus & Remus ad lactantem belluam, filis adeò vitalibus picti: ut ea non niſi ipſas compoſuiſſe Parcas crederes. Puſionum unus facie benigniore ſolerter expreſſus, plauſit teneras Fraterculi ſui, per foſſam ſalientis, plantas, ludente manu: tamquam ominoſè. Cætera, in habitu vultuque hujus Deæ, omnia ſanctiora, multam amœnitatem dignitatémque Novæ Romæ ſpirantia. fuſcus color gratijs plenus, quaſi à fumo ſacri thuris & Pontificali acerra proveniret. honeſtiſſimus oculorum blandientium fulgor: vicem caſſidis, vittarum nexu crinis religatus. Ita quidem ROMA inceſſit; neque ceſſavit pede, manibus, oculis tantos Hoſpites colere.

GENIVS hîc interfatus: Haud equidem, Regina Mundi, ad otium & delicias convenimus. Orcheſtram & Amphitheatra & Thermas alijs oſtende: nobis TEMPLVM HONORIS. grandioribus curis agimur. Decurrit hic Annus. Ratisbonæ in Boiaria Septemviris Senatus datur Imperij. FERDINANDVM III. in Regem Tuum eligi ſi placet: ad Ipſos referendum eſt; qua in re non neſcimus ſummi Honoris præſtare conſenſum, quem impetrare utiq; Roma poſſit; à qua nomen & Delubrum accepit. Sic ille; ſic Roma: Neſcio, an poſt Con-

dii-

ditoris Mei ſacram memoriam, pluviam Ancilium, Numæ cærimonias, Bruti faſces, Phrygios leones, & ſacrum Veſtalium ignem, ſeverius intra tecta numen receperim. HONOR vultu Iuvenis, animo Neſtor & ſenex eſt. ſerios poſcit, quibus ſe indulget. teneris pectoribus neq; ſe, neque Romanam Majeſtatem committit, non cuique exorabilis ſæpe exterorum Principum Regumque damnavit conſilia molles, ut peſtem execratur. Amat utriuſque Fortunæ domitores, & quorum prima dos, calloſa Virtus. Annales Veterum Noſtrique Ævi, memoriâ tenet, ut Sol horas diei. Dicta hiſtoricis eventibus probat odit caſſas & ſonantes ſententias à proletario ſparſas. vix loqui orditur. & noſcetis Aquilam ex roſtro, ex ungue Leonem. obruemini adductis exemplis. petere immodica videtur; ſed in occulto rationum momenta habet. præmoneo: annuendum illi, ſiquidem votorum potiri mens eſt. Templum non aperit, niſi per Virtutis oſtium intromiſſis quod tametſi habitat maximum, non contemnit mapalia ; & in pectoribus Heroum libentiùs moratur, ſæpe confeſſus, Honori dignius hoſpitium ad ſtivam metari Ruſticum ructantem glandes; quàm Aulicum inter pocula & Iunonis aves. Laudat Serranos meos in novalibus Fabricium ad focum Samnitibus Reſponſa dantem, Camillum in exilio , Curium inter boves Dictatorem: Theodoſium Pium, Carolos aliquot mihi ſæpe commendat Tui FERDINANDI ſæpe in ore ſunt: quos intractos nullus voluptatis calor ſolverit, nullum inertiæ frigus conſtrinxerit. Antequam Candidatorum animis illabatur, examinat conſilium, pertentat fibras, acutior quovis Aruſpice. in certa problemata, immo oracula jurari jubet. ſed audete: animus ſi conſtat. tentabimus Auguſtum Penetrale. quis ex nobis antiquiſſimi Palatij fores carmine rumpet? GENIVS ad ſe pertinere officium ratus, talibus numeris HONOREM demereri occepit.

DIVE, cui dulces radii naſcuntur ab ore:
Immortalis HONOR; quẽq; ornant plurima circũ
Serta triumphali vernantes ſidere crines.
Huc ades, & pronus noſtris illabere votis.

Pande

Pande fores GEMINO REGI, licèt Vnus & Idem
Sit Geminus, poterit titulo quocumque mereri.
Omen habet, vocem Phœbi tonitruque ſiniſtrum
Senſit, & ex celebri præſagia conſona luco:
Et clangens addixit Avis ſi ſigna notâſti;
Regem, quem petimus, totus ſibi vendicat Orbis.
Ætatem vincit Virtus. Quàm fortis in hoſtem
Irruat, umbrarum genitrix Nördlinga loquetur.
Fumat adhuc Campus memorandâ ſtrage, voláq;
Atque ululant circum ſemeſa cadavera Manes.
Invictam dignare manum NATI AB IO-
VE SVMMO:
Imperii pridem qui jam Defenſor habenas
Suſtinet; & patrio ſtantes in pectore curas
Attrectat, placidoque facit ſubſidere motu.
Sis facilis Generoſe Deum, portáque recluſâ
Indue Romano meritum CAPVT ocyùs Auro
Non inſueta dabis. FATVM eſt, quod poſcimus
Omnes.

Dixit, & digito labellis admoto aliquantum ſubſtitit, imminens eventui. Quem datis Dij boni? túque feliciſſime in oſtro Iuvenis, cui ſupplicant Reges. Extemplò cardo vertitur, patuítque TEMPLVM VIRTVTIS, quod TEMPLO HONORIS præſtructum ſapiente Divûm conſilio, viam illud adituro præbet, nuſquam aliàs reperiendam. Inclinavêre ſe Deæ cum Genio, & introgreſſi: neque verò elatas cervices cepiſſet anguſtus ille & depreſſus aditus. Templum formâ rotundum, nulláque novitate viſendum ad Eoam Regionem ſpectat, & ſuſcipit radios naſcentis diei. Vile quidem parvitate videri poſſit: ſpirat tamen religioſum horrorem, & quamdam dignitatem introeuntibus afflat. Ad lævum, Ceſpes in modum Aræ exaggeratus Focum ſuſtinet, quo Mutij Scævolæ ſpectata manus arſit. aliquid item pontis ſublicij, quem Cocles dejecit. eo ligno æternus ignis illius Foci ſervatur. propter Aram ſtat Do-

Dolium acutiſſimis clavis refertum , thalamus egregij quondam Exſulis Reguli. In pariete (& hoc ſaligno) ſuſpenſa pendent juga Gabiis impoſita, aratra Curiorum, Quinti , & quibuscumque Conſulatus olim ab Senatu deferebantur in agros ; quíque ipſi Conſules ſecuribus exciſa ligna . demeſſáſque ſegetes Patriæ intulerunt. Clæliæ item Tyberim tranantis arma, caſtum Lucretiæ ferrum, Brutorum urceus & pugio, Scipionis Africani clypeus, quo Patrem Cornelium defenderat, talenta auri ab eodem remiſſi Parentibus nobilis Sponſæ, Roſtra plurima, etiam inter chlamydes & Saga videre eſt Togam Conſularem M. T. Ciceronis, Catilinam Senatu & Vrbe ejicientis. Quæ omnia ſummo ſtudio luſtrantibus Deabus injecit ROMA: irent porrò ad dexterâm: veriora ibi & certioris ſymbola fulgere Virtutis. in lævâ parte umbram duntaxat objici. Ex quo enim tempore Tybris oleo manaſſet , ipſaque Auguſti oculis de nocte vidiſſet PVERVLVM in VIRGINIS SINV Solis inſtar radiantem; altiùs ſe mentem cæleſtibus inſeruiſſe rebus ; ſpretaque inanium Vanitate Majorum, Fonte Luſtrico lotam, purpuratam Duumvirûm Cælitum. Sanguine , CHRISTVM REGEM REGVM, & DOMINVM DOMINANTIVM adorare alios ſe modo Numas, alios Flamines, Pontifices, Veſtaléſque agnoſcere. Sic fata, eò duxit, ubi ſtabat Ara ſacratior ſupra candidum marmor, acerra thuris, figura Crucis, qualem Conſtantino M. coëuntes ſtellæ depinxerant emanabat ex ea parte divinus quidam fulgor & præſtinguebat oculos. cæterum neque ibi elaboratius quidquam, aut arte molli confectum viſebatur procul luxus. Tremit formidine voluptas aſpicientis arma bellica Chriſtianorum Ducum, veneranda rubigine obſita. Ibi Caroli M. Capulus edicta Virtutis obſignans; baltheus D. Henrici, gladius Scanderbegi, ingens numerus rerum Auſtriacarum. Et hæc illa Griſea veſtis eſt Rudolphi I, inquit ROMA, Ottocaro alicui (ne incoram offendeæet Bohemiam, ſuppreſſit Regis Bohemiæ titulum) invidenda. hæc illa pala Maximiliani I domitrix leonum hi arcus pharetraéque ſilveſtribus monſtris formidabiles. Si noſcitis; hæc Lorica Caroli V.

li V. fuit. Cúmque oſtendiſſet etiam caſſidem Tampierij criſtatam, Buquoij abſque criſtis inſignem, enſem Fillij M. & plumbeum globum Octavi, ac fatalis auctorem vulneris; addidit, parciùs inferri arma illorum, qui etiamnum ſuperarent. monſtravit deinde laudatas effigies Militum pro incolumitate Imperij occumbentium: cumprimis Henrici Pappenhemij; cujus facies nobiliſſimis vulneribus diſſculpta, Spectatores & mirè affecit, & ſacro ſimul horrore perculit. Item memorabiles ad poſteritatem Victorias Viderunt. Pragenſem pugnam ſanguineis notis expreſſam. Mons Albanus haſtis clypeiſque fulget. Stella Vivarij, inſtar Cometæ ferrugineo colore vibrat. Molda denſatos evolvit cruento gurgite cadaverum truncos. parte aliâ Turlacij Badenſis promoventur à Furijs falcati currus: quos inter confertiſſimum agmen, contuſis capitibus ſuam ferociam reſorbet, & terræ affligitur. Hinc Halberſtadij caliginoſæ errant acies: inde Cimbri aſpectu certorum Siderum pavefacti: omnium tergis ferrum imminet Parthenopolis in extremo angulo fumare viſa. elucent grandes lacrymæ per flammam, ſed heu! tale buſtum non extincturæ Quod mirabantur Deæ, jam èt Nordlingani Prælij facies ſubibat aſpectum. prima omnium Auſtria notavit addita epigraphe, Sub FERDINANDIS II. & III. vivere & mori putes in metallo milites. cernere erat furentem hoſtem fugâ averſum per dumeta. nonnemini Cornu à fronte truncatum. Dum in his divæ ſunt, & oculorum cupidine paſcuntur: repentè laxatur adamas, machina panditur alterius Templi ingens illud, nec mortali canendum. GENIVS ex omnium voto HONOREM aſpectabilem hac lyrâ ſalutavit.

O! quem te memorem toro
Fulgentem Tyrio, verſicoloribus
Effultum radiis Deum
Salve noſter HONOR, *terror inertium,*
Virtutis rigida comes,
Merces militiæ, non ita ſiderum

Lu-

Lucent auriflua coma
Ad Luna ſpeculum, ut caſaries tua.

Sub iſta, ex Curuli Sella ſe HONOR demiſit, & ordine quemque amplexatus. graviore voce, quàm ab Iuvene exſpectes, ita inchoavit. Advertunt me vota veſtra. novimus FERDINANDVM non unum, dilecta & verenda Capita. At enim Vos exiſtimem indolem Honoris perſpectam habere: qui etiam promonente Româ meâ, dubitatis; húcne ſtatim pes inferendus, an priùs Virtutis Limen occupandum foret. Si neſcitis, à ſummo Numine conditus ſum benè meritis de Republica, in præmium. odi ſegnes, temulentos, marcidos. deteſtor rapaces, impuros, crudeles tyrannos. execror Syllas, Tyberios, Stilicones. Auro vendi non ſuſtineo. emendus ſi ſum, ferro emar, non civili, ſed hoſtili ſanguine infecto. CORONÆ ROMANÆ præſideo, ejusque figuram, quam tu Germania Norimbergæ ſervas, ego ipſe deſcripſi, hisque manibus expolivi, & in id decus erexi. Dij perdant illum qui profanis manibus attigerit, aut inceſtaverit primus. quid enim majus offerre poſſim titulo Regis Romanorum? Populi qui Regibus alijs jus dixit, Civium, ſummâ libertate pro Patria militantium: Militum, victricibus aquilis luſtrantium ultima terrarum ſpatia: Conſulum, quorum dignitate nil potius fuit: Senatús, Togâ ſuâ tot provincias involventis. Quàm multis blandum videtur otium, dominari ſubjectis! Ego autem inter ardua & ſumma pono, moderatè exercentem imperia. Non fulgore gemmarum, barbaróve tiarâ tectum Arſacidam ſuſpicio. non moveor ſatellitum lictorúmque turbâ; non oſtro purpuratorum, aut Satraparum ſonantibus phaleris. Animus, animus eſt, quem in quocumque Monarcha deſidero. Hîc, aut nulla ſalus. Se prius regat recturus alios. legem quùm dederit Auctor, pareat ſibi dãti plebs non invita ſequetur præeuntem. talis, qui à ſe mandata accipit, omnia ſerenare poteſt, & uno vultu cõponere turbulenta, Palatium, ſit Caſtitatis Sacrariũ; & unde edicta manãs, ſancti Pudoris ſevera ſtet Imago. Pietas nõ exſu-

exſulet Aulâ. ita opes privatæ ſubditorum, vectigalibus fluvijs, in OCEANUM REGALIS ÆRARII currant, ut redundent; æſtúque marino divitiarum fluctus, ad littora pauperum revolvantur. odi FISCI lienes cum Traiano meo. laudo inconcuſſas mentes inter diſcrimina, in ardore libidinis & vindictæ. & hujus quidem donum antecellit cætera; tantóque magis decet imperantem, quantò fœdius eſt, iræ non juſtæ ſuccumbere, hoſtibus domitis nemo quietem ſperet, niſi èt ſe domuerit. Quid juvat palmam præfigere Curiæ; & animo caſtra gerere frementia bellicoſis affectibus? mirer Ducem, qui foris ſceleratas Thebas evertit, pejores patitur intus? non unum Etheoclem Oedipúmve cæcum, ſedèt èt ipſas fraternas acies. furioſo corde fovens. certè ſecurior eſt triumphus, quem de ſe ipſo ſtatuit Triumphator. qui ſæpe cogitat, altiſſimum eſſe munus Divûm. Sceptri ſapientem & felicem uſum. hunc quisque ſibi parit, à Majoribus non accipit, Procul eſte Diadumeni, Coronam capiti cognatam ex utero jactantes. Reges mei non naſcuntur, ſed fiunt: aut ſi naſcuntur; tantò èt decentiùs fiunt. Natura perſonam deſignat, Virtus huc ducit, ab Honore creatur. Darium equi hinnitus Regem fecit. brutum omen! Ego facta penſo, non omina. magni Heroes quot edunt ſtrenua facinora, tot habent auguria. Adverto. ſi quis Hunniadem imitetur, & militum vulnera obliget; ſi Alexandrum M. & nec diademati parcat. ſi qui cum Fabio cunctentur, cum Iulio properent, vigilent cum Camillo, ſomnient cum Scipione, cum Epaminonda Victorias generent Dixi, quod res eſt more meo: neque à Condito hoc Templo, omiſi excitare ad alta ſollicitantem has fores. Ita à Veteribus bono jure ſancitum eſt. Tu, qui te Genium profiteris Imperij Auſtriæ Patronum; effare nunc, quod animo premis.

Paucis GENIUS: AGERE SE CAUSSAM AUSTRIACI FERDINANDI CÆSARIS PRONEPOTIS FERDINANDI CÆSARIS FILII, HISPANIÆ REGUM ABNEPOTIS, GENERI, AFFINIS, CONSOBRINI, HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGIS, FERDINAN-

DINANDI III. IUSTI, FELICIS, SAPIENTIS, QUEM VEL NOMINASSE, SIT CAUSSAM VICISSE.

Subriſit HONOR, & clementi obtutu dignatus ſignificavit; quæ prolixè & ſeverè diſſeruiſſet, ex majeſtate debiti Officij dicta accipere. conſtare ſibi de AVSTRIACORVM VIRTVTE Dijs proximâ. Tamen ut neminem fugeret; HONOREM meritis, non ſanguine niti; noluiſſe quidquam ſe de Conſuetis Ritibus intervertere. Diſceret ſanè Orbis, Archiducum exemplo graſſari ad Veram GLORIAM. Hanc Sororem ſuam cujus indolis ſit, à paucis noſci: à pluribus in Sponſam peti, inſcijs, eam non è vulgo mollem aliquam Puellam, ſed virilis animi Amazonem eſſe; plúſque afferre torvæ voluptatis, quàm levis gratiæ, Vltrò quidem ſe remittere LXIII. LVSTRALIVM ORACVLORVM experimenta: quibus, veluti Lydio lapide, cujusque Regis Romanorum avitam Virtutem & Stemma probare conſuéſſet. GENIVS hîc: cum, ut Vngariæ quoque ac Bohemiæ ad audiendum arrectis concederet; tum, ne optatæ occaſioni evehendi Virtutem Auſtriacæ Domûs defuiſſe videretur, rogavit HONOREM, ut recitari publicaríque ſua Oracula juberet, id factũ Orbi ſalutare fore. *QVANDO EA CVPIDO EST*, inquit *HONOR*, *DIGNA FERDINANDIS TVIS; IMPETRASTI. Numerò, ut dixi, LXIII. ſunt, mille & ſexcentis abhinc annis, in Auguſtum Cubile noſtrum illata: quodque diverſo Metro ſenſim creſcente ſubnixum. Qui addiderit unum, addetur ei ad ignominiam: & qui ademerit, adimetur ei de gloria.*

Deinde conſidentibus Divis in hemicyclo, Ephebi ſexaginta tres, qui HONORIS Sellam ſtipaverant, ea ſequenti ordine recitaverunt, GENIO ad ſingula reſpondente.

I.

GLORIA.

Non ſolet alto
Stertere Somno:
Sed vigil omni
Excubat horâ.

V GE-

GENIVS. Et quidem tot Regna moderantibus *AV-STRIACIS*, quam ſacras credemus excubias illis conſtitutas eſſe? FERDINANDI, II & III: numquam ſomnum capiunt, niſi curis oppreſſi *Vt Capitolinam poſt prælia fuſus ad Aram Somnia cum Superis miſcens indormÿt Afer Scipio: nam Virtus &c..* II.

Non pigra vallibus
Serpit in infimis:
Sed ſubit invia
Acroceraunia.

GENIVS. MAXIMILIANI I faſtidientis ima Virtus, tantum non egreſſa videri poſſit modum; in præruptis cotibus, in ſcopulis cœlo vicinis habitantis. è quibus, cum corpus iterum intra Tyrolenſes valles demiſit; animo tamen ſemper ſupra montium verticem ſtetit; deſpiciens invidiæ fortunæque tempeſtates, grandinem, tonitrua & nimbos. *Sic Iovis armigera Volucres cava nubila ſupra &c.*

III.

Non ſalit ad numerum
Admodulante lyrâ:
Sed graviore pede
Ardua calcat humum:

GENVS. Calcavit CAROLUS V. Orbemque, quem diu manibus geſſit, emeritus Imperator, ejus voluntariâ abdicatione pedibus protrivit. *Vtque ocuium Dux Scæva ſuum laudantibus iram Hoſtibus &c.*

IV.

Non roſas vel irides
Carpit ungue floridas:
Sed comáſque Daphnidis,
Herculiſque POPVLVM.

GENIVS Quis dubitabit POPULUM CAROLO V deberi? qui ſciverit laudatiſſimum Cæſarem, HERCVLIS COLVMNAS ſuperaſſe, PLUS ULTRA transgreſſum. *Namque etſi Alcides, poſtquam, &c.*

V.

V.

Non mortu timet arcum,
Et fatalia tela:
Sed Mortiſine palpo
Dicit. NOX MEA SALVE.

GENIVS. Scilicet Mortem timet FERDINANDVS III: qui multo iam tempore inter hoſtiles globos non gladium tantum, ſed èt animam in manibus tulit. *Impavidus veluti quem vivo flumine Tethys Lavit &c.*

VI.

Non Zephyrum, vel auram
Quærit Etheſiarum:
Sed reſonantis Euri
Flabra, tubamque Martis.

GENIVS. Summâ hyeme, furentibus ventis, rigentibus fluvijs, à CAROLO V. Expeditio non una feliciter confecta eſt. *Sic fulva per altas (Nam quid hyems illi?) Getuli Bellua ſaltus Incedit rugitque nives &c.*

VII.

Non, ut obtuſi Phryges,
Læſa poſt ictum ſapit:
Sed notans arcum cavet,
Antequam telum volet.

GENIVS. Hac arte & aſtu, RVDOLPHVS II. Turcam ſæpius illuſit, Lunaéque SOLIS imminenti theſauro tenebras offudit. *Vt ſi forte tremens nutet caligine Phœbe &c.*

VIII

Non excitat ſalaces
Flammas Anacreontis:
Sed frigido lavatur
Hebri liquore fontis.

GENIVS. Sed cum ALBERTO II. ſi quid eruditè ludendum eſt, èt caſtè vult ludi. *Ludere dixiſſes ſtrato Pythone per agros Leucadia Phœbum, iuxta Tritonia Virgo Accinuit carmen: Cypru procul &c.*

IX.

Non naſcitur de palmite,
Madens & uvis turgida:
Sed naſcitur de pulvere
MAGNI LABORIS FILIA

GENIVS. Tibi igitur, FERDINANDE III. merito Tuo in manus bellatrices convenit GLORIA, ſparſa ſudore, fuſca pulvere ſeu Olympico, ſeu Alemannico. *Gloria ſic fortem gremio ſuſcepit Achillem. Cum Trojâ fumante redux &c.*

X.

Nulla fila, nulla penſa
Pectinat ve circinat ve:
Sed cruenta Martis arma
Evibràtque turbinatque.

GENIVS. Ipſæ, ipſæ Fæminæ in hac DOMO viriles animos ſumunt, ISABELLA Conjux FERDINANDI, qui Avus CAROLI V. toties Maurorum contudit rabiem. Credes hoc poſteritas? parturiens etiam in ſummis doloribus gemitum ſuppreſſit. *Sic Alcmena Jovis, &c.*

ODE XI.

Non Fortunam timet illa levem,
Nec fœda ROTAE baſia figit:
Sed per faciem colapho ducto,
Spernitque bonam, ridètque malam.

GENIVS. Incuſſit huic Cæculæ colaphum non ſemel MAXIMILIANVS I. & excuſſiſſimâ quidem manu Brugis in Flandria. FERDINANDVS II. & III. hoc Monſtrum pœnè jugulant. *Haud aliter Iunonem olim dedit in fermentum Amphitryoniades, quando &c.*

XII.

Non ſeſquipedalibus implet
Verbis facunda Senatum:
Sed ſanguine ſparſa perorat,
Et ferro verba reſolvit

GENIVS. FERDINANDVS Noſter III. non

minùs credit, armatâ linguâ loquendum eſſe cum contumacibus. perſuaderi efficaciùs exemplo; Ejus opera prævolant tubam: ſequuntur verba Victoriam. *Sic Anchiſiades & qui comitatus &c.*

XIII.

Non teneris vehitur columbis
Idalio rapienda curru:
Sed volucres agitat Tonantis
Nube ſuper, rapidùmque fulmen.

GENIVS. Hîc nulla controverſia eſt. AQVILAS habent amantque AVSTRIACI. HIS SVPER ASTRA VOLANT. *Quale omen; quando bis ſeptem ex agmine plaudunt. Et clangore vocant &c.*

XIV.

Non læve cryſtallum, Padive
Electra quærit fixa ripis
Sed ad rubentes cæde CANNAS
Scrutatur annulos equeſtres.

GENIVS. Sed et illum Annulum, quo IMPERII ROMANI MAIESTAS deſpondetur Regibus: qualemque in manu RVDOLPHI HABSPVRGICI radiaturum prædixerat Vates. *Quale decus ſacro Germanus CAROLVS auro &c.*

XV.

Non tantum eburnis poſtibus atrij
Macras Avorum figit Imagines:
Sed ipſa IMAGO *nobilior ſibi eſt;*
Nec debet ullis Manibus hoc decus.

GENIVS Ex AVSTRIACA Domo oriundus ita quisque vivit, ceu à Majoribus non acceptam, ipſe princeps condere Familiam velit, deinde FERDINANDVS III. Auguſtiſſimi GENITORIS ſui expreſſam imaginem, non in tabella, ſed in pectore geſtat. *Sic Rex Pellæus Genitoris bella Philippi Hauſerat &c.*

XVI.

Non ab impuris ſuam Procis
Suſtinet Zonam reſolvier:
Sed nives caſtique pectoris
Servat illibata lilia.

GENIVS. Dicere FRIDERIDUS quidam amabat: Martem turbare pacem; conjugem Martis deſtruere bellum: odiſſe ſe, quidquid Caſtitatem enervat. *Certius haud quidquam juraret corniger Hammon &c.*

XVII.

Non lunas gerit, & decoris
Suras aſtragalis revincit
Sed multo graditur per hoſtem
Bellatrix cataphracta ferro.

GENIVS: Video, video CAROLUM V. clangente tubâ, non ſine horrore ſpectantiû, inſilire in equum, conceptos ignes naribus efflantem. crepant arma, thorax, haſta gladius, galea quacumque Cæſar hic ruit. lato limite hoſtilis dividitur acies. Ipſe ſupra cadavera fertur, & truncos poſt terga relinquit. *Qualiter it torrens liquido brumalis ab Hebro &c.*

XVIII.

Non odorum ſpirat amomum,
Et Sabæi balſama trunci
Sed fragrat Virtutis odore.

NIL OLERE HOC EST BENE OLERE.

GENIVS. Dixeras olim, MAXIMILIANE I, odiſſe te olentes Aramiam, qui in Arabia numquam fuiſſent. *Ad quid enim Cilices? quorum omnis gloria Naſus, Tempeſtatis opes pretioſa & cinnama &c.*

XIX.

Non plena gemmis fræna vel oſtro
Fucata tractat, qualia Medus
Sed more Thracum gyrat in orbem
Iumenta fulvis abſque lupatis.

GENIVS. Quid AUSTRIACIS cum phaleris? illorum

Sonipes totus hic Orbis eſt: hanc belluam alijs frænis regunt; RUDOLPHUS felicitate, ALBERTUS SAPIENS conſilio, CAROLUS victorijs: his omnibus FERDINANDI. *Scilicet ut Romam fluxerunt omnia in unam &c.*

XX.

Non levis à populo deſiderat
Laudibus extolli ſuper æthera
Sed benefactorum conſcia,
IPSA SIB ROMA EST AMPLISSIMA,

GENIVS. Buccinâ Famæ AUSTRIACI opus non habent. canora Virtus, illis ad encomia claſſicum canit. *Namque velut Fabios, non Fama, ſed arma trecentos &c.*

XXI.

(*Non Melitenſes mulcet in otio*
Blanda catellos, æmula Lesbia
Sed domat armis, Herculis æmula.
Sed domat ipſum credite Cerberum.

GENIVS Quem Cerberum? Si anagramma vis, Cerebrum tricipitis Hæreſeos. Quoties auditus eſt CAROLUS V ſuſpirans queri prohiberi ſe à malè feriatis, quò minùs hanc Lernam ſtirpitus exſcinderet! *Qualiter indignans ſuper ariſono Stymphalo Magna Iovis Soboles &c.*

XXII,

Non tecta flavis laqueat corymbis;
Nec cingit hortos viridi cupreſſu
Sed militares habitat cavernas,
Pyrrho, Camillo, Curiiſque notas.

GENIVS. Et notas MAXIMILIANO I qui palatijs omnibus prætulit DOMVM aliquam, quam ſecum more Scytharum, quocumque ſemper ibat, duxit; PHERETRUM. *Aurora non viſa domus formoſior Illi Memnonis ad tumulum &c.*

XXIII.

Nec agente flammas Sirio poſcit
Sibi ventilari molle flabellum.

Sed ut eſt in armis, ambulans clamat;
Quid agis piger Sol? nondum enim ſudo.

GENIVS CAROLI V. Virtus memoriam ſubit, is Cataphractus, in ardente ſabulo Africæ, certavit cum iratiſſimo Sole, & ibi Catone major in arenâ Fortunam provocavit. *Vt qui iam Fatis maior &c.*

XXIV.

Non emit famam Conſulumque faſces;
Nec manus vulgi dantis oſculatur:
Sed verecundè Patriæ faventis
Annuit votis, & rogata regnat.

GENIVS RVDOLPHI Pietas ſanctè venerantis REGEM REGUM ſub Euchariſtico velo, meruit oblato IMPERIO honorari. ab illo tempore ſtare videbantur Regna, quæ in AVSTRIACOS ruiſſent. *Ac velut Atlanti quamvis impoſitus Olympus &c.*

XXV.

Non iuga Taygeti nemoroſa,
Vel Triviæ ſacra Manala luſtrat:
Sed ſilvas frondoſaque Phlegræ
In pharetras & ſpicula frangit.

GENIVS MAXIMILIANI I Venatus, Herculis labores ſunt. urſas porrexit certantes Lycaoniæ; collocavit apros majores beſtiâ Meleagri; ſtravit leonem non unum. Plura nec Euryſteus imperaſſet. *Taliter Alcides olim ſtridente Novercâ, Fulmina & arma ſuper, variosque urgente labores, &c.*

XXVI.

Non ut Argivum Regina portat
Leda nocturnum deceptæ Olorem:
Sed Iovi indignans, & cauta ſtupri
Clamat; exeſto pro Cygne nequam.

GENIVS. Exiſtimo ſic locutam fuiſſe AUSTRIAM cum Suecus immineret. Vah! Armatum Lenonem CORONAE Alteri deſponſæ. *Sic quoque Penelope deducens penſa &c.*

XXVII.

XXVII.

Non lineis implens palimpſeſtum,
Sumptus avarâ computat cretâ:
Sed pulcra Faſtis facta tranſmittens
Iuxta Sibyllæ Carbaſum ponit.

GENIVS. Communis iſte ſenſus AUSTRIACORUM ARCHIDUCUM Sic ſe alloquuntur: INDIGETES ANIMOSI, faciamus digna ſæculis. mittamus quærere, quis ſignaturus ſit. Hiſtorici ſi defuerint, in omnium Arborum folijs VERITAS ſcribet. *Altius haud ulli montes &c. Aut velut ingentes Luci, quos plurima, circum, In medioque vires proceri nominis Arbor &c.*

XXVIII.

Non in devictos furit, inſtar urſi,
Immitis, crudelis, atrox, cruenta,
Sed magni flagrans genio leonis,
PARCIT SVBIECTIS, SVBIGIT SVPERBOS.

GENIVS. Vive FERDINANDE II. Vive! quis neſcit hoc Oraculum ad te pertinere? Vive FERDINANDE III. pulcherrimos ex PROGENITORE ſenſus hauſiſti. Sic itur ad aſtra. *Vt quondam Æneas atq; ejus magna Propago &c.*

XXIX.

Non ambit ſaniem Muricis Oebali,
Nec baccis onerat ſerica vellera:
Sed Bruti chlamydem, Fabricii togam
Serranique Sagum Conſulis induit.

GENIVS. Sed tunicam adamantinam Martis; ſed gauſape MAXIMILIANI I. Sed Loricam CAROLI V. ſed purpuram REGIS ROMANORUM. *Vtq; olim ante boves trepidans Dictator ad Oſtrum &c.*

XXX.

Non lacertis, ut Milo, ſolis
Fidit expers Conſilî miles:
Sed futuri providâ mente
Temperatas provehit vires.

GENIVS. PHILIPPE II. Auſtriace. Rex Hiſpaniæ, alter

Salomon à plurimis nominate; à tua Majeſtate hoc didicit GLORIA,an tu ab illa ? *Nec Cunctator erat Latÿs ſapientior Oris &c.*

XXXI.

Non coloratum Pſittacum lingua
Garrula, vanis nutrit impenſis
Sed Caballum de Martiis unum,
Qui tubâ Signum dante dicit VAH!

GENIVS. Et qui ALBERTUM I Equitem portat clamantem IO! Decies hic è Campo victor diſceſſit, auctus cognomine TRIUMPHATORIS. *Ceu Leoiam decies nova qui venabula fregit &c.*

XXXII,

Non indecorâ lacrymâ madeſit,
Cum mille morbis aut malis premitur
Sed preſſa in ipſis vinculis barathri
Athenienſis, vel canit vel amat.

GENIVS. Nulla umquam vis Fortunæ bellive turbo, CAROLO V lacrymas aut gemitum expreſſit. potuit hoc ſola Hoſtis impietas, ad Albim fluvium, in CHRISTUM Cruci affixum ſævientis. *Qualiter & maſto Iove, formidabilis æther Solvitur in pluvias &c.*

XXXIII,

Non movet talos, nec Cane iacto
Aliam allatrans ringitur ira
Sed ſuper ripas, ad Rubiconem
Clamat exſultans, ALEA IACTA EST.

GENIVS. Iiſdem vocibus, eamdem aleam jecit MAXIMILIANUS I: cum ſtimulis equo concitato foſſam trajiceret, fuſis Gallorum copijs. *I felix, Victorque redi &c. Qualiter & primus Cæſar &c.*

XXXIV.

Non ſaliaribus modulis iocatur,
Vecta tribus Syris, quatuor liburnis
Sed lituis fremit, clypeiſque motis
Nubibus inſidens geminat fragores

GENIVS. Quis in altiſſimæ Fortunæ bonis, modera-

tior ALBERTO II? in acie, hoſti formidabilior ALBERTO I? Vterque ſummus, ſed ad TRES FERDINANDOS Neuter pervenit. *Vt nullus magnum Troianus ad Hectora fama Acceſsit &c.*

XXXV.

Non veluti de nube cadens procella
Attonito Subvertit opes Colono
Sed miſeris quacumque volat, ſonant[?]
Agricolis effundit opes Quadrigâ

GENIVS. Donare tam proprium AVSTRIACIS eſt; quam lucere Soli. contra negantem hoc Axioma, non eſt diſputandum. *Ac veluti quadam non ſunt niſi fauſta marinos Sidera ſciſſuris fluctus &c.*

XXXVI.

Non tonitru pavet, cum totâ manu
Terrificum iacit tela Iupiter
Sed Iove nubilo non eſt nubila,
Si tonat, exilit, ridens fulmina.

GENIVS. Ante & ponè MAXIMILIANVM I; ſupra, juxta, circum tonante cœlo, innoxia fulmina ceciderunt, ne quidem libantia laurigeros crines. *Riſiſſetque Iovem, ſi forſan. &c.*

XXXVII.

Non ſolet in jugulis ludere Civium;
Nec gladiis oculos IVSTITIÆ eruit
Sed metit Otryſiis hoſtibus incubans,
Stantia Pannonicis colla bipennibus.

GENIVS. *Non ſolet in iugulis ludere Civium*. inquit. AVSTRIACI, nec hoſtium, nec reorum. propria illorum Dos: CLEMENTIA, contra negantem hanc MAXIMAM, non eſt diſputandum. *Mitior haud Cygni cantantis in amne ſenecta, Tempore quo niveas mulcet Proſerpina plumas, Et jam Parca ferit, ripas aggreſſa Cayſtri: Gutture tunc tremulo &c.*

XXXVIII

Non in Sidonio recumbit Oſtro;
Aut teſtudineum ſuper grabatum

Sed duro iacet explicata ſaxo,
Cum vult Herculeum videre ſomnum.

GENIVS. Nempe ubi ſomnum captabas MAXIMILIANE I. intempeſtâ noćte deprehenſus à belluis? in Flandria? à fulminibus inter ſcopulos? Vbi? COELO TEGITUR, QUI NON HABET OSTRUM; quo ſuper extendat defeſſa ingentia membra. *Sic ipſe accubuit ſaxo Tirynthius &c.*

XXXIX.

Non ceruſſa faciem colorat,
Aut proſtans ad Speculum refingit:
Sed conciſo, quibus ardet ore,
Horrendis vulneribus ſuperbit.

GENIVS. LEOPOLDUS aliquis, qui AUSTRIACIS INSIGNIBUS colorem infudit; intelliget profundiùs hujus Oraculi ſenſum. *Namque ille, ut Libycus Leo, ſanguinis immemor &c.*

XL.

Nec in herbâ ſternit corpus marcidum,
Vbi cum ripâ altercantur rivuli.
Sed in antro ſeſe expandit proximo;
Vbi Strymon ſæva eructat prælia.

GENIVS. Illa mapalia ad Nordlingam, illud durum cubile FERDINANDI III in curru vigilantis, pepererê tibi victoriam ſalutarem, ô Germania. *Sic quoq; Pelides in duro ad Pergama ſaxo Procubuit noctu: donec &c.*

XLI.

Nec comas vibrat, neque delicato
Ventilat tinctas Cilicum liquore,
Sed bene impexos dat habere ventis,
E quibus Nautæ faciant rudentes.

GENIVS. I mollis Aulice, ſcitare ex RUDOLPHO I, quâ de cauſſâ non ſuſtinuerit umquam ſibi Cæſar iſte cæſariem criſpari. ex MAXIMILIANO I, cur undantes novarum veſtium lacinias Aulâ ſuâ proſcripſerit. *Indutus trabeam, quali ſuccinctus in arma Se veſtit Labor &c.*

XLII.

XLII.

Non Andabatas fuſcinámque Gracchi
Tentat, vel equos Eſſedariorum:
Sed vera movet, ſed ſevera bella;
Sed qualia ſunt Teutonum cruenta.

GENIVS. Sed NORDLINGANA, ubi pluri-ma copia mortis vili pretio venditæ latè campos im-plevit. ubi ſtricti mucrones ad iram, non ad ſaxa ex-aſperati rubuerunt; ubi certatum eſt pro VITA Im-perii Romani. *Ac veluti plenas Romano ſanguine Cannas Oſtendit Pœnus: ſic verſis ordine Fatis* ROMANVS NO-STER &c.

XLIII.

Non balneorum ſolvitur tepore,
Nec nudat artus abluitque Baiis:
Sed membra niuibus infodit, vel alti
Explorat undis Allemanna RHENI.

GENIVS. Quaſi verò MAXIMILIANVS I. gelidiſſimorum torrentum furias numquam tranaſſet, rigentes glacie calcaſſet armatus, ſuprà inſtante & mi-rante Boote. *Alter ut Æacides per flammam & frigora &c.*

XLIV.

Non ut Agenoris proles abripitur
Per mare Tauricum, ridens & lacrymans:
Sed Venere improbâ incenſos mille Ioves,
Mille Ioves Boves vincat, mille procos.

GENIVS. Iam dixi: AVSTRIADVM MEO-RVM Virtus, tam infracta cautaque eſt, ut amoribus non niſi dignis implicari ſe ſinat. Nihil abjectius eſſe voluptate corporis, ſæpe Buſbequio ſuo dicebat FER-DINANDVS I. *Quem neque Sirenes Maris, aut Othomannica Viſtrix Fallere blanda dolis potuère &c.*

XLV.

Non caput ædificat, aviſque plumis
Barbarica galeam aciéſque criſpat;

Sed ſine caſſide ruit in phalanges.
Cauda nigros cohibet equina crines,

GENIVS. Ad vivum hoc expreſſit MAXIMI-LIANUS I. *Cui lorica tigris, galea vacua ora leonum; Enſis, qualem ingens vaginâ educit Orion &c.*

XLVI.

Non tangit Aras ſimulans, nec Iovis Saxum
Infamat ullâ ſceleris Punici fraude:
Sed ſervat æquum Themidis, nec fidem frangit,
Pacémque bello, & gladiis Iura præponit.

GENIVS. Marmori credebatur inciſum, quod ſemel edixerat ALBERTUS I. *Qualia quæ Delphis Oracula pandit Apollo &c.*

XLVII.

Non icta glande clamat, ah! ſuccumbimus,
Et deſtinata mortis accuſat globum:
Sed luculentum nacta vulnus, funebres
Grates agendo, rectà it ad convivium.

GENIVS. Addo: nec terrentur quidem curulium machinarum fulminibus AUSTRIACI MEI. teſtis Ingolſtadium. ibi cùm exercerentur tonitralia metalla crebro iactu, trepidantibus amicis, ſolus ipſe, intrepidus animi CAROLVS V. Confidite, dixit: Imperatorum nemo ictu tormenti periit. *Perſtitit ut Capaneus Thebis, & fulmina riſit, &c.*

XLVIII.

Non explicati cœnat aſtra Pavonis,
Aut conſularis rumpit amphoram Bacchi:
Sed alliatum prandium ſuper ſtiva,
Mixtámque poſcam concava manu libat.

GENIVS. En luxum RVDOLPHI I. rabioſo latrante Sirio, qui provocaverat ſitim; in expeditione oblatum aquæ hauſtum reſpuit hoc dicto: NON MIHI, SED EXERCITUI SITIVI. *Sic Cato quondam Excuſſit latices, ſufficitque omnibus unda. &c.*

Non

XLIX.

Non molles cathedras furta canentis amat,
Non Helenas inter Briſeidéſque ſedet:
Sed volat excuſſis pulverulenta comis;
Miles Io! miles, torua puella canit.

GENIVS. Hinc CAROLVS V. laſcivum militem, ceu timidum, ubi comperit, caſtris expulit; quemadmodum obeſos Epaminondas. *Nimirum ut GEDEON ſacro fonte &c.*

L.

Neque ſiſtitur præda, veluti doloſo
Atalanta POMO, per Iuvenem ſagacem:
Sed ut Eurus inſtat Sarmatiaéque turbo,
Reſonátque VENI, VIDI, acneq; VICI.

GENIVS. Iterum redis CAROLE V. Prodeſt tibi celeritas tua. *Veniſti, Vidiſti, Deus Vicit hoſtem*: Tu modeſtiâ Iulium Cæſarem.

LI.

Non animi bonis præponit caduca,
Aut hilaris breves ſtultè inſanit horas:
Sed potiora: magna, æterna, vera
Gaudia ſperat, & Virtuti laborat.

GENIVS. Tuam hic ego, vel in tumulo veneror Virtutem, Sereniſſime LEOPOLDE Archidux, Comes Tyrolis, tu VERè PIUS, tu Æternitatis amator eras. quid aliud Scitum regale tuum & ſolemne indicabat ſtellis inſcribendum? PIETAS AD OMNIA VTILIS. O verba! ó ſenſum! ô mentem! Spectâ nunc ab aſtris FERDINANDVM III. quem olim tanto ſtudio complexus Oeniponti, ad altiſſimas res capeſſendas moviſti, præſagio tuo firmatum, Ratisbonæ totius Orbis habenas moliri. Specta & fave Votis Omnium expetito. *Vtque per Aegyptum, Nilum exſpectante Canopo, Donec in arua fluat: quamprimum exæſtuat alto Gurgite, & irriguis promittit ſemina campis; Fit plauſus, cava ſiſtra ſonant &c.*

Non

LII

Non temerat ſacros Vates, nec artem
Spernit Apollinis plectro ſonantis:
Sed quia vividâ ſignanda cedro
Patrat; amat novem Deas & ornat.

GENIVS. Ingenuas artes quis opulentiùs fovit RVDOLPHO II? Quis clementiùs FERDINANDO II? Quis copioſius LEOPOLDO Pio? Quis doctiùs tuetur FERDINANDO III? Heliconis uterque vertex AVSTRIACIS debetur: & Muſæ ſibi honori ducunt, ſi vel in Aulis illorum famulentur. *Dignius obſequium non Triton offerat ipſi Neptuno, Nymphæque ſuæ &c.*

LIII.

Nec opacam platanorum ſubit umbram,
Cereris dum coquit agros Canis aſtrum:
Sed in æſtu ſpatiatur; vel ad Oras
Aquilonis, ſuper Vrſam rotat haſtas.

GENIVS. Alberto I quondam Orbis ſimile præconium accinuit. ferebat ille vultum nullis tempeſtatibus mutandum. *Vt qui ſub pedibus calcat, calcataque ridet Prælia ventorum, buccaſque eludit hiantes Altior &c.*

LIV.

Non lumina blanda, qualium Venus eſt auctor,
Et puſio Nequior pharetriger, accendit:
Sed tecta larêſque perfidos inimicorum
In pulvere verſat, ignibus ſuperinjectis.

GENIVS. Friderici III. illa vox eſt, TVTIVS eſſe ardere ſulphure, quàm libidine. *Vrit enim: neque ſic Neſſi exitiale venenum Corporis Herculei fibras populatur & artus &c.*

LV.

Non ut Perſa ſuos exornat acinaces
Formoſis phaleris, & fulgure balthei:
Sed fruſtrum chalybis contorquet in agmina
Turca, quale dedit mons, & faber & focus.

GENIVS.

Digitized by Google

GENIVS. Scilicet egregiè ſe compſit CAROLVS V. Romam profectus. Audite. Mediolani à Summis etiam Viris neſcio quam pompam Tyriaſque chlamydes animo præcipientibus, Imperator noſter quærebatur inventus. *Sic Campi ſolo formoſus pulvere miles &c.*

LVI.

Non digito infringit citharas, quibus uſus adulter
Priamides, nullâque pilas exercet in aurâ:
Sed PILIS ludit quibus & Pharſalia LVSIT,
Ferreâque exonerat tonitrali claſſica nube.

GENIVS. Verbo: qualia hodiéque ſub FERDINANDIS inſonant. *Qualia nec primi conſpexit Cæſaris ætas &c.*

LVII.

Non petit veniam, nec oſcula donat hoſti
Capta, nec timet arma ſtricta, rogátque vitam;
Sed iacens etiam Tyranno animoſa dicit:
I FERI repeto. FERI impavidam ſecuris.

GENIVS. FRIDERICVM aliquem nec calumnia, nec terror dejecit umquam. Cujuſcumque ferro vel convicio quærebatur, immotus ad ſuos, Anneſcitis, inquiebat, Principes quaſi ſcopum expoſitos eſſe ad has ſagittas? *Vtque leo viles paſtorum deſpicit haſtas Securus per tela ſui &c.*

LVIII.

Non ſerit ſcelerum profanâ germen in Cypro;
Nec fauum, nec apes Amorum, nec roſas quærit:
Sed novam ſegetem Virorum ex dente Cadmæo,
Hoſtium rapido per agros irrigat tabo.

GENIVS. O! quantis negotiis deteſtatus eſt otium CAROLVS V. ſemper aut Sceptrum, aut Ferrum, aut Librum tenebat hic Imperator. *Quo vel Cyrrha ſitu Phœbum, vel culmina Martem Oſtendunt Rhodopæa ſuum &c.*

LIX.

Non ebur ſectum petit Afri, niueóſque dentes
Indici Barri, neque menſas citreas rotundas:

Sed

Digitized by Google

Sed gravem DISCVM *jacit, & Maſſageta coruſca* GESA *: procudit gladios &* IACVLVM *Gelono.*

GENIVS. MAXIMILIANVS I. cum omnia nova odiſſet, ſpirantia vel mollem luxum vel faſtum; arma tamen, arma bellica nova & ipſe excogitavit, & magnis ſumptibus confici juſſit. *Sic rerum inventor clypeique Aiacis Vlyſſes &c.*

LX.

Non ſolet, ut qu dã, tantummodò ſubmovere muſcas,
Aut cum Thyrſigeris ululantibus ire per tabernas:
Sed Patru Patriaéque ſua decus, & FOCOS *&* ARAS
Defendit, magnámque animam Sitientibus PROPINAT.

GENIVS. Quis fortiùs Carolo V. defendit? quis ſubditos ſanctiùs amavit: ab illo hæc vox accepta eſt: MALLE SE UNUM CIVEM SERVARE, QUAM MILLE TURCAS PERDERE. *Qualiter Hungaria Taurus bellator in arma Mugit, & à tergo poſitos (ea cura) iuvencos Defendit, tantumque ferox ſua vulnera neſcit &c.*

XLI.

Non tantùm canibus, vel maculis gaudet Oreadum,
Quas tendat capreis, aut pavidis ſtare cuniculis;
Sed vaſtam èt Nemeen evacuat, vel Calydonium
Inſectatur aprum, docta truces ſternere belluas.

GENIVS. Provoco, ut antè monui, ad geſta MAXIMILIANI I. quæ quidem de ſe ipſo CÆSAR VTRAQVE MANV compoſuit ſcripſitque, & poſteritati tranſmiſit. Legentium immania auſa, ſurgunt horrore capilli. *Ac veluti magnus Satyri Chironis Alumnus, Nunc triſtes catulos informeſque impulit urſos &c.*

LXII.

Non Cygnæa ſtagna pervagatur aureis phaſelis;
Vt iocetur otioſa, mollis in freto Canopi:

Sed tridente, ſed triremibus Thetin quatit profundam;
Verberat marina monſtra, ut ejulent, & IMPRECENTVR.

GENIVS. Provoco ad alteram nobiliorem Argon FERDINANDI HISPANI; ad claſſes PHILIPPI II. Priori CHRISTOPHORUS COLUMBUS, audax Iapeti Genus debetur; iſte quos non Oceanos tabulis conſtravit? quem ſcopulum, quam inſulam, quod ſalum reliquit intactum? *Nam neque ſe Tiphys, neque Vellere dives Iaſon Aequarit &c.*

XLIII.

Non Phrygum pudenda quærit Orgia nota Pentheo,
Quæque mater Dindymene vel Mimallon extheat;
Sed ſevera cùm furorem furere vult, pulcrè furit;
Sternit arces delet urbes quæ minantur Regibus.

GENIVS. Equidem vaſtationem urbium in ſumma laude non pono: ſi tamen neceſſum ſit, ſuper rebelles aratrum aut Vulcanum ducere, accuſari non debet vindicta. cuius exempla memoranda, virtute ac felicitate Meorum relicta, non multis ab hinc annis, quis neſcit? Nónne Auſtriacorum eſt, PARCERE SVBIECTIS ET DEBELLARE SVPERBOS? ut altiùs dictum. *Ite igitur certate Iovi Titania pubes: Sed rapidum fulmen Phlegræaque fata timete &c. Ac velut Antæus, &c.*

FINIERAT ultimus gaudente GENIO, numquam ſibi aquam hæſiſſe, infundendam tot quaſi pateris Delphicis, quot Oracula audiviſſet prolata. Stupebant et DIVÆ, tam exactè, tam rigidè inquiri in vitas: GLORIAM tantis laboribus omníque diſcriminum apparatu vallari. & verò trepidantibus gaudiis ſentiebant impleri præcordia; quoties GENIVS reponebat ex tempore. Auſtria nitidè defenſa tantíſque onerata laudibus, non potuit non verecundo rubore ſuffundi. id quod poſteà abeuntibus Divis, in via materiam gratioſè jocandi præbuit. HONOR arrectis auribus avidiſſimè viſus acci-

accipere verba GENII; tamque læto vultu, ut facilè notari poſſet, faventi fuiſſe impreſſa. Denique conſurrexit, & ſtellatâ cæſarie concuſsâ, eum placidè intuens: SVBSCRIBIMVS, inquit, *LAVDIBVS AVSTRIACIS* quamquam eas tu vix libaſti. nobis hanc meſſem relinque. dignè laudandi AVSTRIACI ſi ſunt; ab HONORE laudandi ſunt. Refer ad Imperatorem; illius potentiſſimam DOMVM ſtaturam, quamdiu hoc TEMPLVM ſtabit. Refer ad FERDINANDVM III. felices advolaturas Kalendas Ianuarii: agnoſcat præſagium. capeſſat habenas Orbis: intret hoc templum ELECTUS ET CORONATUS REX ROMANORUM. Refer, utrique commune fore. jus fas habeat in noſtro Soliò præſidere juri dicundo. aberrare non poteſt, ſi paternis veſtigiis inſtiterit. Refer ad Septemviros Maturent Electionem FERDINANDI NOSTRI: in eam ſi pedibus iverint, et nos ituros: omnes rite facturos. Quibus et ego grates habeo ſollicitis de conſervando Imperio Romano, & puræ lucis honeſtos invergo radios. Refer hæc & propera. Velut ab imo flagellatis TEMPLVM quateretur columnis; repentè intremuit, & ſacer quidam horror pervaſit artus. tum inſolito fulgore coruſcare omnia: tum volui odoratæ nubes: tum ſpargi flores inſcripti Nomina REGIS ROMANI: tum lituis barbitiſque incendi aër; feſtóque fremitu acclamari; VIVAT FERDINANDVS III. Vivat! Geſta ſunt hæc Kalend. Novemb. GENIUS HONOREM magnificè veneratus, tum Sacrario egreſſus, præeunte Româ, comitantibus Divis, ad Ianiculum conſedit, mox accingendus itineri. Vbi de integro concuſſi lætitiis animi, & præteritis delectabantur, & imminebant futuris. Quàm animoſum numen HONORIS eſt! dixit Vngaria; quàm gratâ ſeverâque majeſtate temperatum! ſapienter præmonuit Roma, non favere niſi digniſſimis: nil molle, nil fractum, nil lubricum ex ejus ore profluere. omnia in cœleſti Iuvene ſpirant Virum. Commendavit Bohemia honeſtam faciem DEI, non teneram, ſed vivido caſtóque decore vibrantem. ſuſpexit Germania ſacrum jubar, & Templi dignitatem. Auſtriæ

viſa

viſa omnis mora longior: & verita, ne juſtam cupidinem ſpectandi Regis auguralia Ratisbonæ, fraudarent protracta alloquia; properandum tempeſtivè identidem monuit. Quocirca GENIVS ipsâ potiſſimùm inſtigante, Aquilas citavit ad fræna, Romamque demiſit. Erat èt Tyberis facilis inſequi abeuntes: ſed vetitus mutare curſum, neque Italiam deſerere permiſſus, quòd ejus opera non deſideraretur. ad Auguſtam Tiberinam Rhenum ac Danubium pro ripis vigilare: eos utique in obſequia redeuntium latè reſtagnaturos. Movetur per inane quadriga. de quâ ſtans GENIVS, vultu ad Romana Mœnia converſo, hujuſmodi Carmen dejecit.

ROMA vale, noſtrique memor da thura ſecundo
Intemerata DEO, ſpicáſque incende Sabæas.
Veſtaliter in igne recens & candida mica
Exiliat; vittis ter circùm mollibus Aram
Pendentes evincta comas, Veríque Sacerdos
Augur eat. tibi ſe CÆSARQUE *&* CÆSARE *natus,*
Et quas ſuſcipiet Mundi commendat habenas.
Sentiat Is triplicis clementia ſidera Mitræ,
VRBANIque Tui Claves gaviſus adoret.
Aſpice; nunc iterùm Supplex Germania palmas
Tendit, opémque petit. dolet ad ſua caſtra redire,
Belláque jam quarto plùs quàm crudelia luſtro,
Omnia ſtrage rubent. Galeis oppleta ſepulcra
Agricolam fraudant, adimúntque cadavera campos.
Arma crepant, quoties glebas invertit; & haſtas
Sæpiùs, & caluas timidè proſcindit aratro.
Sanguine nutritur ſeges infectura Colonum,
Præ Cadmi ſpicis & ahena meſſe timenda.
Vxores hoſti pariunt: qui naſcitur hæres,
Terret, & infamat cunabula Suecicus Infans,
Vagitúque ſuam jam plectit ad ubera Matrem.
Virginis in faciem rabies petulantior ardet,

Sti-

Digitized by Google

Stipatúrque nefas quæ faſtidita, ligatur:
Quæ vultu melior; ſeruit, propriæque ſubacta
Supplicium formæ patitur, furioſa voluptas
Laſcivit pœnis, tormentaque reddit amori.
A Venere ad cædes itur. vindemia ſævit:
Barbara funereis dapibus convivia fumant,
Vltrà damnatas caligatura Mycenas.
Profuerat Diomedis equos immittere pratis
Teutoniæ, & Siculi tolerare incendia Tauri.
Da caſtis precibus, da ſternere, ROMA, tyrannos,
Quos iuuat inſontum iugulis immergere ferrum;
Et pedibus toties Alemannica ſubdere colla.
Sat Marti mortique datum; ſat triſtibus aſtris.
Sit præter gladios aliud Ius mitius. illum,
Illum devoveo diris qui tigride peior
Vibices rumpet veteres fontémque cruoris
Soluet, & exciſis luſtrabit flumina venis.
Ergo ades alma Remi Soror, exorabile Numen
Et ſemper placidos poſcentibus annue vultus.
Sic Tybris manétque oleo, lactiſque ſonoro
Gurgite diffuſus Thuſcas ad pocula Nymphas
Invitet, vincatque Tagum prælatus Hydaſpi.
Sic ſeptem montes quos totus ſuſpicit Orbis,
Altiùs aſſurgant, ipſique æquentur Olympo.

Talibus GENIVS. ſimul jaculum, quale dederat Amazon Vngaria, circumligatum apio, liberâ manu dejecit ad Anienis ripas, ubi Roma abeuntibus bene precata ſtetit. hæc ſuſceptum oſculo libavit; & viciſſim antiquum Peilum (Annibalis Saguntum oppugnantis iam vulnere clarum) veſtitum lauri foliis, ingenti jactu contorſit, cum hac voce: TOLLE SAGITTAM. SAGITTA SALUTIS DOMINI. SAGITTA SALUTIS, CONTRA HOSTES FERDINANDI. Quam ut omen aliquod feſtivum & bonum

GENIVS in aere complexus, ſtatuit Ratisbonam uſque deferre, Regi Romanorum offerendam. Et jam paulatim decreſcebat mons Evandrius, ſubducebatur oculis Tarpejum culmen, Tybris vix rivulus apparebat; Deſeritur Padus & Italia tota. Stringuntur Alpina juga. Ventum eſt pridie Nonas Novembreis ad fluvium Ratebonâ conſtratum. Vbi ex Danubio ampullantibus verbis largiter referente, quid interim geſtum ſit, intelligunt: Vniverſam urbem fervere gaudiis, arrectam exſpectatione Regis inaugurandi. vota ex ſententia fluere. allapſam eſſe certiſſimam famam, FERDINANDO III. Romæ TEMPLVM HONORIS apertum eſſe; addidit Rhenus mira, quæ vera & teſtata juret per ſeveram caniciem Oceani, & delphina Palæmonis: his primùm diebus prætervolaſſe Falcigerum Senem comite Lemnio hunc ex conflatis in auri maſſam dignioribus ſtellis, aureos annos procuſurum; ſpargendos proximis Auguralibus in vulgus Regna FERDINANDI Saturnio metallo firmanda, quadrigam Solis. ſibi ſecundùm Auroræ dulces lacrymas, in aperto, vigilanti vitam eſſe, oneratam iam aliquot ejus generis & monetæ menſibus hæc ſe hauſiſſe ſuis glaucis oculis, neque contra mentum oris quidquam effutire. ita ruentem impediant viliſſima quæque clauſtra & fæx pontium, niſi verum ex imo gutturis dolio funditus eructet. Cùm tam clamoſis vocibus, quaſi præ gaudio & cupiditate narrandi inſaniens Iſter horrendùm fluctuaret, ac utroque flumini brachio prehenſis cornibus mugiret: Agnoſcimus, inquit GENIVS; deſine tumoris & ſpumæ. abſiſte porrò fremere more Inachi, habemus fidem canis tuis deinde ad Comites Divas: Attigimus portum: quod SVMMVS MODERATOR bene vortat ſecundavêre Fata curſum vota ſuperavit eventus Exulta Germania, Auſtriæ gratulare Bohemia, plaudite equeſtres Vngariæ chori. muſcoſa exornent Nymphæ cubilia: ab echo triumphalis ululatus tellus & ripa reſultet. Nos ad FERDINANDVM Noſtrum imus, & pandimus Venerabilis Arcani delicias.

Dixit,

Digitized by Google

Dixit, & exſiliens curru comitéſque relinquens
Ingenti ſaltu ſeſe libravit in Aulam.
Quale repentinum (ſed lævâ parte) Tonantis
E manibus lapſum volat irrevocabile Fulmen.
Quod ſimul evaſit, ſimul ignea ſemita lucet,
Et pavidis oculis totum ſimul ingerit orbem.
Aut qualis mandante Dea, ſi protulit Iris
E cœlo lepidum caput; it velocior Auſtris.
(Vrget enim Iuno;) nam vix rorantia Phœbo
Nubila contigerit; jam jam ſuſpenditur arcus.

Hic nos quoque ſuſpendimus arcum ſagittaſque Phœbi; lyras, barbita calamúmque ſubſtringimus, quæ ſenſa GENIVS cum REGE ſuo communicârit, quo cultu proſecutus ſit; non convenit extra laurum Ianitricem CÆSARVM evolui.

Ad Majeſtatem Tuam, FERDINANDE Cæſar, Romanorum Rex, *ſupplex ſe Scriptio qualiſcumque convertit. Vides ô* Delicium Orbis *quàm ſublimibus curis,* Genius *Rom. Imperii ſibi laborandum putaverit, ut Virtuti Tuæ* Templum Honoris *pateret, &* FERDINANDO ſuo *ſumma Dignitas aſſereretur.*

Ingredere ô Divûm Genus, *apertum Sacrarium, & maximarum rerum, quibus implevisti immortalem animum, diuturnis fruere ſucceſſibus. Non eſt noſtrum, Veritati laudanda verecundiam injicere. rogamus tamen, ut Tanti Monarchæ, quæ à bonis Divis accepêre bona, etiam aliorum bono vulgari ſuſtineant. Imperent ad imperia nati; ut vitia ſubditorum taceantur: hoc ſaltem deprecamur mandatum quo jubeamur ingrati, Virtutes talium Regum fructu ſalutaris gloriæ defraudare. ſalutaris, inquam: nam ſalutes omnium, in ſua ſalute collectas*

& illigatas, Tua Majeſtas habet. Audiantur populi voces, unum diverſúmque ſonantes. Vidimus Auſtriacum; vidimus Novum Cæſarem; vidimus FERDINANDUM III. & manantibus gaudio lacrymis vidimus. Miſeri; qui in hæc ferrea tempora nati ſumus! felices; qui ad hujus Regis obſequia ſervati! Miſeri quos horror Martis, bellorum vaſtitas, periculorum agmina circumtonant! felices; quos Novi Regis Romani permulcet fulgor, ſolatur aſpectus, armis roborata ſapientia defendit! dilatus hic aliquantùm honor eſt, ut animorum ſpes dulcis acueretur; in tempore opportuno collatus, ut confeſtim, & qui merebatur virtutis fructum, Gloriam; & quem nos geſtiebamus carpere ſpei fructum, Gaudium ſentiremus, FERDINANDE: quis impediat torrentem popularium votorum? his unis cede: cætera omnia faciliùs ſubjugabis. Vovent & optant Omnes Boni prolixè. quamquam quid vovere ampliùs poſſunt, niſi perennitatem? audiverunt Electum, vident Coronatum. in ſe ipſam ex oculatâ fide retorta lætitiæ vis, fit tantò major, quantò Tui jam certior; præſertim cogitantium, Electionem hanc cùm poſſet èt ſanguine niti, potiſſimùm fuiſſe nixam meritis. Electus es. numquid gratias ages Septemviris, quia elegerunt? opinor. agent èt illi, quia digniſſimum invenerunt. felix dies iſte, quo ſummâ Gloriâ cumulatus, omnes Ordines delectas! Auguſtiſſimum Genitorem vivâ Imagine ſui; Sereniſſimam Conjugem Romanæ Majeſtatis conſortio; Electores conſcientiâ bene geſtæ rei, ſubditos omnes ſpe tantâ, quanta ab unoquoque optimo concipi poteſt. non ſolùm gaudent, quia Rex es; ſed quia Rex ipſorum es. ſperant Tibi Pacem in amplexum occurſuram; Te reducturum gaudia lu-

ctu conſepulta; Te fulmen in toro collocaturum, *cupiunt ab hoc die annos ſua vita numerare, & tranſigendos ætate Tuâ definire. Vident omnia tam magna, támque ſimilia pari magnitudine; ut decus unum alteri præferre, cùm quodque ſummum ſit, nec velint, aut poſſint.* Pius es: *& fortis.* Magnanimus: *& felix.* Juſtus: *& ſapiens.* Mitis: *& hoſtibus formidabilis. Romani Conſules in Campo Martio ſua tulêre ſuffragia. atqui univerſa Germania fuit Tibi Campus Martius: in quo tot ſuffragia collegiſti, quot fixiſti veſtigia. meditatas laudes non afferimus, repertas delibamus, iuvat unius ſaltèm Prælii meminiſſe: quòd encomium Tuum, ſit ſolatiũ noſtrum. tametſi novimus armatam virtutem, ipſam ſibi pretium eſſe, verúmque decus, quod conſequitur, non ad cotem humilium ingeniorum, ſed ad victores gladios exacuere. Exacuiſti Tu* FERDINANDE, *multò maximè in* Nordlingana pugna, *aut ſi hoſtis fateri mavult, ſtrage. hoſtis ferox, biceps, in ultima deſperatione quidvis auſurus. Arrecti animi in utriſque caſtris, & ad capulum denique devoluta res eſt. Tuis auſpiciis ac voluntate pugnatum. & Manus & Nomen habuêre ſuas vires. ſtatim ad eventum maximi Belli propero. nam èt properata Celeritate Te quoque video viciſſe; & præceps gaudium negat intra pectoris ripas ultrà cohiberi. Sternitur inimica acies, laceróque corpore cruenti collum truncatur exercitûs. credam hîc hoſtes Tuos cecidiſſe, ut milites ſub victore; an ut ſontes ſub Iudice! Ceu poſterius maluiſſent Divi, reas cervices adverſa pars præbuit ferientium gladiis, obtrita, diſiecta, conciſa. ſtipata promiſcuis funeribus via longe latéque certatum*

tum immolatúmque Iuſtitiæ novum hoſtiarum genus, ad uſque abſentiam hoſtis vivi, & vacuos bellatore campos non priùs enſes vagina, quàm profugos fuga texit. unâ eadémque caligine, noctis & mortis, involuta cadavera tacuêre. Sed aperuit poſt modùm exoriens dies militaris operæ pretium, & terrorem iuſtæ vindictæ. ubi Te litui, Te claſſica cecinêre ex campo reverſum, Te laureatus Eques, ſparſus tabo & ſuperbus horrore, triumphantem ſalutavit: Tibi clypei plauſêre militares, & adorantes galeæ ſubſtravêre criſtas. pennata Victoria *circumvolitavit regale tentorium, uſque ad caſtra proſecuta. Interpretabuntur alii fato fuiſſe deſtinatam: at Tibi deſtinârunt. alii caſu: at hoſtis cecidit. alii fortuna: at Tu nullam agnoſcis, quæ vota antecedit: quæ virtutem ſequitur, amas ut famulam. Viciſti igitur; & cùm neceſſarium erat vincere, & triſtiſſimum vinci Viciſti; cùm nec fugere nobis profuiſſet fugatis, nec caſtra movere migraturis: viciſti; cùm & difficilis alea iaceretur certantibus, & tamen ferrum proritarent adverſæ tubæ. Quid nunc arguit hoſtis, quò minùs ipſe ſuperarit? ſtabat non iniquo loco, impavidus, inflatus faſtu & ira. nullus Cometa diro vapore ſuſpenſus fœdavit aſpectum, aut triſte rotavit præſagium. nulla deſuper rhomphæa flammato tractu attonitos vultus exterruit. ſed enim æquitas cauſſæ defuit; ſed animi ſtolidè ferocis temeritas adfuit: ſed proprium & auctoratum cuique ſcelus, vindicem mucronem advertit; ſed ſanguineum Cometen, cadendus quiſque miles in pectore geſtavit; non belli ſignum, ſed teſſeram mortis. Cùm tu* FERDINANDE Noſter, Stella ſalutis *exorta Imp. Romano, diſcuſſa pavoris mœroríſque nebula, recreares afflictos, & ab ancipiti*

X 2 *Marte*

Marte trepidantes. ſpectavit eam pugnam, nihil ambige, ſpectavit ex alto Genius Regni; *cujus Majeſtatem modò* Cæſar, *renunciatus, & ſanctiſſimis ab omni ævo cærimoniis inauguratus induiſti; jam tum vaticinatus*, Totius Orbis Depoſitum *Tuæ tutelæ committendum. Talem eſſe oportuit? cui hæc tam formoſa & potens áque Romanis parta* GLORIA *deſponderetur. à Romanis dico? ſed èt Germanis, & quod cognatis titulis innexum eſt, ab Auguſtiſſimis Majoribus tuis accumulata. Vtinam per fata legeſque naturæ liceret; & reviviſcerent* Rudolphi, Alberti, Maximiliani, Carolique *Tui; non gaviſuros exiſtimem, tantum ſe pro conſervando Imperio laboraſſe; quum videant, cui conſervarint? Iterum de nova occaſione lætandi loquor, qui de ipſa lætitia debueram. enimverò jam nunc gaudet* Rudolphus I. *pium ſe fortémque fuiſſe; Tibi fuit:* Albertus *ſe toties triumphaſſe, Tibi triumphavit:* Maximilianus *tot in unam* Domum *ſe Regna conjeciſſe; Tibi conjecit:* Carolus *eamdem tot belli ſpoliis impleviſſe, quot Ara Capitolina coruſcavit; Tibi implevit. rectiùs loquar. Te Frater ejus* FERDINANDUS, *(agnoſcis ingens Nomen:) Te Auguſtiſſimus Genitor tuus* FERDINANDUS, *(agnoſcis non tantùm magnum, ſed èt amabile Nomen:)* FERDINANDUM SUUM, *(agnoſcimus nos ſaltèm Maximum Nomen: ſcimus enim modeſtiam Tuam) ſeſe totis impleverunt. Quod ſi aliqui cenſeant, de Te nihil ſcribi poſſe, quod de Proavis Tuis non ſit dictum: fateantur viciſſim, nihil de illis ſcriptum eſſe, quod de Te non poſſit dici quod in ipſis fulſit, in Majeſtate Tua reſplendet. nomina ritúſque laudandi, non virtutes laudandorum mutantur. Poſteris non minùs in*

exem-

exemplum proponeris. Quibus modò monſtratis à parentibus; ab iiſdem monſtrabere nepotibus. Et nos, inquient, ſpectavimus Auguralia Maximi Regis: *ſic ſe ferebat; ſic oculos, ſic manus, ſic ora. omnis multitudo in veras effuſa laudes; tunc primùm metuit ſua vita fila reſcindi; cùm deterſo ſqualore, inciperet de integro ejus uſu delectari flantibus ventis, gelidiſſimo Decembri, ſummâ hyeme, præ lætitiâ plures vix ſenſêre frigus, quòd omnium calerent affectus. nulla feſtiva incendia per urbem, oculorum voluptas excitavit: ſed ſacer amoris ignis, in animis acclamantium arſit.* Nullos *Arcus triumphales inſana ſubſtructio levavit in altum: tam* Io Triumphe *quiſque ſpectator infremuit; cuius pectus, haud ſecus ac ſcenam & Theatrum, Tuis devotum laudibus impleveras. illum Menſem in Faſtos retulêre. illum Diem vocabant* Almum: *illam lucem verè ſereniſſimam, neque de vultu vulgarium dumtaxat aſtrorum; ſed de facie mitioris Iovis; ſed ex intimis Solis præcordiis credidêre deciſam. Dicent alii: Hæc reſponſa quondam* FERDINANDUS III. *dedit Oratoribus. eâ de causâ venerant. hoc* Placito *dimiſit. ſtupuêre. Legati, cùm receſſerant. Inter alia ėt iſtud Oraculum ab augusto ejus ore defluxit. Idem, his modis Romanum Imperium cenſebat attollendum. Hunc locum ſtrage rebellium nobilitavit; iſtum, quàm latè patet, campus ſanguine hoſtili lavit. Populus quam proceram ibi aſſurgere vides, ex illo ſucco nutrita. hos Victoria ramos protruſit. erunt, qui mitem laudabunt in gremio Pacis. largus in omnes, nemini præterquam ſcelerato metuendus, quàm benignum ſe exhibuit ſupplicibus! unà eadémque manu* Phœbi Plectrum, & Jovis Sceptrum *geſſit.*

Quantavis fortunæ ac ſcientiæ capax, ut pulcerrimam quamque divinæ ingenio hauſerat; ita eruditum Chorum favoribus & exemplis animabat. Dignius hoc, o Cæſar, *ibit in ſæcula, & memorabitur venturis, quàm ſi Oceani fines iunxiſſes pontibus, urbéſque impoſito nomine condidiſſes. Ac tametſi Maiores Tuos, vocantibus fatis & meritis, jam aſtra ſuſceperunt: Te tamen non minùs, ut vota Omnium Bonorum coronârunt nondum Electum; ita ſupra ſidera ferunt adhuc mortalem. Immortalem nondum mallent, ſi ſubtrahendus eſſes Mortalibus: qui Tuum ſpiritum hauriunt. Tuâ vitâ vivunt, Tuo fruuntur honore. Omnium una vox ac ſenſus eſt: ut, quemadmodùm ſummâ virtute* Templum Honoris *à Romanis conditum,* Rex Romanorum *aperuiſti; ita* Iani Templum, *felici manu claudas compoſitis bellis; quod Sperant: & æternùm vivas in Regno, cujus non erit finis; quod Vovent.*

JACOBI

JACOBI BALDE S. J.

PARAPHRASIS LYRICA, IN PHILOMELAM D. BONAVENTURÆ DOCT. ECCLESIÆ.

STEPHANO FIRMIONI.

Iam nunc præſenſionibus te credam agi, FIRMIO *Chariſſime. Vix enim domum ſeceſſeram, à Philomela tua cantu, cujus laudes in Lyricis meis querebaris omiſſas: cùm literæ Româ miſſæ invitârunt, ut Philomelam D. Bonaventuræ, ad noſtræ quoque Teſtudinis ſonum deducerem. Quanquam inutilis penè jam & enervis Citharæ compages erat, gratificatus ſum amicis. viſáque eſt laudatiſſima ſilvarum Pſaltria, etſi Seraphicis alis probe inſtructa, non refugiſſe tamen, etiam humilioris uſu pennæ qualemcunque urgere volatum Oden ſuam S. D. Philomenam, hoc eſt, Dilectam inſcripſit. Niſi cognatione nominum ex compoſito luſit: crediderit latentem in affini vocabulo Philomelam facilè deprehendi poſſe. Ipſo certè decurſu hoc unum agit, ut Philomelæ cantum exprimat; & Philomenam, ſive Dilectam ſuam (Animam) canoræ Volucris imitationi intentam, mutuo amore Dei amantis inflammet. Nos univerſum Carmen, in certa membra tribuimus: horum argumento, Boethianis, ut plurimum, metris expreſſo quod Horatianis, paullò antè, plus ſatis indulſeramus*

 mus

mus Paraphraſis noſtra modò paripaſſu cum S. Doctore incedit; modò largiùs exundat, ſententiam duntaxat ſecuta , impetu ulteriùs rapta, præſertim in Choris: quos affectibus Animæ, in divina myſteria ſuſpenſæ permittere placuit. Alicubi, Creationis, Incarnationis, Paſſionis veneranda nomina præfixi metris Tituli ſeruârunt, quia ſupervacaneum videbatur, in præcipuis Religionis noſtræ Capitibus per moroſas ineptáſque Periphraſes latinius nugari. Ad ultimum, Lyra depoſita ſuccedit Elegia: dum Philomelæ vocem æmulari ſtudet, Anima Beata ab epiſtolis facta. Habes, STEPHANE, una eadémque fidelia, nunc & tua Philomelæ depictum encomium: &, ſi majus audire vis; non quidem delicias in Columba Stellæ; non argutias in Paſſere Catulli; non facundiam in Pſittaco Melioris; habes tamen in deſcriptione minimæ aviculæ, maximi Doct. Eccleſiæ pium Luſum; vitæ inſuper Chriſtianæ compendium; & exulis ad cæleſtem patriam aſpirantis, dulce ſolatium. Vale.

BEATISSIMÆ VIRGINI

MARIÆ DEIPARÆ.

Columbæ formoſæ in foraminibus petræ , habenti genas & vocem Turturis dulcem ſupra vocem Citharœdorum & Muſicorum; hoc Opuſculum de PHILOMELA ex mente Auctoris Sacrum eſto.

O De-

O Delicatâ criſpe Puer comâ,
Qui melle plenas inter apes ſedes:
Arguta dum ſylvis & agris
Dulce ferit Philomela carmen;
Filo legendis floribus interim
Ceſſare nolis. Lilia cum roſis,
Alterna poſt myrtum liguſtra,
Vt ſeries ſit amœna, miſce.
Flos quintus album, flos decimus nigrum
Diſtinguat apto nexilis ordine.
☞ In fine pallenteis recumbat
In violas Mariana nardus.
Formoſa cinges tempora Virginis:
Quæ, donec imples Serta, ſinit comas
Decenter exemptas jocantis,
Arbitrio fluitare venti.
Quid jam moraris? vivere te negem
In vota lentum. Virgo tuam fidem
Expectat. ô tandem, petitam
Necte meæ Dominæ Coronam.

IN PHILOMELAM
D. BONAVENTURÆ
PARAPHRASIS LYRICA.

I.

PHILOMELA *prævia temporis amœni;*
Quæ receſſum nuncias imbris atque cœni;
Dum mulceſcis animos tuo cantu leni.
Ave prudentiſsima: ad me, quæſo, veni.
Veni, veni: mittam te, quo non poſſum ire,
Vt Amicum valeas cantu delinire;
Tollens eius triſtia voce dulcis Lyra.
Quem, heu, modo neſcio verbis convenire.

(*⁎*)

I.

PROLUSIO.

Anima Philomelam ad canendum invitat.

O Quæ per nemorum ſaltus, & amœna vireta,
Gratior una volas,
Huc, age, frondoſi ludens in colle Theatri,
Huc, PHILOMELA, veni.
Huc ades. An reſonat nemus? & jam plumee coram
Phoſphore Veris ades!
Te veniente, nives fugiunt, & bruma recedit:
Tetrior Annus abit.
Nunc, quoniam fugere nives, & bruma receſſit,
Huc, PHILOMELA, veni.
Quem modò non poſſum triſtis Captivus Amicum
Exul adire Patrem:
Ipſa ſalutabis; noſtrique vicaria voti,
Supplice voce canes.
Ingemit. Ah! propera: mœſtumque dolorem
Admodulata leva.

2.

Ergo pia ſuppleas meum imperfectum:
Salutando dulciter unicum DILECTVM.
Eique denuncies: qualiter affectum
Sit cor meum jugiter eius ad aſpectum.

II.

Dilecta ad Dilectum legatio.

ANIMA AD PHILOMELAM.

I Siren, volucrum decus,
Silvarum Cithariſtria:
Nunc & noſtra. Tuâ tamen
Iſtud pace peto. MEVM
DILECTVM (rubet, & ſimul
Candet) ſicubi videris:
Conſuetam liquidis, precor,
Artem vocibus admove;

Iabet

Inter pennigeras Avis
Facundiſſima filias.
Hæc dices IVVENI DEO;
Te ſaluere jubet Tua.
Cùm dices, *Tua, Te*; gemes.
Cùm, *ſaluere iubet* : canes.
Quærenti : quid agam ; modis
Inflexæ querimoniæ
Narra ; me Solymitidum
Vri Lampade virginum.
Flammis feruere pectora ;
Qualeis nec Siculæ cinis
Ætnæ ſulphureus vomit:
Narra : ſucciduam genu
Sub malo requieſcere,
Cor deſideriis fluens,
In Sponſi faciem ſui,
Abſentis licet, igneas
Vibrare cupidines,
Ah! ſi ſurdus, & immemor
Noſtri, te minùs audiat ;
Navim quàm ſcopulus maris.
Ah ; ſi ſurgere languidus,
Vix reddat tetricum VALE.
Tentabis tamen omnia,
Nondum ? me miſeram !) volas ?

3.

Quòd ſi quærat aliquis : quare te elegi
Meum eſſe nuncium ? ſciat, quia legi
De te quædam propria, quæ Divinæ Legi,
Et optato munere, ſummo placent Regi.
Igitur Chariſſima. audi nunc attentè :
Nam ſi cantus Volucris huius ſerues mente ;
Eius imitatio, Spiritu docente,
Te cœleſtem muſicum faciet repentè.

III.

Animæ & Philomelæ Indoles conſpirans.

AUCTOR AD PHILOMELAM.

CVrte, fortaſſe rogabis,
Solam, Philomela, citârim.
Inquirere parce: ferendis
Vltro citróque per Orbem
Noſtris es amoribus apta,
Ex mille volucribus una.
Tua vox, ô Muſa, placebat.
Placet ars & gratia. Cauſſæ
Meriti geminantur honoris.
Non eſt Avis altera, noſtræ
Quæ ſit magis æmula Mentis.
Docilis tu diſcere metrum
Summi ſuper æthera Regis,
Aquilæ ſtudioſa Tonantis.

AUCTOR AD ANIMAM.

Age Mens humana: beatæ
Cantus imitare Volucris.
Quæ nunc es muta, nec Oden
Dignam potes edere cælo;
Fies divina Thalia.

4.

De hac Ave legitur: quòd cùm deprehendit
Mortem ſibi propriam; arborem aſcendit:
Summoque Diluculo *roſtrum ſurſum tendit;*
Diverſiſque cantibus totam ſe impendit.
Cantilenis dulcibus prævenit Auroram.
Sed cùm dies rutilat circa primam *horam:*
Elevat prædulciùs vocem inſonoram:
In cantando neſciens pauſam, ſive moram.
Circa verò Tertiam *quaſi modum neſcit.*
Quia ſemper gaudium cordis ejus creſcit
Ferè guttur rumpitur: ſic vox invaleſcit.
Et quò cantat altiùs, plùs & inardeſcit.

Digitized by Google

Sed cum in Meridie, Sol eſt in fervore:
Tunc dirumpit viſcera nimio clamore.
Oci, oci *clamitat illa ſuo more.*
Sicque ſenſu deficit cantus præ labore
Sic quaſſato organo huius Philomenæ.
Roſtro tamen palpitans fit exanguis pæne:
Sed ad Nonam *veniens moritur iam plene.*
Cum totius corporis dirumpuntur venæ.

IV.

Agon Muſicus Philomelæ.

AVCTOR.

LVſciniæ moreis deſcribimus. Hæc, ſimul propinquam
Vaticinata necem, Citharæ videt imminere finem:
Exſatianda prius cantu, parat occupare Fatum,
Nondum pura dies, cum jam vigil, adſitas fluentis
Emicat in ſalices, aut mobile populi cacumen.
Hic ſedet, & varias cata gutture temperat Camœnas:
Lætior auditis Aurora fit, Atthidemque laudat
Detergens lacrymas, quas roſcida ſparſerat per agros.
Laude ſua capitur vocalis, & intumeſcit, Ales,
Iam creſcente die. Nunquam tamen in loquacioreis
Prona fluit numeros Polyhymnia, tot magiſtra vocum:
Quàm, cum ſol medium flagrantior igne ſcandit axem
Illâ, neſcio quos, crebro vocat impotenter hora.
Ocyus exclamans, huc *ocyus, ocyus* venite.
Ocyus, advolita ſoror *ocyus, ocyus*, ſorori.
Adriacum rapidis toties mare non tumet procellis
Nec folia arboribus, ſimul ingruit Africus, moventur:
Multa ſuum quoties canit ocyus, ocyusque plorat.
At, ne diſpliceat crambe repetita, tædióque
Langueſcant aures, faſtidia corriguntur arte,
Triſtia nam miſcet lætis, Elegósque Sapphicorum
Dulcibus alloquijs diſcriminat. Inſuper canoram
Et movet alternis (ea gratia) ſubmovetque ſcenam
Iam retinet vocem: jam projicit, affluensque rurſum
Abſorbet, carpitque melos. Moritura, nunc olores,
Nunc imitatur aquas, prope littora lenè murmuranteis
Mox graviore ſono pluviam ſecat, & tumultuatur

Tractibus, aſſurgitque ad ſumma, relabiturque ſenſim:
Vnica, ceu plures, ſibi dulce negotium faceſſit.
Hoc opus, hic ludus. Nec ludere deſinit, priùs quàm
Rumpatur pectus. Quod ſæpiùs, occidente Phœbo,
Heſperus advertit, mortem miſeratus innocentis.
Sæpe etiam viridi ſi forte ſub arbuto Choraules
Æmulus accinuit; certamine victa, laureatæ
Incidit in chordas Teſtudinis, & ſuam ſonanti
Infundens animam, meruit quoque funerata Leſſum.

HEIC

ATTHIS

GENITRIX ET FILIA

CARMINUM.

QVIESCIT.

5.

Ecce DILECTISSIMA: *breviter audiſti*
Factum huius Volucris: ſed ſi meminiſti:
Diximus iam primitus, quia cantus iſti,
Myſticè conveniunt legi IESV CHRISTI.]

V.

Anima ad imitationem Philomelæ volucris incitatur.

AUCTOR.

AVdis egregium, DVLCISSIMA,
Facinus volantis SILVIÆ?
Quale nec ipſe ſuo Titanius
Ales ſepulcro proferat.
Te ſignat, facienda monens. Tibi
Præludit hoc in funere.
Myſtica, ſi neſcis, celebrat Sacra,
Tuóque DILECTO vacat.
O ſequere: atque auſo pro te mori
Aude vocata commori.

6.

Reſtat, ut intelligo, eſſe Philomenam,
Animam virtutibus & amore plenam.

Google

Quæ, dum mente peragrat Patriam amanam;
Satis delectabilem texit Cantilenam.
Ad augmentum etenim ſuæ ſanctæ ſpei,
Quædam dies myſtica demonſtratur ei,
Porro beneficia, quæ de manu Dei
Homo conſecutus eſt: ſunt Horæ Diei.

V I.

Anima Philomelam imitantis iucunda vita.

AUCTOR.

ORtu felix, patriaque domo,
Soror aſtrorum: non te pudeat;
Parvæ Volucris nomina ferre,
Quandò relictis vallibus imis,
Viliſque pigræ ceſpite glebæ;
Ad ſumma volas, penetráſque Polos,
Et cœleſtis Solymæ colleis:
Iure vocari Philomela potes.
Tunc multiſono callida lepidum
Ruis ore melos. tunc tu nulla
Sævi defles Iſmara Regis.
Nullum plorans modularis Itym,
Oblita trucis Virgo tyranni.
Inceſta Caro cum blanditijs
Superata jacet, fruſtra dirum
Vlulat ſtygij carminis omen,
Inimica tuo noctua nido.
I E S V M, recinis, quereris I E S V M:
Madet ipſa tamen melle querela.
Te D I L E C T O Spes certa ligat,
Cujus amores & facta libens
Memoras, ramo quocunque ſedes;
Arbore Sanctæ gaviſa C R V C I S.

7.

Mane, vel Diluculum, *Hominis eſt ſtatum*
In quo mirabiliter Homo eſt creatus.
Hora Prima, *quando eſt Deus incarnatus.*
Tertiam, *dic ſpatium ſui incolatus.*

Sextam *cum à perfidis voluit ligari,*
Trahi, cædi, conſpui, dire cruciari;
Crucifigi denique clavis terebrari:
Caputque ſanctiſſimum ſpinis coronari.
Nonam *dic, cum moritur: quando conſummatus*
Curſus eſt certaminis: quando ſuperatus
Eſt omnino zabulus, & hinc conturbatus,
Veſpera *cum Chriſtus eſt ſepultura datus.*

VII.

Anima Dilecto ſuo Chriſto IESV Invigilantis Tempus diurnum.

ANIMA.

QVid ſtellas numerare juvat, quid regna, quid orbeis
Ignoto ſub ſole jacenteis?
Queis Homo concepit deciſam è Numine lucem,
Vtilius numeraverit Horas
Prima refert tempus, Iudæo more notanti,
Primævo felicius auro:
Quo Patris æterni natus bis cœlibe partu
Humanos DEVS induit artus.
Tertia nobiſcum viventis digerit annos,
Ac magno conſtantia Luſtra,
Paſtor erat, qui multa tulit qui plurima fecit.
Propter oves ſudavit, & alſit.
Sexta necem CHRISTI memorat, tragicoſque dolores,
Et plus quam ferale theatrum.
Flagra, catena, faces, rubus, alea, lancea, clavi,
Crux, oculos terroribus implent.
Nona gemens, potuiſſe mori docet Immortalem,
In medio, *pro Fure,* latronum,
Tunc tamen intremuit tellus; tunc impulit Orcum
Turbatis Victoria clauſtris.
Veſper adeſt. dira de quercu tollite Funus,
Exeſa ſub rupe locandum.
Heu mihi! quàm pauci redimunt venale cadaver!
Vix duo ſunt. Ego jungar amicis,
Ibo comes, duplici fletu ſparſura ſepulcrum.
Imbre meo, lacrymiſque Sabæis.

7.

Diem iſtum ANIMA meditans in hortis,
Sua facit terminum ſpiritalis mortis:
Scandens Crucis arborem, in qua Leo fortis
Vicit adverſarium, fractis leti portis.
Statim cordis organa ſurſum elevando,
Suum à diluculo cantum inchoando.
Laudat & glorificat Deum, replicando,
Sibi quam mirificus fuit hanc creando.
Pie, inquit, Conditor quando me creaſti,
Quam ſit tua pietas larga, declaraſti,
Nam conſortem gloriæ tuæ cogitaſti
Facere gratuite, gratis quam amaſti.
O quam mira dignitas mihi eſt conceſſa!
Cum imago Domini mihi eſt impreſſa.
Sed creviſſet amplius dignitas poſſeſſa.
Niſi iuſſum Domini fuiſſet transgreſſa.
Nam tu ſumma Charitas tibi cohærere
Me volebas iugiter, ſurſumque habere
Dulce domicilium, tecumque manere.
Et me velut Filiam alere, docere,
Ex tunc diſpoſueras, in id adunare
Cælicis agminibus, teque mihi dare.
Sed pro tanta gratia quid recompenſare
Poſſum, prorſus neſcio, niſi te amare.

VIII.

Animæ meditantis Diluculum: BENEFICIVM CREATIONIS.

AUCTOR.

ANima inviſæ pertæſa moræ,
Tendit in hortum; properatque mori
Moriente Deo. Prius in cantum,
PHILOMELA, tuo more liqueſcit.
Igitur curſu medio Lunæ,
Cùm nox tacitâ volvitur umbrâ.
Conſanguineæ cornua Palmæ
Scandit, Amori bene nota ſuo,
Namque ibi pandens brachia trunco,

Fal-

Falſum vere ſtraverat anguem.
Auditus ibi rugire leo
Super avulſæ viſcera prædæ.
Rubicunda ſimul fulſerit Eos:
Exorſa canit.

ANIMA.

Quis me tenuem
Gutture docuit variare ſonum?
Liquidæque dedit flumina vocis?
Quis, pro cithara, teretis colli
Tornavit ebur? nihil antè fui.
Aliquid nunc ſum. Minor ætheriæ
Spiritus aulæ: Major reliquâ
Parte ferarum.
Dicite Volucres ſociæque meæ:
Quis in hoc viridi poſuit luco
Agiléſque choros ducere juſſit?
Tu dulce BONUM. Tu noſter AMOR
Ex te radij, velut Oceano,
Fluxere mei. Tibi debetur
Hoc Naturæ geniale jubar,
Scriptáque primæ lucis imago:
Ah! ſi nunquam turpata luto,
Nunquam tenebris merſa fuiſſet.
Me conſortem thalami, ſervam,
Menſæque tuæ, cujus in uſum
Cibus ipſe venis; nimis impenſè
Dominus famulâ voce vocaſti.
Et adhuc dubito? cedite Curæ;
Segníſque pavor, nimiúſque pudor.
Ipſæ potiùs properate moræ.
Venio, venio, DEUS, oblati
Ad jura tori. patet immenſo
Quamvis modicum pectus amori.
Depaſcenteis vertar in ignes.
Eat in cineres jecur accenſum.
Oculi, flammæ; ſcintilla, comæ;
Turea fiant tæda lacerti.
Flagret ut rutilans, NUPTA, cupreſſus.

Quis-

Quini digiti, ſint quinque faces:
Quibus ad Sponſum deducar amans.
Vtinam toto pectore jungar
Nihil amplexus dividat iſtos.
Nil ſe medium ponat utrique.
Præter anhelam bene ſpirantis
Animam nardi fragret amomo,
Violæque comâ, tener appreſſi
Halitus oris.

9.

Vnica ſuavitas, unica dulcedo:
Cordium amantium ſalutaris prado.
Totum quidquid habeo, vel ſum, tibi dedo.
Denique Depoſitum meum tibi credo.
O ci, cantat tale Cor, gaudens in preſſura,
Dicens: quia dignum eſt, ut à Creatura
Diligatur Opifex talis mente purâ.
Et eum extiterit de ſe tanta cura.

IV.

In Animâ meditatum Creationis beneficium, ſuaviſſimos amoris motus excitare.

ANIMA.

NEſcio quid ſentire juvat!
Vnde eſt dulce palatum?
Mella cado quæ promit apis,
Nulli cognita Floræ?
Sponſus, iô, ſonuiſſe mihi
Lævâ viſus ab æthrâ.
Ille favos roſeiſque liquens
Sparſit nubibus aurum.
Gratus, jô, cor prædo rapit,
Delectàtque rapinâ.
Ablatum feſtivus Amor
Læto verſat in igni.
Siſte gradum, quo, Care, fugis
Spes & cura puellæ?
Siſte precor, quæ Sponſa prius,
Iam vult ſerva vocari.

En: tradit ſua, ſéque tibi.
  Fallor: debita reddit:
Depoſitum Dotemque meam
  Credam tutius ulli?
Lætitiæ, prô, quanta ſeges
  Noſtri Cordis in arvo
Creſcit! Numen arat, Numen
  Semen pingue miniſtrat.
Gaudia non minuent pœnæ:
  Sed cum fœnore creſcent.
Magne opifex, ſum cujus Opus
  Rubrâ fictile terrâ:
Te Figulum, quem Vaſa tremunt,
  Supplex oſculor Vrna.
Parva quidem, tua parva tamen,
  O ſi meſſis odoræ
Plena, paleſtinique recens
  Impleretur olivi!
Vt ſemper ſuccenſa flagret
  Clari lampas amoris,
Illum non ego ſemper amem,
  Qui me primus amavit!

10.

Sic Mens hoc Diluculum tranſit meditando
Sed ad Primam *transferens vocem exaltando,*
Tempus acceptabile piè ruminando:
In quo venit Dominus carne ſe velando
  Tunc liqueſcit ANIMA *tota per amorem,*
Pavida conſiderans omnium Auctorem,
Vagientem Puerum, iuxta noſtrum morem:
Et curare veterem velle ſe languorem.

X.

Philomela expendit beneficium Incarnationis, Priore maius & admirabilius.

AUCTOR.

ESſe, non prodeſt bene ni det eſſe,
Qui dedit naſci. Potiore ſemper
Munus acceptum melius fit uſu,

Qui

Qui valet, vivit. Mala vita nulla eſt,
Improbos poſtquam digitos Adamus
Miſit in Pomum; vetitoque denteis
Noxius morſu ſtupefecit error:
Nempe præſtabat, jacuiſſe rubra
Semper in gleba genus & parentem,
Ni Deus primæ monumenta culpæ
Mallet humano ſolüiſſe vultu.
Filius magni, ſine matre, Patris,
Filius caſtæ, ſine patre, Matris.
Vt gradum lapſæ ſtabiliret Evæ;
Prodijt clauſa Puer è tenellæ
Virginis alvo.
Quæ, ſimul Phœbus face largiore
Imbuit campos, pepulitque noctem;
In ſui nido meditatur horti;
Et canit totis PHILOMELA venis.
Hæc pavens ſecum.

ANIMA.

Quid enim coegit
Orbis auctorem fieri, quod auctor
Fecit! infantem video Tonantem!
Ergo dignatur meus eſſe frater,
Stirpis Inventor! variatur ordo,
Léxque Naturæ ſine more verſa.
Huc ades fauſto pede curioſum
Vulgus, & rebus ſatiare miris
Tempus, Æternum; ſpacioque circum-
ſcripſit immenſum locus. Ecce majus
Circulo punctum, pharetraque telum.
Glareæ grano minor eſt Olympus.
Cuncta qui fuſis ſepelivit undis,
Siccus inclamat Genitricis uber,
Clauſit anguſti mare ripa ventris:
Nec tamen toto tumuit profundo.
Quà patet Cœlum, manus una ſtringit:
Vagit, horrendo ſolitus fragore
Imbrium fœtas lacerare nubeis:
Debilis Virtus tremit ante taurum.
Liberos olim validosque ad ictum

Faſciæ molles cohibent lacertos.
Sulphur,in quinas jaculatus urbeis
Ignis,in fœno ſtipuláque friget.
Mutus eſt,linguæ faber eloquentis:
Floridi,nudus,reparator Anni.
Gaudium mœret:gemit ipſe Riſus.

II.

Plorans ergo clamitat:o fons Pietatis!
Quis te pannis induit diræ paupertatis?
Tibi quis conſuluit,ſic te dare gratis?
Niſi zelus vehemens,ardor Charitatis.
Dignè zelus vehemens eſt hic ardor dictus:
Cuius eſt dominio Rex cælorum victus.
Cuius ſanctis vinculis captus,& conſtrictus,
Pauperis Infantuli pannis eſt amictus.

XI.

Vis Amoris.

Deum ex ſolio in ſtabulum dejicientis.

ANIMA.

QVi te.MAXUME PARVULE.
Indutum lacerâ ſyndone viderit,
Singultabit,& ingemet.
Certè tu Pietas. Ah!nimis impare
Clauſit crudus AMOR caſâ,
Aſſuetum patriæ ſedis jaſpidem,
Et currus premere aureos.
Sit cæſtu,gladióque, & jaculis Amor
Et luctamine fortior.
Eheu,quam minimum comis & aulicus!
Rus eſt;rus olet horridum.
Victrix Flamma tui,nec ſuperabilis,
Quod nomen ſibi vendicat?
Ardoris picei,turicremæ facis,
An veri quoque fulminis?
Hoc æquale,reor,viribus.alterum
Quodcunque,eſt meritis minus:
Non admittet AMOR,laude ſuperbiæ.

Cælo

Cælo par aliquis datur,
An terris domitor? ſubjugat omnia.
Curſûs Rector Olympici,
Tot palmis validi roboris inclytus
Et manus dedit & pedes.
Infans, ecce, DEVS: more bidentium
Lino paupere ſtringitur.
Cum VERBUM ſileat, quis poterit loqui?
Panno jam tegitur rudi,
Qui veſtit crocea cyclade ſidera.

12.

O prædulcis Parvule, Puer ſine pari.
Felix, cui datum eſt, te nunc amplexari.
Pedes manus lambere, flentem conſolari.
Tuis in obſequiis iugiter morari.
Heu me! cur non licuit mihi demulcere,
Vagientem Parvulum, & cum flente flere.
Illos artus teneros ſinu confovere:
Eiusque cunabulis ſemper aſſidere.
Puto, pius Parvulus hæc non abhorreret;
Imo more parvuli forſan arrideret.
Et flenti paupercul o, fletu condoleret:
Et peccanti facilè veniâ faveret.

XIII.

PHILOMELÆ CANTUS AD BETHLEMIAS CVNAS,

Sive Animæ gaudio liqueſcentis in Puerum Ieſum amor.

PARVVLE Solis
Purior igni:
Puſio ſudis
Clarior aſtris.
Chriſte rubenti
Pulcrior oſtro.
PARVVLE vernâ
Gratior aurâ:
Puſio miti
Dulcior uvâ.

Chriſte Britanno
Mollior agno.
Qui tua poſſet
Membra fovere,
Stringere palmas,
Ora tueri:
Binaque (vel ſi
Sit nimis, unum)
Baſia furtim,
Vixque labellis
Carpere tactis:
Ille beatus.
Heu! neque nobis
Flere licebat,
Flente Puello!
PAVPERIS, eia,
Qui mihi fuluo
Carior auro.
Divitis, eia,
Magna libido eſt,
Sternere lectum:
Molliter, eia.
Molliter, eja.
Comere ſomnum:
Dulciter, eia.
Dulciter, eia.
Fundere cantum:
Suaviter, eia.
Suaviter, eia.
Forſitan æquâ
Fronte ſerenus
Riſerit infans:
Rideat, eia.
Méque Reorum
Protinus atro
Eximet albo.
Eximat, eia.
Decidet hærens
Spontè ſolutis
Culpa catenis.

Deci-

Decidat, eja.
Decidat, eja.
Hoc mihi limo
Nictat ocello.
Nictet, & eja
Liberet, eja.

13.

Felix, qui tunc temporis Matri ſingulari,
Potuiſſet precibus ita famulari:
Vt in die ſineret ſemel oſculari
Suum dulcem Parvulum, eique iocari.
O quam libens balneum ei præparaſſem.
O quam libens humeris aquam apportaſſem.
In hoc libens Virgini ſemper miniſtraſſem:
Pauperiſque Parvuli pannulos lavaſſem.

XIII.

PHILOMELÆ.

Sive Animæ ſuſpiria ad Bethlemias Cunas.

VTinam, volente Fato.
In iſta ſecla natam
Aliud tuliſſet ævum:
Quo VIRGO parturivit,
Peperitque Virgo Natum,
Matris ſuæ parentem.
Ego non procul ſtetiſſem
A Parvuli grabato;
Genitrice non vetante,
Blandita Puſioni.
Quoties in ejus ora,
Et in roſas genarum,
Specie tamen modeſtâ
Timentis involaſſem!
Licuiſſet oſculari
Amabilem Puellum.
Licuiſſet & jocari
Jocante cum Puello.

Vigili nuces dediſſem,
Quas educat Tarentum.
Niſi ſponte dormijſſet
Lactantis ad papillam:
Poteram perita blæſo
Cunas movere cantu;
Et utrumque tempus alto
Inebriare ſomno.
Genitrice provocante,
Mox balneum paráſſem:
Sed & iſtud ex recenti
Et puriore lymphâ.
Minimum fluenta limo
Turbata noluiſſem.
Folio arboris vel uno
Inſtrata reſpuiſſem.
Vbi bellus ille noſter
Expergefactus Infans,
Iterum diem bibiſſet:
Tunc pupulâ recluſâ
Ego Candidum laviſſem:
Laviſſet ipſe Nigram,
Scelerum colore fœdam
Laviſſet ipſe Mauram.

14.

Sic affecta pia MENS *ſitit paupertatem,*
Cibi parſimoniam, veſtis vilitatem.
Labor ei vertitur in iucunditatem.
Vilem eſſe Seculi dicit venuſtatem.

XIV.

Anima Dei nati Amoribus reſponſura virile propoſitum.

ANIMA.

VT ego fulvæ pondera gazæ
Dives aggeſtis opibus reponam!
At Numen eget. generoſa fluant
Vina leſboos mihi per canales!

Geli-

Gelidamque bibat Numinis altrix,
  Vnde lac factum genito miniſtret!
Men' Oebalio pota veneno
  Ambiat veſtis! Deus, ecce, nudus.
Cedrinis trabibus laqueata premam
  Tecta: te, IESV, ſpecus hoſpitalis,
Inter pecudes! ego cygnæis
  Incubem plumis! Age SPONSA, mollem
Nitidi lectum linque cubilis.
Sponſus in caula jacet. ite nugæ,
Quas pretioſas facit ambitio,
  Luxus abſumit. Mihi vita porrò
Calloſa placet. non ærumnas,
  Non catenatos metuo dolores:
Hi mihi fuerint ſola voluptas.
  Ipſe vertetur Labor in quietem.
Extra hoc ſtabulum quidquid video,
  Sordet. An cælum rear eſſe noſtro
Pulcrius antro? judicet æther
  Invidus, ſed mi Puerum relinquat.

15.

Ergo ſic Infantiam Chriſti retexendo,
Hora Prima canticum ſtrenuè canendo,
Tranſitum ad Tertiam *facit, recolendo,*
Quantum Chriſtus paſſus eſt, Homines docendo.
  Tunc cum fletu recitat illius labores,
Sitim, famem, frigora, æſtus & ſudores,
Quæ dignanter pertulit propter Peccatores:
Dum illorum voluit innovare mores
  Mox amoris flatibus tota concremata:
Oci, oci *clamitat Avis hæc beata.*
Mundo mori cupiens; cujus via lata:
Cui ſatet Seculum, Sic eſt delicata,

(.·.)

XV.

CHRISTI POST TRIGESIMUM ÆTATIS ANNUM LABORES, *Philomelæ meditantis materia.*

AUCTOR.

DVlcis cum tenero Sole Puertia,
Creverat in radios viriles
Maturúmque diem, qualis ab aureo
Purpurei fluit ore Maij.
Vernæ ter decies deciderant roſæ:
Spina tamen tibi, CHRISTE, manſit
Cenſorum rigido triſtis aculeo.
Quo Solymæ populos docentem
Sadoci furor, & frons Phariſaica,
Invidiâ ſubeunte, fixit.
Non centum ora loqui, ferrea non tuos
Dicere vox poterit labores.
Num tardavit hyems? num ſitis aut fames,
Nóxque ſacris vigilata curis?
Seu ventus pluvio flaret in æthere,
Bella ciens animoſus Auſter.
Æſtas ſeu rapidis ſolibus ureret:
Pauperibus comitatus ibas,
Per nimbos glaciémque; ut malé perditos
Erueres reperire ſolers.
Vltra non gemitum, non querulos pia
LUSCINIAE tenet ira planctus.

ANIMA.

Heu, tanti fueras Iſacium genus
Et ſoboles ſcelerata Iudæ!
Deſertis gregibus, debuit unica,
Sic, & Ovis ſcabioſa quæri!
Hoc ſumptu celeris prodigus aleæ
Filius in patriam reduci!
Torrebat nimius te, miſerabilis
SPONSE, calor. an amare nullis
Conceſſum & ſapere eſt, ne ſuperis quidem
O igitur fatuæ atque amantis

Nomen

Nomen jam placeat dulcius & mihi,
Ludibrium pretioſus Auctor
Detraxit titulo Numinis hoc opus,
Stulta, Deo præeunte, dicar.
Poſthac MUNDE vale: florida, ſed via
Ad properam ſpacioſa mortem.
Quas jactes citharas, delicias, opes:
Quando etiam tua tura fætent!

16.

Clamas ergo Domine dulcis prædicator,
Exulum refugium, pauperum amator.
Qui es pœnitentium pius conſolator:
Poſt te debent currere Iuſtus & peccator.
Iuſti quippe regula, vita es doctrina:
Peccatorum ſpiculum, mira diſciplina.
Feſſis & debilibus efficax reſina:
Ægris & languentibus potens medicina.

XVI.

Beneficiorum Chriſti in populum ſparſio.

ANIMA.

CHRISTE, ſexcentas, ut amere, cauſſas,
Et doteis, ſtimulóſque ſolus exples
Teſtor æterni faculas Amoris.
Te præter, nihil eſt amore dignum:
Melleus ſacro fluit ore rivus,
Facundum quoties reſolvis uber.
Obvius cunctis, facilíſque adiri.
De quovis bene tranſiens mereris,
Exules tutam revocas in urbem.
Largiris patrias opes egenis.
Quóſque damnarunt mala mens & error,
Mulces criminis ex pudore triſteis.
Huic tuæ pandis documenta vitæ.
Et legem propria manu reſignas.
Illius præfers pedibus lucernam.
Vt poſſint maculas lavare vultús,

Purius vitro ſpeculum coruſcas.
Feſſis, ac rabido calore toſtis,
Fixus ex alta Cruce ſpargis umbram.
Qualem vel platanus comante ramo,
Robur æſtivi populata ſolis;
Vel malus riguis amica clivis,
Frondium flexa numeroſa fundit,
Quæ ſolatia debili propinas!
Omnium præſens medicina, fœdam
Pellis corpore febrium cohortem;
Te procul morbos abigente, claudi
Certant hinnuleis ferociores.
Irrigat cæcos nova lux: diemque,
Inſuetum juvat hos videre munus:
Munus & dantem reſeratur auris.
Linguæ vincula deciduntſolutæ.
Mutus auditur. potuitque forſan
(Ingrati ſcelus!) hunc calumniari,
Cujus attactu didicit loquelam:
Et colludere proditoris ori,

17.

Primus in hoc Seculo Charitatis Scholas
Inſtauraſti, quærere docens Dei ſolam
Gloriam: deponere gravem Mundi molam
Et ſic poſſe perditam redhibere ſtolam.
Sed hanc ſtolam temere Mundus irridebat,
Spernens & annihilans, quidquid promittebat,
Tua verè Bonitas vices non reddebat:
Imo pœnitentibus totum ignoſcebat.
Quippe cui proprium erat miſereri;
Diligi deſiderans magis, quàm timeri.
Sed verba, non verbera, præferens, auſteris
Præceptoris voluit more revereri.
Hoc in adulterio novit deprehenſa:
Quàm ſit tua pietas ſcilicet immenſa:
Magdalena ſenſit hoc; cum ei offenſa.
Eſt dimiſſa: multiplex gratia impenſa.
Et quid multa dicerem? quot ſunt conſecuti
Eius magiſterium: à ſuis abluti

itiis ſunt, moribus optimis imbuti,
t ab hoſtis invidi fraude facti tutii,
Felix, cui licuit ſub hoc Præceptore,
onverſari iugiter: & ab eius ore
Mel cæleſte ſugere: cuius præ dulcore
Amareſcunt cætera: plena ſunt fœtore.

XVII.

OPTIMI MAGISTRI CHRISTI JESU SCHOLA ET DOCTRINA.

ANIMA.

TAndem pulſis animi tenebris,
Micuit veræ copia lucis.
Non ex alto vertice montis
Nebulæque globo, geminæ ſcriptos.
Lapides Tabulæ, ſublimè tonans
Trepidum nubes jacit in populum.
Sed in aprico colle Sionis
Data lex nobis. non à Servo,
Servire docens. Quin ipſe palam
Libertatis DEUS aſſertor,
Placido vultu ſpectandus adeſt.
Quidquid mandat, ſpirat amorem,
Stimulat votis, inſtat flagris,
Ducit precibus, terrore trahit:
MORTALIS, AMA. MORTALIS, AMA;
Toties, toties inculcat, AMA,
Supplice ritu cole Supremum,
Qui me genuit qui te fecit.
Cur indigno vigilas operi
Aſſuete rotas, heu ſervilis
Verſare molæ? ne te ſcelerum
Pondere curvus patiare premi.
Exue triſtis juga mancipij,
Et præſectæ fruſta lacernæ.
Indue primam purgande ſtolam,
Qualem nitido candida texit
Stamine virtus.
Quanquam hæc vitæ præcepta dabas;

Tamen indocilis ſprevit tantum
Fronte rebelli Turba Magiſtrum.
At tu ferulam, CHRISTE, minacem
Pius intentas, parcente manu.
Si qui culpâ rubuere ſuâ;
Impune rubent neque vindictam
Sentit meritum tormenta nefas.
Teſtis MULIER turpiter auſa
Iura mariti violare tori:
A te miras ſcribente notas,
Poſtquam ex humili pulvere terræ
Caput erexti, libera dicta
Teſtis notæ MAGDALIS oræ;
In te liquido notior æſtu,
Et fragrantis pyxide nardi.
Fama per Vrbem diffuſa, nihi
Obfuit illi. ſimulac pedibus
Aſtrata tuis, pudibunda, ſilens,
Veniam mutâ voce popoſcit.
Sed tu interior miſeram (quis enim
Alius?) ſcitè flere docebas:
Madidasque comis tergere plantas.
Femina clarum ſpecimen magni
Dedit ingenij. quia vix poterat
Deſperatis fidere rebus:
Vt ne totâ caderet Cauſſâ,
Corpus Domini Iudicis unxit.
Vngite plures, pulcrum facinus
Iterare licet. ridet ad iſta
Munera Prætor, gaudetque capi.
Felix nimium: cujus ab imis
Eruta fibris crimina, veteri
Ceſſere loco: niveos contrà
Animo moreis fixit Honeſtum.
Hunc nemo veret prope ſpectari,
Et ab infuſi Numinis ore
Iugè fluenteis haurire favos.
Tali ſolus ſapiet IESVS.
Cætera fel, & colocynthis, erunt,

18.

Hae, & multa talia, dum MENS *meditatur:*
Ad reddendas gratias tono præparatur.
Ad laudandum Dominum magis inflammatur:
Sicque HORÆ TERTIÆ, *cantus terminatur.*
Oei, oei, *Anima clamat in hoc Statu:*
Crebrò fundens lacrymas ſub hoc incolatu.
Laudans & glorificans magno cum conatu
Chriſtum, qui tot pertulit ſuo pro reatu.
In hac hora Anima ebria videtur.
Sed circa MERIDIEM, *calor cum augetur:*
Vt amoris ſtimulis magis perfcretur;
Mox ab illa PASSIO CHRISTI *recenſetur.*

XVIII.

PHILOMELÆ LVCTA,
Sive Meridies Animæ Chriſtianæ, Chriſti patientis myſteriis intentæ.

AUCTOR.

Vitæ nulla tuæ pars, ô amabilis
IESV, vacat miraculo
Quod ſecum recinit MENS pia millies;
Intenta ſemper Carmini,
Seu, lux puniceâ cum dubitabilis
Adhuc in unda fluctuat.
Seu, cum flammivomis provehitur rotis
Quadriga Solis altior:
Nunquam populeâ ceſſat in arbore
Arguta vox Aëdonis.
In terram ſed enim quum minimas polo
Vmbras jacit Meridies!
Quo Sponſum meminit tempore pendulum
Indormiiſſe ſtipiti.
Væ, quantos gemitus ſollicitum ciet
Findente cor ſuſpirio!
Tunc neſcit, quid agat Ceu quatiat manu
Thyrſum, vagatur ebria.

Singultus cadit in verba trementia,
Interque rupta ſæpiùs.

ANIMA

Dilectumne Meum! num potuit capi!
Cur non in enſeis irruo?
Damnatur nocuis cum nebulonibus.
Prô, qua corona cingitur!
At non fida ſatis: cedite milites.
Mors non Amore fortior.
Verè, SPONSUS hic eſt SANGUINIS. en torum
Lenteſce lignum funebre.

AUCTOR.

Has voceis ululans, hoc Epicedium
Luctante trudit ſpiritu.
Hiſcens interea ſuccutitur ſolum.
Doloris augmentum novi:
Iamque & ſaxa gemunt, petraque rumpitur
Sciſſis deorſum cautibus.
In ferruginea Sol tunica rubet,
Multum priori decolor.
Squallent, ceu magicis territa cantibus
Truncata Lunæ cornua.
Maneis, ut cumulent monſtra metus, ſuos
Commota Tellus egerit.
Migravítne Dies, nec reditum parat!
Cujus pudore tangitur?
Quò Natura ruis? quis tua deſtruit
Turbo repente fœdera?
Mundus ſtare negat, quo cecidit loco
Labantis Auctor mortuus.

19

Plorans ergo reſpicit AGNUM *delicatum,*
Agnum ſine macula, ſpinis coronatum:
Lividum verberibus, clavis perforatum:
Per tot loca lateris foſſa cruentatum
Tunc exclamat pia Mens Oci *cum lamentis.*
Oci, oci, *miſeram! quia mea Mentis*
Turbat ſtatum pallidus vultus morientis:
Et ſequentes oculi in Cruce pendentis.

XIX.
PHILOMELÆ LUCTUS,
Sive Animæ Dilectum ſuum in Cruce moribundum deplorantis Agon.

CHORUS.

PRodite cavis orbibus undæ;
Fluat ex toto lacryma vultu.
Etiam ferrum, Sipyloque rigens
In corde ſilex, liquefacta fluant.
Horrenda meum ſubit aſpectum
Facies, nunquam ſic viſa priùs!
Triſtis, nimium triſtis imago.
En: virginei velleris Agnus,
Animam mitem laniatus agit,
Ille, ille expers omnis maculæ,
Maculis fœdos eluit hircos.
In ſceleratos ſceleris purus
Incidit hoſteis. Aſpice ſertum.
Perfoſſa rubent tempora ſpinis,
Deus impacto verbere livet.
Clavíſque manus, claviſque pedes,
Ad funeſtum conducta nefas,
Fodit Latij militis ira.
Me me miſeram! cur parco genis,
Crinibus, ori? glaciéne rigent
Deſolatæ lumina frontis?
Tandem tepidi currite rivi,
Vernáſque nives addite veſtris.
Super Hebræos ſpatietur agros
Animæ triſti debitus humor.
Turbida fletu lamenta ſonent.
Heu! cui tantum de te licuit,
Generis noſtri dulcis Amator!
Dirus quod non potuiſſet Arabs,
Non vellet equo Sarmata paſtus:
Potuit, voluit pejor utroque
Eadem Gens, quæ tibi dilecta,
Inimica tibi.

En: ut medius pendet ab alto.
Mens obtutu ſtupefacta labat.
Non ſuſtineo cernere flexæ
Cervicis onus. lacero prona
Crine recumbit. color extinctus,
Decor occiſus, purpura ceſſit:
Proque roſarum floribus, albent
In marmoreo violæ vultu,
Lux oculorum, fracti ſoles,
Lugúbre natant. imminet illis
Suus occaſus. Mihi verò, mihi
Imminet idem, nóxque profunda.
Meus ille, meus moritur SPONSUS.
Moritur, per quem vivimus omnes.
Iterum atque iterum lamenta ſonent.

20,

Siccine decuerat, inquit te benignum
AGNVM, mortis exitum pati tam indignum.
Sed ſic diſpoſueras vincere Malignum:
Et hoc totum factum eſt ob Amoris ſignum,
Hac amoris ſigna ſunt: & poſtrema primis
Copularis aſſocias, ſumma figens imis
Monſtrans ut ſic moriens, animales nimis:
Dum te totum funderes tot apertis rimis
Tu amicus novus es, tu es novum muſtum.
Sic te vocat Sapiens, & eſt ſatis juſtum.
Totus enim Filius reddet dulcem guſtum,
Fundens carnis dolium, licet vas venuſtum.

XX.

Amor IESV CHRISTI *in Cruce immolati.*

ANIMA.

AT non ſic decuit mori
Agnum, ſiderei gregis
Campos per Solymos ducem.
O crudelis Amor! tuo
Inſtinctu voluit capi.

Ac perferre necem. tuo
Tinxit imperio trucis
Cultros Invidiæ cruor.
Aram cùm Crucis arduæ
Inſons imbuit Hoſtia.
DILEXIT NIMIS. hoc reus
Solo nomine cæditur.
Quàm miris AMOR omnia
Aſtringens ſocias modis!
Summis ima, bonis malos,
Sonteis innocuis, feros
Manſuetis, nigra candidis.
Cum Iuſto ferit impius,
Agnus quæ moriens ſuo
Sanxit fœdera ſanguine.
Quis diffidere jam velit?
Firmæ pacis ab intimo
Teſtes pectore profluunt,
Tralucentibus undique
Rimæ viſceribus patent.
Clauſo fit latici via.
Nullo nobilius botri
Vinum truditur ubere,
O IESVM bibe muſteum,
Mens quæcunque ſitis, bibe.
Rumpit Carnis eburneum
Felix copia dolium.

21.

Tantis ſignis Pœnitens monitus iam credat:
Quod præcordialiter CHRISTVS ei ſe dat.
Iſta ſigna recolam, ne me Satan lædat.
Nam peccati rabiem nihil ita ſedat.
Iſta ſigna recolens. Oci, oci clamo.
Dulcis IESV querulor, quòd te minùs amo,
Stringi tamen cupio Diſciplinæ chamo:
Sicut pro me captus es Charitatis hamo.
Quantum hamum Charitas tibi præſentavit!
Mori cùm pro homine te ſollicitavit.
Sed & eſca placida hamum occupavit:
Cùm lucrari animas te per hoc monſtravit.

Te quidem aculeus hami non latebat:
Sed illius punctio te non deterrebat.
Imo hunc impetere tibi complacebat,
Quia deſiderium eſca attrahebat.

XXI.

Amoris Divini ſigna, & piſcantis ingenium.

ANIMA

ET dubitamus adhuc timidi tot credere ſignis!
Non plura Moſes edidit,
Cui ſtetit unda maris.
Nudatis diſcluſa patent præcordia coſtis:
Arcana Sol introſpicit.
Et dubitamus adhuc!
Non ego ſic volitans divinum amplectar aſylum?
Ne præda ſævo vulturi
Dilaceranda cadam.
Oti blanda quies, dulcedo nobilis *oti*,
Recepta Cordis angulo
Mens PHILOMELA canit.
O ſi te, IESV, magis & magis: ah, quid amarem?
Quamvis periculoſa res
Iam ſit, amare nimis.
Vt taceam inſidias. Tu certè captus es hamo.
Piſcator hunc tetenderat
Ingenioſus Amor:
Me tacitis captam præfigens fraudibus eſcam.
Mordere, mors certiſſima,
Ipſáque peſtis erat.
Illecebras poſuere Animæ tibi, CHRISTE, guloſe;
Qui mitis Agnus ambulas:
Quando natas, lupus es.
Sed nec ineſcatum te mors appenſa latebat:
Interritum nec lubrici
Detinuere doli.
Hauſiſti ſecreta ſciens ac vincula liber;
Tanto placebat letifer
Hamus amore mei.

22.

Ergo pro me miſerâ, quam tu dilexiſti,
Morſis in aculeum ſciens impegiſti:
Cùm te Patri victimam ſanctam obtuliſti:
Et in tuo ſanguine ſordidam laviſti,
Quis miretur igitur, pro te ſi ſuſpiro:
Iuncta ſine meritis tam zelanti viro,
Nam affectum alit is meum modo miro:
Pro me vitam finiens exitu tam diro.
Verè, iam non debeo tantùm ſuſpirare:
Imo iuxta verbum Iob crines lacerare.
In caverna lateris nidulum parare:
Et extremum ſpiritum illic exhalare.

XXII.

Anima ante Dilecti *ſui in Cruce mortui ſumma Lamentatio.*

CHORUS.

ERgo nocuit tibi dirus AMOR:
Nimiùm blandus, nimiúmque ferox
In tua, IESV, fata tyrannus!
Ego vilis, inops, rea furtorum
Dignáque laqueo. Tu deprenſæ
Aliena volens delicta luis.
Ego mortalis: ſed tu moreris,
Toto Leti pondere preſſus.
Cadis irato victima Patri,
Potiùs, potiùs mihi parſuro;
Quàm quem Sapiens uterus Mentis
Genuit ſimilem, genuítque parem.
Hujus thermis ego ſanguineis,
Indigna, fui digna lavari:
Sum lota tamen!
Te te vigili ſuſpiro face:
Vacuum noctu dum luſtro torum.
In te gemitus non inventum
Lacrymæque calent. ah! debueram
CRVCIS in duro quærere lecto.
Hîc NOSTER eras: oblité tui.

Memor

Memor uſque mei. Refer ô ſaltem
Ingrata vices. ſed ſerò nimis:
Iaculor mœſto pectore vota,
Non ignotes aditura viros.
Mea meta, D E V S: cui meta fui
Dulce vibranti vulnus amoris:
Qui prævalida tamen ipſe jacet
Modò confixus cuſpide mortis.
Vtinam tecum, SPONSE, perempta,
Et Romulidum graviore manu,
Dum tu nullâ, cæſa fuiſſem!
Eheu! quorſum deſiderii
Plangor inanis? ceſſant ne manus
Incompoſitos vellere crineis?
Sulca meritas miſeranda genas.
Irrue ſcopulis, conſcende rogum.
Mergere rapidis maleſana fretis.
Niſi D I L E C T I tumulo malis
Mortua jungi.
Adſto vivi funeris inſtar,
Verùm nimis, ah, ante cadaver:
Vbi theſaurus, mea vita latet.
Video rigidis ſentibus horrens,
Dignum ſerto meliore, caput,
Video plagas quinque rubenteis.
Hiat in medio vulnus apertum.
Fluit inde cruor permiſtus aquâ.
Quamvis totis viribus actam,
Tamen erumpens, non ſine ſonitu,
Calidi largus ſanguinis imber
Reppulit haſtam.
Video, video lateris nidum:
In quo recubans moriar, moriar.

25.

Plane, niſi moriar, tecum non quieſcam:
Oci, oci clamitans, numquam conticeſcam.
Ab hoc deſiderio verè non tepeſcam:
Quantumcunque Seculo propter hoc vileſcam.
Tunc, ut demens clamitat; veniant laniſtæ,
Qui affigant miſeram C R V C I *tuæ*, C H R I S T E.

Erit

Erit enim exitus mihi dulcis iſte:
Si amplectar moriens propriis ulnis te.

XXIII.

Animæ CHRISTO *commoritura Decretum.*

ANIMA.

ADhuc ſuperſtes dego: nec poſſum mori?
Hoc quæ profana vis vetat?
At non quieſcam, donec, obtentâ nece,
Meo quieſcam in pulvere.
Inſana credar, atque vileſcam, licet.
Et totus Orbis rideat:
Cupio moleſtas lucis inviſæ mihi
Ferro moras abrumpere.
Lux ceſſit, occumbente CHRISTO publica;
Privata, non eſt dignior.
Moriamur. Vmbris & ſepulcris audias
Locum daturis funeri.
Vbi ſunt ſecures, torua lictorum cohors?
Morantur arma ſtringere!
Veniant in unum mille tortores caput:
Corpúſque configant Cruci.
Amplectar ulnis memet amplexum priùs,
Quid poſſet eſſe dulcius?

14

Vere ſic, non aliter, rabies doloris,
Qua Cor meum ſingulis terebratur horis,
Deliniri poterit: niſi tu dulcoris.
Fons abundans, medicus mei ſis doloris,
Plane dulcis medicus es, qui nunquam pungis:
Sed à corde vitium leniter emungis.
Nam quos tibi firmiter per amorem iungis;
Tuis chariſmatibus eos ſemper ungis.
Heu! quam damnabiliter Mundus eſt cæcatus:
Qui cùm ſit ab hoſtibus dire vulneratus,
Hunc declinat Medicum, cùm adſit paratus,
Languido aperiens ſuum dulce latus.

XXIV.

Anima grata in CHRISTUM *Medicum amor: Propter Homines ingratos dolor.*

CHORUS.

QVis mei ſedet rabiem doloris?
Ille pervaſit penitùs medullas.
Ille ceu pecten, vel acuta dentis
Serra diſcindit, terebrátque pectus.
Turbido curſu dolor iſte motu
Vertit in flammas volucres camini!
Námque graſſatur: velut in vepreto
Ignis incenſus, corylíſque circùm
Paſtus, ardenteis rotat ire ſulcos.
Quod magis miror, lacrymis fovetur;
Creſcit affuſis alit unda buſtum.
Eſtne ſpes ægro ſuper ulla cordi?
SPONSE, tu FONS es ſcatebra ſalutis
Irriga venas: & hiantis æſtum
Vulneris, ſparsâ moderare lymphâ.
SPONSE: tu famâ celebrem GALENVM
Vincis, & quoſvis titulos medentum.
Cæteri falsâ ſpecie, dolores
Corporis, pellunt alio dolore.
Lenè tu tractas, animíque morbum
Lenè demulces; ſed abire cogis.
Vina ſuffuſam domitura tabem,
Téque permiſces oleo recenti:
Durus in ſolam SAMARITA Mortem.
Heu! tamen nullo pretioſus oſtro,
Publicas Regum graderis per aulas,
Pauperis plerumque comes catervæ,
Vilis ignotus, vagus exul erras.
Incolæ Mundi, tenebris & atra
Nocte merguntur nihil æſtimaris.
Cariùs vendit leve ſulphuratum
Verpus, & bulbos, & adeſa pruna.
In foro pluris fit agyrta Maurus!

Siquis

Siquis Orcini ſaniem cerebri,
Aut ſtrigum plumas, Magicíque laudas
Ore mendaci vitra plena fumi.
Balſamum cæli, proprias Beatæ
Inſulæ merceis, radios honeſtæ
Lucis ac vireis homo talpa ſpernit.
Plaga non terret decumana cæcum:
Sæpe delectat cupidum perire.
Vtque feſtinet petulans ſub umbras,
Hoſtis in ferrum ruit, & cruento
Saucius telo, ſua Fata quærit,
Ac fugit vitam licet ipſe promptam
Offeras artem, lateríſque nudi
Hos in effuſum medicamen uſus:
Reſpuit purum ſceleratus hauſtum,
Et malo parcens, metuit valere.
Nulla ſic urget miſeros veneni
Vis: ut inſanum cruciat volentem
Blanda voluptas.
Morbus hic, nullis, Amor & libido,
Tollitur herbis.

25.

Heu cur beneficia CHRISTI PASSIONIS,
Penes te memoriter Homo non reponis?
Per hanc enim rupti ſunt laquei prædonis:
Per hanc CHRISTVS *maximis te ditavit bonis,*
Suo quippe corpore languidum te pavit:
Quem in ſuo ſanguine gratis balneavit.
Demum ſuum dulce Cor tibi denudavit:
Vt ſic innoteſceret, quantum te amavit.
O quàm dulce balneum, eſca quàm ſuavis!
Quæ ſumenti dignè ſit Paradiſi clavis.
Eſt ei. quem reficis, nullus labor gravis.
Licet ſis faſtidio cordibus ignavis.
Cor ignavum ſiquidem minime perpendit:
Ad quid CHRISTVS *optimum ſuum Cor oſtendit.*
Super alas poſitum Crucis: nec attendit.
Quot reclinatorii vices hoc prætendit.

XXV.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IN CHOROS PARTITA.

De ingratitudine Mortalium Divini Amoris myſteria non conſiderantium.

CHORUS I.

NOndum ingrati pigra Terrigenæ
Otia linquunt. nondum ex oculis
Squamæ nebulis cecidere pares.
Reſides animos ſopor altus habet;
Et adhuc triſtis caligo gravat.
Nam quis acerbæ prælia mortis,
Fortiter ipſi certata DEO.
Secum memori mente revoluit?
Quotus in CHRISTI rapitur laudeis,
Oríſque tubam & pectoris efflat?
Quotus infernæ portenta Domûs
Capta trahenti, Pæana canit?
Ille necenteis victor Averni
Rupit laqueos, & diſpoſitas
A Tartareo prædone plagas,
Ille ſepulcro liber, in auras
Debellato prodiit hoſte,
Cinctus ſpoliis: ſparsítque ſui
Larga per Orbem dona triumphi.
Sed & ante necem. nonne vocatos
Epulo grandi pavit amicos!
Ipſemet in quo ſtructor & hoſpes
Dignatur edi: ſimilíſque ſuo
Convivanti ponitur eſca.
Quamquam haud ideo refugos Titan
Avertit equos: viſâque pavens
Dape non ſolita, jubar attonitum
Parat Eoo mergere ponto.
Hunc nempe cibum, non crudelis
Impetus iræ; ſed ſuaſit Amor,

Invenit Amor: ſed coxit Amor.
Vt cœnet Amor.
Illius idem ſtimulis actus,
Tibi, Mortalis, Matris ab utero
In nativa labe jacenti,
Quale lavacrum ſanguine miſtâ
Calefecit aquâ! nudat lateris
Penetrale ſacrum, ſparſóſque favis
Pectore toto proflat amores
Quiſquámne pari ſtantia ſumptu
Balnea vidit? nectar in ullo
Gula ſympoſio dulcius hauſit!
Properent omnes, quibus arrigitur
Pretioſa ſitis, pretioſa fames,
Si digna tamen. dabitur menſis
Grata remotis viſere Tempe.
Nemus Elyſium pandet amœni
Septa receſsûs. Tu modò mappæ
Epulans ſtratæ ſuccute quadram,
Suppoſta latet gemmea Clavis.
Hac, Cælicolûm ſorte, licebit
Aperire ſeram nobilis Horti,
Vbi divino turgida muſto
Nova Dilecti vinea fragrat.
Totus ab unâ fluit AVTVMNVS
Mellifer uvâ cui gutta ſapit,
Bibit immenſum ſobrius æquor.
Lux continuò jucunda ſubit,
Redeunt vires, tædia ceſſant.
Verno ſanguis flore coruſcat.
Venæ flamma ſaliente micant.
Infidus, iners, ſceleratus Homo.
Tamen hæc pedibus munera calcat:
Velut inſano percitus œſtro,
Aut Lethæo gurgite potus.
Heu, virgineis fæda racemis
Labruſca Cypri; dulcíque mero
Putris ſtagni præfertur aqua!
Talem populi Regúmque capax
Vrceus haurit. neque ſentinam

Libare

Libare ſat eſt. Stygias pleno
Concita vento navigat undas
Furioſa ſitis.
Quoquò ruimus, Mortale genus!
Si cui nondum cornea fibra eſt:
Neque damnoſo plena veterno
Tempora torpent; age, quæ temerè
Spernunt alij: diſpice, quo ſint
Parta labore.
Hominis cauſſâ, tormenta DEVS
Tulit, humano graviora metu
Leviora, Dei contemptor Homo,
Cauſſâ que ſui, ferre recuſat.

CHORUS II.

Cum armis & inſtrumentis Dominicæ Paſſionis.

Quæ S. Bonaventura, toto hoc Opuſculo, ſparſim Philomelæ ſuæ ingerit: Auctor, hoc loco, in unius collecta faciem Scenæ, utpote Lectoris affectibus ciendis magis idonea proponenda putavit.

XXX. ARGENTEI.

Hoc ARGENTO vænijt ille,
Cujus primo Caput ex auro,
Nullam poſcens fronde coronam,
Ipſum ſemet tale coronat.
Paucis nummis merx tanta ſtetit!

FACES, LATERNÆ.

Claris FACIBVS Iudæa cohors
Dum vult tenebras pellere noctis:
Tenebras mentis duplices ſpiſſis
Nubibus auxit.

OSCULUM JUDÆ.

Duo concurrunt, aſpice, vultus.
Se ſe MORS & VITA ſalutant.
Atra Diei Nox dicit, *Ave*.

GLA-

GLADIUS PETRI.

.ADII dominum fugiſſe ſcio,
ſtquam Malcho meſſuit aurem.
terat vili parcere ſeruo,
parſurus fortè *M*agiſtro.
m dum trunco reddit capiti
cus abſciſſum ; Medicus capitur.
cet ingratis prodeſſe,nocet.

VINCULA.

tti FVNES,nexa CATENA,
ertatis vinxere Ducem :
perpetui pedicis leti
micidia nocens liber abiret.

CIROTHECA FERREA.

tûs hilari luce decori
TAPHRACTA genas PALMA cecidit.
ctiùs omneis, impure,tua
ies plagas, leno, tuliſſet.

)LUMNA, VIRGÆ, FLAGELLA.

peant cæli fulcra, COLVMNÆ;
ter ad iſtam loris Opifex
ue,& ulmis, tremuit molem :
licíque rubens, Sanguinis inde,
e pudoris vulnere, nudus
it innumeros crepitu denſæ
ndinis ictus. ſecuere flagra
eum corpus : donec totum
or effuſus nimiùm caro
cerat oſtro.

VESTIS ALBA ET COCCINEA.

tui probrum, CARBASVS ALBA:
iſus lixæ, PVRPVRA MENDAX;
nini veſtes, myſtica ſigna,
ete mei. Tibi cedit ebur
um elephanto candente recèns.

Tibi

Tibi cervicem minio pictam
Roſa ſubmittit. non mentitus
Color albus erat. decet Inſontem.
At non decuit, ruber attrito
Murice pannus, Proavis clarum
De Ieſſæa ſtirpe Nepotem.
At non decuit ſordida Regem.
Nec tam ſoliti ſanguine piſcis,
Quàm tincta ſuo Lana ferentis.
At non decuit Purpura Tyrii
Ficta coloris: qui Sidonem,
Totámque Tyrum, non ficta loquens,
Veniæ facilis, tibi Bethſaida,
Motâ Iudex prætulit urnâ.

CORONA SPINEA.

HOc, quale vides, preſſit Regem
DIADEMA tuum, fulget acutus
Vtrinque lapis ferus in mediis
Sentibus iſtas reperit gemmas
Lictor, & alto vulnere fixit.
En: ut radiant, rhamnus jaſpis,
Paliurus onyx, ſpina ſmaragdus!
Tantò poſthac veriùs omneis,
Homo, divitias, regnáque Mundi
Opulenta, potes dicere *Spinas*.

ARUNDO.

HOc majoris Salomone fuit
SCEPTRVM, an, ſceptri vilis imago!
Catulus Iudæ, Populus nequam,
Ceſſa: nihil hoc agis invento,
Quod te puduit dicere verum,
Loqueris facto, facis ignarus.
CHRISTVM, Regem veſane negas:
Tamen agnoſcis, ſignóque tuum,
Licet indignans eſſe fateris.
Fragilis Regni fragile eſt Sceptrum,
Quale paluſtris præbet arundo.
Dic, te ſtabili ſediſſe Throno:

uem captivam mox poſt Solymam,
egit Latiâ Roma ſecuri.

GALLUS GALLINACEUS.

GALLVS cecinit. PETRE, negâſti.
Hinc ex oculis flumina manant,
mitúſque truces cordis amari.
ulti exemplo periere tuo:
ultis lacrymas concede tuas.
uci exemplo ſapuere tuo:
llis flendi tanta libido eſt.

POLLUBRUM PILATI.

lavisti, PILATE, manus!
ſine turpem purgare metum.
imum nitidâ maculas lymphâ.
n te Tyberis, qui Cæſareo
mine tumidus, pavidum cæco
rruit æſtu: non Oceanus
manè patens eluet unquam,
ier affuſo gurgite toto.
è lepidus Præſes, eundem
ſoluis aquâ, ſanguine damnas,
vota reum. Cætera vano,
c te ſolùm es Iudice juſto,
tus teſtis, prætor iniquus.
o nocuis traditur inſons!
llius erat melior Cauſſa;
lláque pejùs deciſa fuit!

VELUM VERONICÆ.

Ccurrentis Domini faciem,
Iam letali tabe madentem,
c exterſit fęmina PEPLO:
o lacrymas terſura ſuas.
ps, Adamidæ, generoſa, DEVM
trâ pictum ſpectate manu.
em ſudor puluere miſtus
dit effigiem. Territa Mater.
qua Natum tam bene potuit

Neſcire ſuum, quàm ſcire ſuum.
Ah, quæ ſpecies, quis vultus erat!
Cùm ſervilis grave ſupplicii
Extra portam geſtaret onus:
Simul oppreſſis poneret humeris,
Geſtandus eo. Per tot eunti
Dura viarum, datur iſta quies!

IMAGO CHRISTI SUB CRUCE.

TRabe ſub querna, calcibus icti
Cecidere ſolo! quos præ Pario
Marmore quondam laudare PEDES
Sponſa ſolebas: impulſa quibus,
Velut à vento, Terra movetur:
Et concuſſus nutat Olympus.

CLAVI.

CLAVI fixas tenuere Manus;
Sidera doctas errabunda
Inſtar volucris verſare pilæ.

TITULUS CRUCIS.

I. N. R. I.

AVctor vitæ, titulum mortis
Fert, ecce, ſuæ. Si, quia Rex eſt
Iudæorum, moritur quiſquam:
Ante tribunal Gentis Hebrææ,
Etiam vitio dabitur, naſci.
Iam debuerant ergo ſepulcrum
Ipſæ Infantis fieri cunæ.
Furor Herodis, qui Naſarenum
Voluit Puerum tollere ferro;
Non exæquat, Phariſæe, tuum.
Iuſtius hujus fuit, & mediâ
Vix parte, nefas tu quippe virum
Illâ perimis perfide cauſsâ:
Propter quam non vivere tantùm,
Sed & in ſolio vivere dignus.
Et morte tua ſervandus erat,

Quæ

Quæ te, quæ te luſtrabit aqua,
lamma piabit, ſacrifica ſacrum
upra ſaxum mactanda cohors?
ah, Pontifices quos culpa juva
lon niſi ſummâ rabie nullam
abitura parem, diſcorſque ſibi.
x quo primus nocuit latro:
agis hac unâ cæde nocentes,
uam ſint omnes cæde nocentes

A L E A.

ltem ludens Homo diſce, Deum
ſe in pretio. proſtat avaris.
apidus lucri, non audito
ore Satelles, ſpirantis adhuc
uanquam tenueis rapit exuvias.
upra TVNICAM: ſed quid tanta
pus eſt inter damna referre
iam veſteis? quando inſontis
per & vitam, ludente manu
LEA IACTA EST.

S P O N G I A.

nde Iſaciæ tigridis animus
bitò mitis! moribunda, viden,
iquis ſicci proluit ora!
llor? an vuam præbet agreſtem!
eu triſte nefas? præbet acetum.
ridem quiſquis porgere cannam
ſus es. utinam fias potûs
ncerna tui, totúmque bibas.
iens, meritò reſpuit hauſtum.
on quòd amarus: ſed, quòd amaro
antis ab animo, rabidæ virus
uxerat anguis, félque draconum.

L A N C E A.

ANCEA, nulli priùs acceſſum
xpugnavit tremebunda latus.
dytum templo ſanctius ipſo,

emo fortis, præter Amorem.
H O. I. Odit nullo dignus amore.
ulli poſthac fidere poſſis.
H O. II. Odio juſto dignus, amatur.
ullus poſt hac inimicus erit.
H O. I. Homo faſtidit Numen amare.
ı! cur donum accepit amandi?
H O. I I. Nolit, velit, invitus amabit.
hil inveniet pulcrius illo.
H O. I. Miſerum, turpem Numen amavit.
ſcio, quo jam nomine poſſit
ci verè, Sapiens & Amans:
H O. I I. Deſiſte loqui. quæ monſtra ſonas?
det eff..ri barbara verba.
idore pias feriunt aureis.
atit emotam tonitru mentem.
epidos fulmen perculit artus.
ma diriguit fronte relictâ.
ſus manat corpore ſudor.
rpent ſpiſſo ſanguine venæ.

26.

Hoc reclinatorium, quoties monſtratur
MENTI, toties ei glutinatur.
ut & accipiter totus inviſcatur
per carnem rubeam: per quam revocatur.

XXVI.

Crux, *Animæ piæ ſedes.*

CHORI DVO.

HO. I. Meliùs, meliùs, PHILOMELA, canis,
Dilecta Deo: tibi Dilectum
plexa Deum.
I O. II. Meliùs, meliùs, PHILOMELA, gemis
uſa Cruci: tibi dilectam
plexa Crucem. Quoties nidum,
quadrifidum Sponſi thalamum
cta vides: flebile toties
as carmen, dans mœrenteis
colla modos. Lamenta juvant.

Apud extincti juvat exequias
Vſque morari, ceu penna tenax
Eluctari nequeat viſcum.
Iuvat alliſo lambere roſtro:
Siquis ligno ſanguis adhæſit.
CHO. I. Qualis volitans eminus Aquila,
Forte cadaver ſpeculata rubrum;
Ocyor Euro prædator adeſt,
Cædis obeſæ conſcius ales.
CHO. II. Citiùs, citiùs, PHILOMELA voles
Ad ſtillantis vulnera IESV.

27.

Poſt hac clamat ANIMA, quaſi dementata.
O reclinatorium, Caro cruentata.
Per tot loca propter me. Cur non vulnerata
Tecum ſum? dum moreru, non ſum colligata:
Licet tamen miſeræ iſtud ſit negatum;
Mihi quidem eligam novum cruciatum
Gemitum videlicet, jugemque ploratum:
Donec Mundi deſeram gravem incolatum.

XXVII.

DITHYRAMBUS.

Amantium Mores accommodati affectibus Animæ, amore patientis* CHRISTI *ſaucia.

CHORUS.

CErtus jam veteri credo Parœmiæ:
AMENS, OMNIS AMANS. QUISQUIS AMAT, FURIT.
Sit præter ſolitum, licet,
Hæc inſania dulcior:
Tamen eſt inſania: nec ſe
Trepido Mens continet æſtu.
Audite: qualeis ore confuſo ſonos,
Ignara rerum fundat ad pedem Arboris.
Cantum biformem variat: & nunc gaudiis
Interpolatum ſcindit, Hymenæum ſonans:
Nunc mœſta leſſum torquet in ſuſpiria.

u ſtranguletur. multiplex, reor, premit
imum procella: non inundat unius
lcum ferocem mota tempeſtas maris.
llectus imum turbo ſubvertit vadum.
numerat ipſe luctus, & geſtit ſibi
viſus ex tot comparari partibus.
, ridet, ululat? terret, exultat, gemit.
is credat unam? peragit hæc impos ſui.
ulca ructat & reſorbet carmina.
que ſic canenda. ſenſa quis tot explicet?
i triſte ſoli querula permiſcet chaos,

ANIMA.

mne Tuum potuiſſe mori!
te deſiſtere cœptis;
e propter ſulcata flagello
rga rubent, ſcapulæque virgis.
uor ex lacero corpore fluxit,
lut infuſus liquor ex cribro,
tibi Sanguis ineſt; quem ferro affundere poſſis,
miſera:
norere, & tantis Dilecti ſumptibus emptam
edde animam.
ebita quis mihi Fata negat?
ua merui rea vivere culpâ!
e quicunque peremeris volentem,
rvanti facies idem, tyranne.
erne, feri, macta: capit omnia vulnera corpus.
ve vincis, ſive ſolvis:
ve cædis, ſive parcis:
ſa mihi mea pœna fiam.
onec ero luteo carcere clauſa:
etus Dolórque lance juſta divident
ixa moleſtæ tempora vitæ.

Poſt hæc dulcis Anima, plus & plus ferveſcens:
enſu toto deficit, corpore tabeſcens.
m vix loqui ſufficit: ſed affectu creſcens,
uo lecto decubat, utpote langueſcens.

CHORUS.

Noćteis atque dies talibus exigit
Indefeſſa modis. Has querimonias
Augentem, & fremitu cum miſerabili
Luctantem, reperit Stella binominis.
Seu, cùm ſera rubens imperat otia:
Seu, cùm manè redux otia diſſipat,
Non parcus dolor eſt: ſe ſatiat malis.
Vultus triſtè riget, cereus aſpici.
Si paſſu tacito, cùm poſuit caput,
Accedas propiùs; vivere jam negos.
Tam calthæ ſimilis, diſſimilis roſæ,
Sic immota jacet.
Aſſurgitne iterum? vel metuit nihil
Talis, vel metuit forſitan omnia.
Maleſana quò Puella
Fugis incitata greſſu?
Cohibe tumultuoſum
Animi furentis æſtum.
Qualis rotata buxus
Circumſonante loro;
It huc & huc, in orbem:
Perdítque mille gyros,
Spondam laſſa petit, debilis heic, toro
Incumbens vigili, membra recolligit.
O felix: ſolitæ ni ſubeant faces;
Notam ni repetant Tædiferi domum.
Quæ torrere jecur cœperit, integro
Non eſt Oceano flamma domabilis.
Ergo dulcis gutturis organo quaſſato,
Lingua tantùm palpitat ſonitu ſublato:
Sed pro verbis pia MENS *fletu compenſato.*
Lamentatur Dominum corde ſauciato.
Sic languenti ſiquidem nil, niſi plorare
Libet, & ſatagere, corde ſuſpirare.
Suos enim oculos neſcit revocare
A CHRISTI *vulneribus, aut cor ſeparare.*
Sic eſt autem animus illius illectus:
Quaſi ei præſens ſit moriens DILECTVS,

Et

â CRVCE *minime retrahit aſpectus.*
ia ibi oculus, vbi eſt affectus.

CHORUS.

Allórne? an ſonitum non procul audio?
Rurſum mota Lyræ fila ſupervolat.
t exorſa tamen, deficit illicò.
æ præcipites mentis abortiunt:
menta in medio gutture palpitant.
guæ trunca noto verba dehiſcere
m CHRISTVM cuperet dicere, flebilis
TVM, dixit, amo cætera proluit
gultus. ſequitur triſte ſilentium.
c, cùm nubila diſpellere nititur,
riſum ſimulat; diſſimulat mala.
tant ſollicitis jurgia gaudiis.
amvis cæſariem fingat idoneam:
friſtaſque genas tergat, & Indiæ
cumdet nitidis colla monilibus;
num prodit Amor. larua notabilis,
latrix facies, ſigna noviſſima
meſcentis adhuc rettinet Iridis.
Chriſto nequeunt, irrevocabiles,
erſas oculi flectere palpebras.
ſentem videt. abſentis imagine
preſſa fruitur. Garrula, cui futis,
ucis ingeminans nomina vocibus:
ſenti loqueris Cælum habitat Tuus.
nc reſponſa petas. illa nihil. Crucem
elix piceis apprimit oſculis.
Gemitus, ſuſpiria, lacrymæ, lamenta,
i ſunt deliciæ cibus, alimenta.
ibus nova MARTYR *eſt interim intenta:*
ſuo martyrio præbet incrementa.
In hoc ſtatu reſpuit, quidquid eſt terrenum:
ndique ſolatium reputat venenum.
l ad NONAM *veniens, moritur ad plenum:*
m amoris impetus carnis rumpit frenum,
Nam cùm, CONSVMMATVM *eſt, recolit, clamaſſe*
ORA NONA *Dominum, & ſic exſpiraſſe.*

Quaſi ſimul moriens clamat, penetraſſe
Vocem iſtam ſuum Cor, atque laceraſſe.

CHORUS.

NOn eſt conditio peior, amantium.
Quorum cœna, fames; ambroſia, eſt ſitis.
Vinum, ſiquod amant, fletibus innatat,
Ducitque ex oculis triſtibus alveum.
Inſtaurare mero nuper inutile
Corpus juſſa, ſcyphum fortè popoſcerat.
Creſcentem ſpacio ventris janthini,
Plenum porrigimus frigore Maſſico.
Illa autem aſpiciens, neſcio quem, cadum.
Defixámque truci lumine ſpongiam:
Effuſo penitùs munere Liberi.
Implevit phialam roſcida lacrymis,
Impletámque bibit. qualiter unico
Raptim fuſa trahat cœcuba ſpiritu
Miles, ſub calido ſidere torridus.
Hos amens latices, hunc liquidum ſalem
Potatura, ſuas Delicias vocat?
Motura invidiam lautia regibus.
Eheu! conditio triſtis Amantium.
Quis juvabit mœſta virgo,
Grande vulnus quis levabit?
Si manum medentis horres,
Quis tibi medebitur?
Martyr es: ſed ſponte mira
Martyrum tormenta quæris.
Si placet crudele votum;
Quis tibi medebitur?
Sic doles, ut te dolere.
Semper optes: atque morbo
Pabulum perenne præbes.
Quis tibi medebitur?
Quidquid offert alma Tellus,
Mollis Vnda, purus Aër:
Fronte ſpernis irretorta.
Quis tibi medebitur?
Mellis imber, lactis uber,

Spuma

ama vini, flos amomi,
videntur & venenum.
is tibi medebitur ?
ecce rurſum languido erepit gradu,
ltúmque firmat. præbet alternis Amor
imítque vireis. mox relapſuram ſolo
mites tenebunt; Quando paullatim dies
oribunda cedit, quæque morienti Deo
neſta luxit Hora : vertigo caput,
ntémque pronus conſciam quatit tremor:
i namque Sponſi ſpectat extinctum ſui
ale ſidus, cupit & ipſa extinguier,
ítque lucem : qua duos meminit ſimul
iiſſe Soles. ac ſi in aure tinniant
prema vocis intonatæ murmura :
a quoque Vita, clamat, exacta eſt : mea
loque Mors propinqua reſtat in terris nihil.
Vt verſat oculos, utque diſcordi face
rat cruentos frontis orbeis in Crucem!
acumen Haſtæ tractat, & clavum extrahit
, ut oſculetur? pectus imò ut tranſigat.
ohibete vulnus rurſus in terram labat.
Hoc eſt. quod toties mihi
æſagus cecinit timor.
tractabilis, effera
s eſt, & violens, AMOR :
ando fulmine fervidus :
aiis Ignibus efficax.
vinus quoque fortior
on ludos agit & jocos.
oro Numine ſerius,
ectit mollia pollicé,
angit dura tricuſpide.
d proſternit, ut erigat.
on eſt mortua, Virgines;
eſtris juncta Sodalibus.
ormit. Cor tenuis patens
ris laxat anhelitus.
almo naribus integer
iteis ducit Eteſias.

Ite ferre languenti
Amore, ſellam.
Ite, floribus refectam
Fulcite vernis.
Dulcis Autumni caducis
Stipate malis.
Inter nexilis ubera
Myrrhæ faſciculus fragret,

28.

Ferre tandem impotens jaculum tam fortes
Moritur, ut dictum eſt, ſed felici morte.
Nam panduntur protinus ei cæli portæ:
Dignam ut intelligas ſe Sanctorum ſorte.
REQVIEM *pro Anima tali non cantamus.*
Imò eſt INTROITVS MISSÆ GAVDEAMVS.
Quia ſi pro Martyre Deum exoramus:
Vt Decretum loquitur, Sancto derogamus.
Eia dulcis ANIMA, *eia dulcis roſa,*
Lilium convallium, gemma pretioſa:
Cui carnis fœditas extitit exoſa:
Felix tuus exitus, morſque pretioſa.
Felix, quæ iam frueris requie cupita,
Inter Sponſi brachia dulciter ſopita:
Eiuſque ſpiritui firmiter unita.
Ab eodem percipis oſcula mellita.
Iam quieſcunt oculi: ceſſant aquæ ductus,
Nam aperte percipis ſpei tuæ fructus.
Quia per quem Seculi evaſiſti fluctus:
Tuos inter oſcula conſolatur luctus.
Dic, dic dulcis ANIMA, *ad quid ultra fleres:*
Habes cæli gaudium tecum, cur lugeres:
Nam ſolus eſt omnia, cui tu adhæres.
Et, ſi velles amplius, certe non haberes.

XXVIII.

EPICNIIUM DIVINI AMORIS.

Animam triumphatam ad cæleſtem Sponſum ſubvehentis.

Nunc amet, quæ non amavit: quæque amavit, nunc amet.

npotens cruenta ferre MENS Amoris ſpicula;
urrit illa, currit inſtar fixa cervi ſaucij:
ujus hæret acta tergo canna venatoria.
t ſitim deſiderato fonte ponat igneam:
er vepreta, per fruteta fertur, atque retia.
onec ad ſcaturientem laſſus undam concidat
Nunc amet, quæ non amavit: quæque amavit, nunc amet.
MENS anhela cordis æſtu ſic dolet jucundiùs.
litam furore dulci læſa fert arundinem:
ec poteſt arcere flammam, nec mederi vulneri
laga ludibunda ſævit: fax perurit viſcera.
rgo vitæ ſicca tendit ad perennis flumina:
ed citata, fonte viſo quem requirit, occubat.
Nunc amet, quæ non amavit: quæque amavit, nunc amet.
ulce votum, grata mors eſt, occubando vivere.
eſerenti VASA TERRAE porta cœli panditur:
t ſciat ſe regis eſſe VAS HONORIS aureum.
ultiplex corona Divûm læta prodit obviam:
uos ſalutat gratulanteis ore jam ſororio
i ſororem conſalutant, & ferunt ad æthera.
Nunc amet, quæ non amavit, quæque amavit, nunc amet.
unus iſtud, funerali nemo deflet tibia.
na vox eſt, *Gaudeamus*, una vox, ſed plurium.
rbs, Senatus, Ara, Templum, *Gaudeamus*, perſonant.
ræficæ procul faceſſunt, atque triſtes Næniæ.
artyrem licet rogare: non licet pro Martyre.
erta res, & fama Sacri teſtis eſt Oraculi
Nunc amet, quæ non amavit: quæque amavit, nunc amet.
reſcit inter verba plauſus, infremunt encomia.
irgo gemma nominatur, orbe toto dignior.
los roſarum, róſque florum lilium convallium.
andidum quod nulla turpi noxa tactu polluit:
ullus oris inquinavit peſtilentis halitus.
roſperis beata mors eſt concolor natalibus
Nunc amet, quæ non amavit: quæque amavit, nunc amet.
er quaterque Virgo felix Pacis in tentorio,
aſta ſummi Sponſa Regis in cubile duceris.
ella lucet, ſerta fragrant: lætus Hymen accinit.
onſa dormi, tendit, ecce, Sponſus ipſe brachia.
yrrheum formoſa ſuge te foventis ſpiritum,

Balſamo fluent capilli: melle manant oſcula.
Nunc amet, quæ non amavit: quæque amavit, nunc amet:
Iam quieſcit. grata mulcent poſt labores otia.
Ex amore quæ profuſis innâtarunt lacrymis,
Clauſa ſucco dulciore ſomnus ungit lumina.
Vva floret: ſpes cupitæ non fefellit vineæ.
Inter undas fluctuanteis, cujus uſa eſt anchora,
Littorali cincta ſerto ſentit & ſolatium.
Nunc amet, quæ non amavit: quæque amavit, nunc amet.
Sponſa ridetur in iſtis mœſta flères gaudijs?
Servit uni, cuncta gyro quidquid aſtra continent.
Mira quæque, pulcra, blanda, delicata mollia,
Sparſit in te liberali plena cornu Copia.
Nil, quod optes, eſt relictum quódque poſſis quærere;
Quem tenes innixa collo, vota vincit omnia.

29.

EPILOGUS.

Sed iam metrum finio: ne ſim tædioſus.
Nam ſi vellem ſcribere, quàm delicioſus
Sit hic ſtatus Animæ, quamque glorioſus:
A malignis dicerer fallax & mendoſus.
Quidquid tamen alij dicunt, Frater chare
Iſtum novum Martyrem libens imitare.
Cumque talis fueris, Chriſtum deprecare,
Vt te cantus Martyrum docent cantare.
Frequentemus canticum iſtud, Soror pia:
Ne nos frangat tædio vitæ huius via.
Nam lætantem Animam in hac melodia.
Poſt hanc vitam ſuſcipit IESUS *&* MARIA.
Ergo, SOROR, *tuum cor ita citharizet:*
Se baptizet lacrymis, planctis martyricet:
Chriſto totis viribus ſic nunc organizet;
Vt cum Chriſto poſtea ſemper ſolemnizet:
Tunc ceſſabunt gemitus & planctus dolorum
Cum adiuncta fueris choris Angelorum.
Nam cantando tranſies ad cœleſtem chorum.
Nupta feliciſſimo Regi ſeculorum.

XXIX.

Litera Philomelæ in cælum receptæ, ad ſororem ſuam Prognen, in exilio circumvolantem.

HOC EST

EPISTOLA ANIMÆ BEATÆ.

Ad Animam piam, ergaſtulo corporis nondum exſolutam,

DE CÆLITUM GAUDIIS.

ELEGIA.

Litera, quam PROGNE lapſam mirata per auras
Cernis; ab ætherijs mittitur iſta plagis.
Si potes impreſſum ceræ cognoſcere nomen:
Candida felicis ſigna ſororis habes.
Vtilis ad notos ſcriptam dimiſſa tabellam
Sæpe Columba tulit: fert PHILOMELA modo:
Sed tu Cecropij peraratum Stemma parentis,
Et Pandionias quærere parce notas.
Vſa fui nivei notis inſignibus AGNI,
Cujus ab irriguo funditur ore dies.
Agnus dat titulos, & nomen, & omnia nobis;
Agni purpureo ſanguine penna madet.
Hinc apices rubros cæleſtis Epiſtola monſtrat:
Infuſcat calamum ſepia nulla meum.
Perlege, quocunque eſt forſan legiſſe juvabit;
Et cupies noſtras viſere prompta domos.
Cum ſimul à terris nos ala repente levaret:
Par votum (memini) non utriusque fuit.
Oppida gaudebas viridi præponere ſilvæ,
Me patulum caveis anteferente nemus.
Vt tamen in cælo ſuccedunt omnia votis:
Sic quoque concordant omnia vota ſibi.
Sive velis intra muros, ſeu degere ruri:
Alliciet forma gratus uterque locus.
Aurea conſurgunt, jactantque palatia culmen:
Auratas turres gemmeus ornat apex.

Mœnia berillo nituntur, jaſpide tecta
  Cælatæ ſolido ſtant adamante fores,
Quáſq; trabes volitans & tignos, vere reverſo
  Quæris, ut ædifices, ſuppeditabit ebur.
Si videas: ſpernes habitata mapalia Mundi
  Altior, & dices: ſordida Terra vale.
Nempe tuæ quid ſunt, niſi nidus hirundinis, urbes?
  Nominis offendor tacta pudore mei.
More avium luteas, Homines ſuſpenditis arces:
  Vile lutum, veſtra eſt regia, vilis humus.
Non tamen idcircò, Superum quia videris aulam,
  Non etiam ſilvas arvaque noſtra probes.
Sunt horti nobis, & in hortis omnia rident.
  Fonte fluens, leni murmure, lympha ſalit:
Pérque tot areolas, quot ſtellas Luna reducit,
  Spargitur, innumeris currere viſa vijs.
Plurima ramoſas extendit populus umbras:
  Nec procul à vitreis ſibilat alnus aquis.
Vivimus hic tutæ folijs non abditus auceps,
  Non latet ad noſtrum fiſtula facta ſonum.
Pax inter ſocias ſunt cum Phœnice Palumbes;
  Ludicra non metuit Spinulus arma Gruis.
Inſ ntes Aquilæ nulli fera bella minantur:
  Cum Merulis placidos ducis Alauda choros
Quotquot Aves ludunt, cantum prius atque probandos
  Arbitrio mores ſuppoſuere meo.
Eſt aliquid, Progne nemus iſtud poſſe mereri:
  Pulſa fuit culpâ non Avis una ſuâ.
Corvus abeſt, upupæq;, & prædo Milvius ater,
  Noctuaque, & nimio Paſſer amore ſalax.
Nec te garrulitas alijs odioſa juvaret:
  Excuſet vitium ni Philomela tuum.
Ipſe adeò Cygnus noſtris arcetur ab Oris
  Nam tremulam vocem jam morientis habet
Perpetuæ gaudens jucundo munere vitæ
  Vivida ſidereus carmina Cœtus amat,
Sed tu cara veni, quamvis dos maxima deſit,
  Nec dederint Muſæ dulcius ore loqui;
Arte tuas aſtuque meo ſupplebo Camœnas.
  Quod ſoror, hoc ipſo jam toleranda venis.

,quoties terras cogit te vertere bruma:
Vt ver invenias hoſpes ubique novum!
s crocus & nardus, ſemperque Favonius afflant.
Neſcimus, quid ſint frigora quidve gelu.
rta manet ſedes, non eſt mutare neceſſum.
Ocyus ad Cæli limen, HIRVNDO, vola.
n modo te volucrem pudet eſſe, & ſcindere ventos?
O utinam pudeat ſortis utramque ſuæ
pereat, qui nos plumis veſtire poeta,
Ludibrio falſi nominis, auſus erat.
xue confictam nunc, ſi ſapis, exue formam,
Non decet humanum mobilis ala genus.
is ea, quæ fueras magno Pandione nata
Vxor ab Iſmario cum peterere proco.
pſa quoque abjeci pridem mendacia vatum:
Cumq; homo ſim, fruſta garrula credor avis.
Scilicet in Manes retinet ni Fabula juris
Libera plebeios effugit umbra jocos.
Ex tot figmentis mihi vox tantummodo manſit:
Cætera ſum mulier, ſed PHILOMELA vocor.
Iamq; alias quatio ſublimis in æthere pennas.
Mens volat, & ſecum corpus ad aſtra levat
Aligeræ, quæ ſit novies diſtincta, Iuventæ,
Non tamen alitibus ſum ſociata feris.
Vix avis impletura manum dicamur Athenis:
Dum tamen in Cælo pulcra puella vocer.
Et vocor, & placeo, reperique implumis amantem:
Nuptaque ſum Regi filia rege ſata.
Si quæris nomen; CHRISTVM ſe nominat Vnctus:
Si formam; facies nulla ſerena magis.
Lumina lacte madent, frontisque eſt læta voluptas;
Et nitet incenſo nigra colore coma,
Largus fundit opes ritu torrentis Iberi:
Quippe manus Hermi divite lavit aqua.
Quo ſedet in ſolio, terris eſt majus Achivis.
Chryſolithis totum fulguras ingenuis.
Quid PROGNE, conferre potes, quid patria duri
Conjugis, æternâ conglaciata nive?
Te miſeram Regio ſeptem-ſubjecta-trioni,

Ve-

Verius exilij nomine digna, tenet.
Sceptra geris Scythiæ: quod nec tamen ipſa negabis,
Barbara terra tua eſt, barbara terra tua eſt.
Finibus Auſonijs latro, pulſuſque Pelaſgis,
In Scythiam ſemper miſſus adulter erat.
Sontes intruſos memoro? parit impia plures:
Inſtar multorum Tereus eſſe poteſt.
Heu, fuge crudelis feralia clauſtra Tyranni.
Nonne tibi nocuit Thracia, nonne mihi?
Thracia: continuis præſens ubi cædibus hoſtis
Paſcitur, & toto tempore ſævit hyems.
Horret & infeſtus rigidis Aquilonibus aër,
Et lævat infauſtam ſtiria ſola ſitim.
In noſtrum ſecede nemus, quod lilia cingunt;
Quod Zephyrus violis ſepijt atque roſis.
Intus pampineis vites in collibus ardent:
Si placet, uva cadit; ſi petis, alba rubet.
Stant immortales radiato vertice cedri:
Legitimi tædas pinus amoris alit.
Virgineæ lauri, myrtuſque uxoria fragrant:
Et palmæ, forti prætereunte, ſtrepunt.
Seſſuris ſeſe platanus, ſurgentibus offert
Malus, & in gremium mitia poma jacit.
Omnia ſi numerans percurrere gaudia vellem;
Culparet Graiâ ſcribere vana fide.
Pauca tamen narro. poſſem tibi plura referre.
Cætera verſiculis clauſa duobus erunt,
Creſcit odora ſeges: ſudant opobalſama truncis:
Prata fluunt oleo: nectare ripa tumet.
Fortè roges: quæ me ſubitò Fortuna beârit:
Vnde favens croceis fulſerit aura rotis.
Opportuna DEVM flexi, precibuſque negantem
Cedere, mollivi fletibus uda meis.
At ne diſplicitus faciei nævus ineſſet,
Sparſimus hyſſopo, diluimuſque ſale.
Queſta putabar Ityn cultro deflere peremptum:
Sed flevi culpas tunc miſeranda meas.
Vbera tundebant pugni: violentior unguis
Ora ſcidit, plagis erubuere genæ.

O quo-

uoties inter ſcopulos præruptaque ſaxa,
xegi noctes planctibus atque dies!
uoties dixi: niſi me meus aſpicit ignis,
rotinus emoriens hac tumulabor humo.
lijt: atque ſuæ ſolatus Martyris æſtum,
Deſtitit optati ſpe cruciare tori.
ârunt gemitus: poſito velamine nigro,
ætior ex illo tempore ſumpta toga eſt.
imus ad thalamum ſoror ô gratare ſorori,
xemplo felix Sponſa futura meo.
cave, ne macula tuus offendatur Amator:
lle oculos, toto corpore, Lyncis habet.
crymare malis, læſâ pietate, peractis.
Non Natum Mater, crimina plange tua:
eſtata truces animos, cœnamque Marito
Appoſitam, coctum, viſcera Patris, Ityn.
ga turpe nefas, calidâ, ter mane, cruentum,
Veſpere ter, plorans ablue corpus aquâ.
x eris electri ſtillantis ab arbore flammâ
Lucidior, nivibus candidiorque tuis.
nc IESUS, tunc quæ genuit pulcherrima IESUM,
Caſta propinabunt oſcula mille tibi.
alibus & quot, jô, tune delicijs langueſces!
O quibus, o quantis ebria lætitijs!
ditura ſonum Sponſi dignantis amare:
Lectulus en floret: rumpe, Decora, moras,
anſijt acris hyems: abijt lacrymabilis imber,
Surge, columbinæ mentis Amica veni.
rturis in noſtro vox eſt audita cubili.
Tu mea DILECTA es, tu SPECIOSA mea.
ſpondebis ad hæc tenero liquefacta calore:
Te video, mea lux! te video, & teneo!
veni tandem quem diligo: nec dimittam.
CANDIDE, tu meus es, tu, RUBICUNDE, meus.
ſuæ Sponſæ titulos iterabit & ignes:
Tu mea DILECTA es, tu SPECIOSA mea.
que tui Sponſi reperes complexibus hærens:
CANDIDE, tu meus es, tu, RUBICUNDE, meus.
lor: an arcano motu præſagio certa?
Certa reor: nam qui ſcribere juſſit AMOR:

Der

Dexter, & arridens idem confidere juſſit.
  Illius hæc etiam eſt Litera ducta manu.
Vt lepidus Puer eſt; modo ſe ſcribentis & ipſe
  Inſeruit digitis, compoſuitque notas:
Et modo ſurreptam mutavit arundine pennam
  Telaque ſubſtituit ſanguine tincta ſuo
Cum votis claudenda foret jam Charta ſupremis,
  Et me ſollicitam cerneret eſſe tui:
Anxia quid dubitas? ſtrictim mihi dixit in aurem:
  PROGNE convenient & PHILOMELA ſimul.
Stent hæc vota precor. non interrupta ſequatur
  Omen, & eventum ſpes habitura ſuum.
Iamque vale: felix, quoties legis ultima verba,
  Si ſtudeas propior ſemper adeſſe mihi.

JACOBI BALDE
è SOCIETATE JESU.

IEPHTIAS
TRAGOEDIA.

CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPI
AC DOMINO

D. IOANNI
WEICHARDO

PRINCIPI AB AUERSPERG,
Comiti in Gottshee & Wels, Domino in Schön & Seiſſenberg, Equiti Velleris Aurei: Supremoque Camerario Ducatus Carniolæ & Marchiæ VVandalorum,

S. CÆS: MAIEST CONSILIARIO intimo, & Conſiliario:

Nec non

Roman: Hungariæque ac Bohemiæ Regis, Supremo Aulæ Præfecto. Supremoque Camerario

DOMINO *meo clementiſſimo*.

QUOD votum Alexandri Magni fuit, optantis à Scriptore celebrari, qualem nactus fuerat Achilles: ego, mutato voti genere feliciùs mihi eveniſſe arbitrabor, aſſecutus, ut, quæ ſcripſi, legantur à Principe; qualem optare pænè immodica cupiditas; impetra-

trare, etiam invidia videri poteſt. Ut ut ſit; præſentem Tragœdiam, CELSISSIME PRINCEPS VVEICHARDE, ad te direxit fama nominis tui; ut auderet alienæ humanitatis præſidio verecundiam ſuam ſuperare. Excubat ad fores Palatij quæſitura molles aditus nec tamen antè petit admitti ad oſculum manûs; quàm ejus originem, mores, indolem formam, habitum inceſſumq; ex me cognoveris. Vate Sulmonenſi teſte, *Omne genus ſcripti gravitate Tragœdia vincens*, altiſſimi ſanguinis & antiquiſſimi Poëma eſt. Inter Conditores ac Majores ſuos numerat Euripidem, Æſchylum, Sophoclem: *Duoſq; Senecas, unicumque Lucanum* nata Athenis, educata Cordubæ, Romæ, ad hujus ſtaturæ magnitudinem perducta.

Ex novem Muſis, ordine Quintam nomine Melpomenen, officij ſui Præſidem agnoſcit, ac velut matrem veneratur. Melpomene autem Dea, ſi quæ ulla in Helicone, Apollini dilecta eſt, tantum non ante Daphnen. Alto paſſu cothurnata inter ſorores incedit. corpore procero, & ad omnem magnificētiam facto. vultus ei nec tetricus, nec mollis. ſerena tamen ac matronalis pulcritudo virgineam faciem miſcet; grandes oculi, ſupercilia denſa: acies oculorum argutè vivida: magis tamen truculenta quàm blanda. pupilla ſiquidem & ejus volubilis ſtella aliquo modo fulgurat, ac intuētes, præſerrim indoctos, ferit. lubricos aſpectus nec patitur, nec facit majeſtatis ſuæ memor, & conſcia. veſtitus illi operoſus & inſignis: ſupra muliebrem cultū militariter etiam horridus. quippe & paludamento & criſtata caſſide præfulget; nec mutat unquam. Variū autem ac diſcolorem habitum Tragœdiis ſuis pro

Ar-

rgumenti varietate concedit. Soli inter Muſas ha-
a permittitur, tanquam Palladis æmulæ: nec non
lypeus , *cujus vaſtos umbo vomit aureus ignes.*
Quod miremur, in illo fædiſſimum animal, *hircum*
ſculptum geſtat. neque hoc ſibi dedecori ducit,
uando & in Ægide Minervæ , monſtrum longè
eformius , caput Meduſæ præſectum ſpectatur.
Nimirum Deæ Symbolis utuntur, non vitijs, ſed
n vitia pugnantibus. ſive hircus præmium olim
fuerit Tragœdorum, quod Horatius innuit: *Carmine qui Tragico vilem certavit ob hircum.* ſive,
quod alij malunt, ut facundiùs coram populo furerent, vino ex hircinis utribus propinato, mentem per commenta Poëtica præcipitatam priùs efferarint; inſultuum divinorum tantò patientiorem
factam. Hanc ergo Pieridem triſtium Theatrorum
ludis præſidere credidit Antiquitas. Quod de Fama quidam cecinit:

Ipſa quid in cœlo rerum, pelagoq; geratur, Et tellure, videt, totumq; inquirit in Orbem, In cœlo quidem ætherio nil lugubre. advertit tamen, ſi Luna cum Sole luctatur, ſi Cometa novus coronatis capitibus diem dicit: ſi flammatæ acies in aere concurrunt: *Si medius ardent in nubibus haſtæ* continuò Vranie conſulitur, num terrifica præſagiat, olim in Scenam producenda. Quoties Regnorum Comitia, fluctuantibus conſilijs , velut in æſtuario fervent: cum Liberalia, Nuptiæ, Sympoſia noctem in diem vertunt; adeſt per ſuos Legatos: ſpeculatur, notat, quæ ſui fori ſunt, hoc eſt, dira & mœſta, lamentis digna. veruntamen cum vili plebe ac ligonibus nihil negotij habet. potentioris Fortunæ Sceptra ponderat ; illuſtria Heroum duntaxat & Heroidum, facta ac Fata diſcutit. Quem in uſum

creditur in varijs Orbis partibus plures Hiſtoric[illegible] diſponere, qui triſtes rerum exitus & inertiæ Sor[illegible] tis ludibria literis mandent, quid enim aliud a[illegible] gunt *Franciſcus Roſſetus* Pariſijs in Gallia; Norim[illegible] bergæ in Germania *Georgius Philippus Harsdorffe*[illegible] *rus*, viri clariſſimi, dum tam diligenter ac ſcitè ex[illegible] emplis Tragicis colligendis animum inten[illegible] dunt.

Equidem huic Divæ à manibus, calamis atqu[illegible] ſecretioribus conſilijs conſtituti mihi eſſe viden[illegible] tur, ut in promptu habeat exhibenda Mortalibu[illegible] mira oſtenta. non me hercule, ut carpat, inſultet, exprobret. neque enim paſcitur miſerijs aliorum ſed in propatulo ponit aliena pericula, Calamita-tes oſtro tinctas; Poſteris monumentum, viventi-bus documentum.

Ecce, hac Parnaſſia Gubernatrice gloriatur Tra-gœdia, & ipſa quoque non multum à Præſide ſu[illegible] abludens, habitu, formâ, moribus. Oculi cæſij: vul-tus ex rubore ſubniger. labia magna, ſonora vox quam cuique affectui attemperare novit. capilli[illegible] modò defluentibus ſqualida, cùm luget: modò i[illegible] nodum acu crinali collectis, cùm gaudet. utitu[illegible] plurimùm tunica recincta, plerumque pulli colori[illegible] quem interior purpura fortiùs accendit. obſerva-tum eſt, ex conſutis ſiparij ſegmentis ſæpe totum ornatum Virginis ſtare. Cæterùm duabus gaude[illegible] Sororibus, diverſi utcunque moris. altera ferociun[illegible] feminarum infortunatos exitus & facinora no[illegible] vulgaria excipit. altera tyrannorum crudelitat[illegible] immanium barbara facta repræſentat. prior Ægy-ptum, Scythiam, Phaſin, Euphratem, Tybrim Thameſim, Sequanam jam olim perluſtravit, ſoli-

t[illegible]

inter Mænades bacchari, rotare thyrſum, decur-
re jugis montium, inſanientis ſpecie. nonnun-
uam viſa eſt in ſepulcra ſe abdere, buſtis egredi,
argere cineres, animare calvas. artificio ſuo re-
ucit Jaſonis Medeam, Theſei Phædram, Clytem-
eſtram Atridæ, Antonij Cleopatram. Prodire co-
it Octavias, Poppæas, Fredegundes, Roſimundas,
Clothildes. refert: quomodo hæc formoſa mon-
tra ferro, venenis, fraudibus, incendijs, libidine
memorabilem ſævitiam exercuerint. Poſterior li-
bentius habitat in Cæſarum Regúmque palatijs,
ſolers indagatrix profanæ vetuſtatis, Perſicæ in
primis Romanæque & Græcæ. Tiberij funeſtos
dies Neronis ebrias noctes perſpectiſſimas ha-
bet. Adſtitit lugubri cœnæ: quum ſarmenticij
homines, ſulphure ac pice fumantes, loco tæda-
rum ad menſam, trabeato fidicini prælucerent.
hodieque monſtrat Caligulæ venefici ciſtas, Do-
mitiani trepidantis phengiten, ſævientis pugio-
nem. Hæc vidit Herculem, Junonis intemperie,
furentem: eundem in Oetæo rogo exſultantem.
Hæc Jocaſtam & Oedipodem ſuis cubilibus ex-
traxit. hæc Thyeſtæis epulis ultrix aſſedit. quin &
ſi quid diritatis fortaſſe noſtri Seculi horror pro-
creat, vulturum more cadaver eminus odorata ſta-
tim advolat. Fuit Lutetiæ. Henrici II: Henrici III.
Henrici IV. Fata ſpectans. Fuit Egræ: quum laniena
fœdavit Liberi patris orgia; & humanus ſanguis
effuſus commiſto vino in pocula redijt. Fuit Lon-
dini; quum diadematum Caroli I caput Varuaxia-
na ſecuri præciſum eſt. Iam verò quidquid cogna-
ti cruoris Othomannica Porta effudit; ingenti po-
culo collectum circumfert; & in tempore ite-

rum per theatra diſpergit. oſtentat acinaces, tiaras: quorum fluentes faſciæ jam texere vertices, mox colla ſtrinxere. Item ſolutis arcubus mirabiles chordas protendit, hodie jaculanti, cras jugulanti idoneas, Turcico ritu.

Utraque Tragœdiæ ſpecies turbido vultu, acri vigore luminum, agitatis horrore comis ſpirat odioſum aliquid: ipſo tamen adhuc tumultu & pompa non diſplicituræ: ſuperbè obambulant: crebriùs mutant veſtigia. iraſcuntur, audent, amant omnia vehementer. ut recipere ſui Senecæ in Med. Oraculum poſſint

Nulla vis flammæ tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti.
Quanta, cum coniux viduata tedis
Ardet & odit.

Media iſtarum, quam in noſtros uſus ſelegimus mediam quoque viam ingreditur: mitior, planâ fronte; non phalerata, aliquo neglectu cupiens apparere comptior. *ampullas & ſeſquipedalia verba* non projicit, niſi ad indignationem ex compoſito ſtimuletur. ſimplici, & quaſi pedeſtri ſermone, tanto altiores ſenſus reconditos profert. ante omnes Senecæ Tragœdias, illi Thebais eſt: paſſim neglecta, ſed per ſuperbam ignorantiam. utitur tamen omnibus: Thyeſte quàm maximè. Sacra potiſſimum Themata perſequi ſtudet, utriuſq; ſexus miſerandis intenta Fatis. Divinarum literarum gnara, exhibet Adamum pœnitentem, Joſephum venditum, Davidem immerita & merita tolerantem. Sub ipſa Nabuchodonoſor mugit Daniel videns tonat, Sedecias cæcus fremit. Eadem cum Machabæis contra Antiochum glorioſè pugnat:

nat: cum Samſone poſt vitiorum virtutúmque alternata certamina fortiter occumbit. Quid? quod in Purpuratorum Chriſti Martyrum acta ſolerter inquirat. Revoluta Catharinæ Rota, ſpectandi Ignatij Leones, taurus Euſtachij, ſi rurſus appareant, hujc debentur. Ubique pedem, ſed in Anglia quodammodo ſedem poſuiſſe videtur. poſt tot annos Tho: Mori generoſam libertatem quotidie reddit illuſtriorem, Annæ Bolenæ famam fædiorem Henricum Octavum ſtultiorem Mariæ Stuartæ Reginæ Scot. cædem indigniorem. Lacrymas hæc Tragœdia in poteſtate habet. flere ſæpe viſa eſt, ſubridere vix unquam, ſplene creditur carere: ſed falſo; premit, ut cæteris affectibus via laxetur.

Talem, CELSISSIME PRINCEPS, Deam; non Latinam Thymelen, non Britannidem pſaltriam, aut Gallam cithariſtriam, multò minùs vagantem Cingaram rogamus denique admitti. Ne metuas adulatricem. Non ſolet prodigere encomia. ſcit, ſummos viros & veras laudes mereri & contemnere. Dabis nunc adeundi licentiam? an adhuc janua Cothurno pulſanda eſt? Ut video oblata manu, renidente vultu, quo Muſas omnes colis, invitas! Ita Humanitatem hanc Superi ament. Permitte nunc ipſam pauca loqui, me tacente, ſtupenda tibi explicabit Fata maximi Principis, ejuſdemque incomparabilis Filiæ. Hic Jephte eſt; hæc Jephtias: Pater ſacerdos, Gnata victima. quo exemplo, quid in humanis rebus ſimile aut Fortuna protulerit, aut Natura paſſa ſit; fateor, nondum vidi, nondum legi. Menœcea Creontis; ut victoriã Thebanis propitiaret, ex turri prolapſũ. vel figmẽtis adſcribo, vel meritò irrideo. quam enim hæc fa-

cilis dementia fuit, temulentum Juvenem ex alto ſuper hoſtes ruere, accedente patris imperio. Brutus filium ſecuri percuſſit, ſed militem, ſed bellica jura temerantem, adeòque jure temerati belli. Sola Iphigenia Agamemnonis in æquum certamen venire putatur. Quod refuto. primò Jephte multis annis anteceſſit, vero facto: Agamemnon ſecutus eſt falſo. nam ſecundum Ovidium, ſicut Mycenidi immolandæ cerva traditur ſuppoſita à Dianâ (quod equidem fabuloſum eſſe nemo non intelligit) ita Mycenis Iphigenia fuit immolanda. hoc eſt, nunquam. Deinde non Sacerdotem egit Atrides, ſed *potuit patrem poſtponere Regi* claſſis moram in Aulide ſoluturo. Tertiò: nemo adhuc Timantem pictorem culpavit, Agamemnonis ora velo obtegentem: quod crederet, coloribus exprimi non poſſe vultum mœſti patris & dolentis filiæ mortem. quantò minus ſuſtinere poterat aſpectum morientis.

Noſtro ævo in Belgio, pater & filius, nobiles, ac militares viri, propter militare flagitium capitis damnati fuerunt. mitigavit ſententiam Martius Judex, reſtrinxitque ad unum, triſti conditione adjectâ; ut alteruter moreretur ſuperſtes, alterius carnifex foret. tum enimverò Natura exercere vires ſuas. vidiſſes utrumque primò ſtupere. deinde in mutuos ruere amplexus & oſcula, manare lacrymis. quiſque mori velle, ut alter vivere poſſet, ingens pietatis certamen exortum eſt. filius patri ſe ſubmittere ad ictum. pater nolle vitam eripere, quam dediſſet: neuter cedere. Poſt longam altercationem & amoris quaſi duellum, Genitor Gnatum torvè intuens, armavit ejus manum; pro

po-

poteſtate imperavit, ut feriret Ita morte ſua filij vitam redempturus, parricidali, nec tamen impiæ dextræ collum ſubjecit, volens ab invito plexus. uſque adeò verum eſt, *Amorem*, licèt ignis ſit, in ſanguine deſcendere potiùs, quàm aſcendere. Quod ſi reus non-ſuſtinuit, vitæ propriæ conſervandæ gratiâ, damnatum aliàs filium occidere: quâ fortitudine Jephten præditum fuiſſe putabimus, qui ſupremus Judex, nullâ culpâ, nullâ poteſtate, nullâ humanâ lege cogente; innocentiſſimã Virginem, unigenam, ſubito caſu in ſacrificium objectam, ſolius religionis cauſſà, Deo in Holocauſtum obtulit. facile eſt, dicere. *fecit ei, ſicut voverat*: ſed non facile erat, *facere, ſicut voverat*. Vt amoris tormentum acueretur, Filia ſe promptiſſimã exhibuit ut dolor patris exulceraretur, erat unica. Diutiùs exercendo bimeſtre tempus definitum; Abrahamo non niſi triduum. interea deterſa eſt caligo ex ſubito occurſu oculos animũq; occupãs: poſuerant venti & animi procellæ: ſic quidẽ, ut novis ſurgentibus, alijs alios alternatim pulſantibus, nihilominùs tandem ad meditatum facinus veniretur. Quocirca non immeritò ſanè, imò prudentiſſimè credi poteſt, nunquam tam inſolitum, omnemque humanæ Fortitudinis modum facinus egreſſũ Heroem Galadinum perpetraturum fuiſſe, niſi divinitus inſtinctum, & virtute ex alto indutum: præſertim ſi conſideremus tunc, aliquem *ſtetiſſe poſt parietem*, *proſpexiſſe per cancellos* immolandum in hac Virgine: quæ ob ſummas dotes vitamque ſponte patriæ impenſam, non tam famæ nobilioris menſuram apud poſteros, quam gloriæ quãdam immanitatem conſecuta eſt. Hæc omnia memo-

rabit præſens Tragœdia. Exponet præterea humanarum rerum inconſtantiſſimas vices. ut cuncta ſubito turbine ſurſum deorſumque volvantur. Exſul regnat: inimici honorant: victor mœret: triumphans gemit, accedentibus monſtris. Hoſtia loquitur, Myſtes dolore mutus horret; mactanda occurrit, percuſſor refugit. Sed mittamus tandem hæc funeſta Jephtæ: Ad te, CELSISSIME PRINCEPS recurrit oratio.

I Decus, I noſtrum, melioribus utere Fatis.

Unum illúdque eximium ad te pertinet. Quod hactenus Jephtæ peculiare fuit, tibi Virtus inclyta commune fecit. Ambo ad ſummæ faſtigium dignitatis evecti eſtis, invitatione, non ambitu ut utrique ex æquo Chorus in Actu primo accinat:

Cum Magiſtratu vacat Aula ſummo:
Principis laus eſt ſpecioſa poſci.
Sceptra votivis precibus petita
De genu ſupplex alius capeſſit.
Regnet ut Iephte, meruit rogari.

In hoc æquas. in aliquo ſuperas. Jephte, poſtquam in Principem electus eſt, eſſe viſus eſt. Tu quia eſſe viſus eras, electus es. Dotes in te Principe dignas Cæſarea vox aperuit, non contulit. Quod vidit, ſanxit. declarando confirmavit. Novum ſpectaculi genus! GLORIAM modeſtiùs accedentem liberaſti metu repulſæ. ipſum HONOREM admittendo honorâſti. Cujus ad majorem cumulum, ut Deus ter Opt. Max. æternæ quoque gloriæ pondus

Digitized by Google

dus adjicere velit, ritè precabimur. Ambergæ. Quinto Idus Februarij. Anno M.DC.LIV.

Jacobus Balde
è Soc. JESU.

AD LECTOREM.

HAbes, Candide Lector, IEPHTIADEN, Tragœdiam; aliquoties olim exhibitã, ſæpius poſtulatam; neſcio, an jam omnium exſpectationi moroſæ reſponſuram. Quod placet uni, diſplicet alteri immò pro diverſitate tẽporum, diverſa ſurgunt ac colliduntur judicia: neque humanæ res aliam tincturam ferunt, mutantur à mutabilibus. Hic plana petit; iſte ſublimia. Hic ſublimitatem conſtituit in arduis ſenſibus, & mediocrium verborum affluxu contentus, ad metam iacula dirigit; iſte in ampullantibus verbis, quantumvis inanibus, totam vim ponit. Ignorantia feroces Momos largo proventu multiplicat, paſſim labiis inſident animæ nigræ: & muſcæ malè otioſæ, peius negotioſæ perdunt unguenta. Quid igitur? nihil horum curandum eſt. gratificatus ſum Amicis. Abſentiam Actorum & debitam perſonis vivacitatem quia iners typi plumbum non inſtaurat, ut quivi, ſupplere conatus ſum Argumenti Tragici Explicatione *diffuſa; & , non nego, per Scenarum ſeriem prolixiore. Cætera Proluſiones docebunt. Liber, cum ſatietas, vel tædia ſoporve irrepunt, deponi poteſt: non item ſi illi Tragœdiæ curſus, campum ſuum ſemel ingreſſæ. Vt autem hæc noſtra ſcriptio longiuſcula videatur; ſcito, Bernardini Stephonii noſtri (quam celebris Tragœdi!) FLAVIAM numero Verſuum nondum æquari. ut permirum videri poſſit, toties cum plauſu expoſitam fuiſſe; niſi ſi integrum diem, ortum occaſumque Solem prorſus inſumpſerit. Dabimus fortaſſe verò nos & alias, ſtilo vet. haut paullo breviores, ſi vita & otium ſuppetant; vix decem foliis ſtaturas Me nunc ſaltem juverit. Germanum popularibus meis, inſuetum per iter, viam ſtraviſſe. Quod ipſum Lyricis ac Satyris tentavimus. Acriora Ingenia pravium minus habile, provocata felicius ſequantur;*

ac, per me licet, ſuperent. Toto anno omnia Theatra Tragœdiis perſonant. eia, producantur in ſtabilem lucem: ne doctos voluptate, Iuventutem eruditione, ornamentis Patriam defraudare cenſeantur.

SAcram virgineam Humanitatem CHRISTI IESV, Filij Dei, Servatoris noſtri, ex Virgine natam, ab æterno Patre, propter ſcelus populi percuſſam; in ejuſdemque ſalutem in Ara Crucis immolatam, exhibemus; in Figura Tragica immolatæ Virginis Filiæ Ieptæ: Secuti duos clariſſimos ſcriptores è Societate noſtra, Nicolaum Serarium, & Iacobũ Salianũ, qui toti in eo argumento ſunt. Ac Salianus quidem T. 2. Annal Eccl, Vet. Teſt. pulcherrimum Iephtæ Patri Epitaphium, Actionis noſtræ Synopſin condidit in hæc verba.

Hic jacet magnus ille Iephte, Galadena Dominus Iſraelitarum gubernator & vindex. ab Othoniele octavus: á Legislatore decimus, quem Providentia divina, de abiectiſſima conditione natalium, ad ſummũ in ſua Republica extulit apicem dignitatis. cuius ſalutem vir patria amantiſſimus antetulit juſtiſſimo dolori ſuo: cuius libertatem Heros fortiſſimus luctuoſiſſima unigenita Filia nece, propriaque orbitate redimere non dubitavit Hic eſt ille Iephte: qui divina inſpirationi obſecutus, divinæq; Tragœdiæ præludẽs *propria filia non pepercit: ſed pro ſuis omnibus, quaſi mercedem victoria tradidit eam; facinusq; perfecit, cui merito ſeculorum omnium grata poſteritas, anniverſaria celebritate gratuletur. Abiit è vivis ſexto Sui principatus Anno. abiit ad vivos, qui in Domino mortui, ſanctitatis præmia ſunt conſecuti; Anno ante Chriſtum milleſimo undeducenteſimo. pari à diluvio intervallo,*

Idem

Idem argumentum ante me tractarunt Georg. Buchananus, Scotus, & Iac, Cornel à Marca, vir clariſſ. Belga Quum noſtram Scenam adornaremus Ingolſtadij ſanè neutrum legeramus. Alterius videndi cura non tetigerat animum: alterius nomen & fama, nec aures. Poſteà utrumq; nactus, perluſtrando comperi; etiã tertiæ falci meſſem relictam eſſe Vt tanto fidentiùs noſtra quoque publicæ luci dare ſtatuerimus, amicorum efflagitantium deſiderijs obſecuti Diverſis Opinionibus agimur. Neuter ex illis ad Myſterium aſſurgit. Neuter aliquid cœleſte divinumq; in hujus Virginis Fato agnoſcit. Ambo morantur tantummodo in barbara feritate Iephtæ crucianda quippe à Saliani ſententia diſcordes, in cujus tamen gratiam me Cothurnum induiſſe profiteor. Itaque neceſſariò aliud Theatrum mihi fabricandũ erat: alio apparatu rerum utendum: non minus, quam ad ſolis ortũ vel occaſum tẽdentibus diverſæ viæ ſunt ineundæ Tanto autem Belgam meliorem reperi Scoto, quantò idem verâ Fide caſtiſq; moribus præſtantior eſt. De hac Tragœdia invenies Oden cantatam in Lyricis noſtris, l. 1. Od. 33. Miraberis ſeriùs editam, cùm jam multa Poëmata vulgaverim. Si reſpondeam, gravioris armaturæ militiam, ex uſu belli, tardiùs procedere: quid porrò argues? Deinde, dum quovis Anno aliam atque aliam ſcribendi canendique materiam ſuggerente, in varia dilapſus Argumenta, prælum novis inventionibus exerceo; pæne Veterum oblivia ſubiere. quin & diſpendia. Nam exemplar Dominicum per Provinciam diſtulerant Venti, contra quos excipit Æneas, rogans Virgilianam Sibyllam:

Tantum folijs ne Carmina manda:
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Quare ex fuga retrahenda fuerunt. Acceſſit poſtremò perturbatio aliqua temporum, inimica bonis Muſis. Vti enim quidam illas minimè colunt, ita Cultores illarum maximè deſtituunt. Hoſtibus imputemus, quod jam ſæpe boum maior cura ſit, quàm Pegaſi. Auctoris Vaticinium quod habetur lib. 2. Lyr. Od. ult. circa fin. putes impletum. *Coniurant ſilveſcere Fauni.*

Argumentum Tragœdiæ ex S. Scriptura.

Iud. c. 10. & 11.

Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philiſthiim, & filiorum Ammon. Afflictiq; ſunt & vehementer oppreſſi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Iordanem, in terra Amorrhei, qui eſt in Galaad in tantum, ut filii Ammon, Iordane tranſmiſſo, vaſtarent Iudam, & Beniamin, & Ephraim. Afflictusque eſt Iſrael nimis. Et clamantes ad Dominum dixerunt: peccavimus tibi; quia dereliquimus Dominum Deum noſtrum, & ſervivimus Baalim, &c. Quibus locutus eſt Dominus. Reliquiſtis me, & coluiſtis Deos alienos. Idcirco non addam, ut ultra vos liberem. Ite, & invocate Deos, quos elegiſtis. Dixeruntque filii Iſrael ad Dominum, peccavimus. Quæ dicentes omnia de finibus ſuis alienorum Deorum idola proiecerunt, & ſervierunt Domino Deo. Qui doluit ſuper miſeriis eorum. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria. contra quos congregati filii Iſrael in Maſpha caſtra metati ſunt. Dixeruntq; principes Galaad ſinguli ad proximos ſuos, Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit Dux populi Galaad. Fuit illo tempore Iephte Galaadites vir fortiſſimus, atq; pugnator: filius mulieris meretricis, qui natus eſt de Galaad, Habuit autem Galaad uxorem, de qua ſuſcepit filios: qui poſtquam creverunt, eiecerunt Iephte dicentes. Heres in domo Patris noſtri eſſe non poteris: quia de altera matre natus es. quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob. congregatiq; ad eum ſunt viri inopes & latrocinantes: & quaſi principem ſequebantur. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Iſrael. Quibus acriter inſtantibus perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium ſui Iephte de terra Tob, dixeruntque ad eum. Veni, & eſto princeps noſter: & pugna contra filios Ammon. Quibus ille reſpondit: nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi! Dixeruntque Principes Galaad ad Iephte: ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus. ut proficiſcaris nobiſcum, & pugnes contra filios Ammon, ſiſq; dux omnium qui habitant in Galaad. Iephte quoque dixit eis: ſi vere veni-

veniſtis ad me,ut pugnem pro vobis contra filios Ammon,tradideritq; eos Dominus in manus meas,ego ero veſter princeps Qui reſponderunt ei: Dominus qui hæc audit,ipſe mediator ac teſtis eſt,quod noſtra promiſſa faciemus. Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem ſui. Locutusq; eſt Iephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſpha. *Et miſit nuncios ad Regem filiorum Ammon,qui ex perſona ſua dicerent. Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me,ut vaſtares terram meam? Quibus ille reſpondit, Quia tulit Iſrael terram meam,quando aſcendit de Ægypto,à finibus Arnon uſque Iaboc atq; Iordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. per quos rurſum mandavit Iephte,& imperavit eis,ut dicerent Regi Ammon. Hæc dicit Iephte: non tulit Iſrael terram Moab,&c. Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus,tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit,in noſtram cedent poſſeſſionem &c Igitur non ego pecco in te,ſed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non iuſta. Iudicet Dominus arbiter huius diei inter Iſrael & inter filios Ammon. Noluitque acquieſcere rex filiorum Ammon verbis Iephte,quæ per nuncios mandaverat.* Factus eſt ergo ſuper Iephte ſpiritus Domini: *& circuiens Galaad & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad & inde tranſiens ad filios Ammon, votum vovit Domino dicens:* Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunq; primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ,mihiq; occurrerit revertenti cũ pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino *Tranſiuitque Iephte ad filios Ammon ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius,percuſſitq; ab Aroer uſque dum venias in Menith, viginti civitates,& uſque ad Abel quæ eſt vineis conſita,plaga magna nimis: humiliatiq; ſunt filij Ammon à filijs Iſrael. Revertente autem Iephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei Vnigenita filia ſua cum tympanis & choris,non enim habebat alios liberos. Qua viſa, ſcidit veſtimenta ſua,& ait.* Heu me,filia mea, decepiſti me, & ipſa decepta es. *Aperui enim os meum ad Dominum: & aliud facere non poſſum. Cui illa reſpondit:* Pater mi: Si aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunq; pollicitus es conceſſa tibi vltione atq; victoria de hoſtibus tuis *Dixitq; ad Patrem: Hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor. dimitte*

mitte me, ut duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Cui ille reſpondit: Vade. Et dimiſit eam duobus menſibus. Cumq; abijſſet cum ſocijs ac ſodalibus ſuis: flebat virginitatem ſuam in montibus. Expletiſq; duobus menſibus, reverſa eſt ad patrem ſuum. & fecit ei, ſicut voverat. *quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Iſrael, & conſuetudo ſervata eſt: ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ* Iſrael, *& plangant filiam Iephte Galaaditæ, diebus quatuor.*

Accipe ejuſdem argementi ex prædictis Auctoribus & Cornel Cornelij à Lapide brevem commentarium.

Iephte Galaadites. Pater ei fuerat Galaad hoc ipſum & loci nomen eſt Pererius putat fuiſſe è tribu Manaſſeâ.

Habitavit in terra Tob. Vel Galaaditidis parte, vel finitima. Ibi ſtipendia ab opulento principe acceperit. *Sal.* ſæpè victor evaſerat: ſpolijſq; hoſtilibus toties potitus cœpit inclareſcere, inde nominis fama, & tandē delati principatus occaſio. *Ser.* Nota, ſpurius Iephte non fuit injuſtè privatus hereditate paterna, è paternis verò ædibus injuſtè videtur exterminatus. *Ser.* quia & illi jure communi alimenta debebantur. *Corn.* Tametſi ſcriptum ſit Deut. 23. non ingredietur Manzer (Spurius) in Eccleſiam Dei, id eſt, hereditatem, publica munera, &c putat *Ser.* inſtinctu divino in principem electum eſſe, Vt intelligas, eundem & cætera, quæ conſecuta ſunt, promoviſſe.

Congregatique ad eum ſunt viri inopes & latrocinantes. Milites prædabundi, qui prædas ex hoſte captando ſe ſuſtentabant. *Ser.* Forte antea injuſtè rapiebant aliena: ſed poſtquam Iephten ſecuti ſunt, non niſi juſtas poſt ab Ammonitis & Philiſthæis prædas egerant *Corn.* Latro autem priſcis idem erat, quod miles, tanquam lateri Ducis adhærens: vel à latendo, ex inſidijs hoſtē adoriri ſolitus.

Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad, &c. Tempus delati & inchoati principatus, cum maxime furerent Ammonitæ contigit poſt decimum octavum graviſſimæ ſervitutis annum. *Ser.*

In Maſpha. Maſpha caſtellum ſpeculatorium, aliquot erant, hoc trans Iordanem, ubi convenerant Galaaditæ, ut contra Ammonitas Iephtæ principatum confirmarent. *Sal. Corn.*

Quà

Quæ poſſidet Chamos Deus tuus, &c. argumentum eſt tantùm ad hominem. Chamos idolum Ammonitarum turpiſſimum, vel Deus muſcarum, vel Comus, id eſt Bachus, nec non Priapus, ſimulacrum monſtrificis coloribus ac membris diſtinctum *Ser.*

Noluitque acquieſcere R. fil; Ammon. juxta illud Luc. quemque ſuæ rapiunt ſcelerata in prælia cauſæ.

Factus eſt ergo ſuper Iephte ſpiritus, fortitudinis. ſumitur hic fortitudo pro animi corporique vigore, quod Dei donum ſit, vel tantùmodo gratuitum; nullam tamen omnino gratiam & ſanctitatem infundens: vel, quod veriſimilius, aliquam infundens & imprimens. *Ser.* Ex *Corn.* ſic: Immiſit Deus Iephtæ ſpiritum fortitudinis; ardoris, & Zeli ad capeſſendum bellum contra iniquum R. Ammon. eòque impulſus convocavit ad illud incolas Galaad, & tribus Manaſſæ, & Maſpha Galaad. id eſt Maſpha, quæ eſt in extremis terminis Galaad, verſus montes Libanum & Hermon, his enim maximè & proximè imminebant vicini hoſtes Ammonitæ.

Quicunque primus fuerit egreſſus. ſive pecus ſive homo ut volunt apud *Ser.* Procopius, S. Chryſ. D. Th. Lyranus. cùm interim Iephte in particulari nihil determinaret. *Sal.*

Quæritur, an peccârit? *Vovendo: non reddendo* S. Ambroſius. *Reddendo: non vovendo* S. Th. *Vovendo & reddendo.* Tertull. Nazian. Procop. Chryſ. apud *Corn.* qui tamen mediam viam ingreditur. per ſe illicitum votum ſine noxa expleviſſe excuſari Iephten poſſe, vel à toto, vel à parte per ignorantiam & Religionis Zelum, quod ſimplici candido ac pio animo putaret ſe hoc voto obligari ad filiam immolandam; eò quod ipſa prima ſibi occurriſſet. Erat enim rude hoc ſæculum & caſuum conſcientiæ ignarum. Ac Iephte erat homo militaris. milites antem putant ſe ſuis juramentis & votis etiam perperam factis obligari ex religione & veneratione, quam debent Deo. Ita S. Hier in cap. 7. Ier excuſat Iephten per ignorantiam invincibilem. quod intentio offerentis eſſet bona; etiamſi oblatio mala, eò quod illo rudi ævo non eſſet Propheta, imò nec ſummus Sacerdos, ait Abul qui ſciret hunc caſum reſoluere, Huc uſque *Corn*, quæ ſua

peraddit, ex *Ser.* citat, excuſante Iephtæ factum. I. Quia cùm Dei veri cultus tam ſæpe, & tam diu collapſus eſſet (poſt tot irruptiones hoſtiles & Apoſtaſias Iſraeliticas) ea jam apud Iſraelitas obtinuerat opinio è Gentilium erroribus petita, Deo iſtiuſmodi ſacrificium gratum eſſe. II. Exemplum Abrahami reſpiciebat, ſicque illum rectè imitari putabat: & fortaſſè, ut indicat D. Aug. ſperabat, ſi ſacrificium Deo gratum non eſſet, impeditum iri inſtar illius Abrahami. Gen. 22. III. Magna etiam in eo ſidei laus fuit, quod, ut idem notat Aug. maluerit votum reddere, quàm dolori ſuo obſequi. IV. Credebat, inquit idem Aug. hanc Virginis animam bene recipi, ſeu in cœlum evolare, quæ non ſeipſam voverat immolandam: ſed voto & voluntati non reſtiterat patris, & Dei ſecuta fuerat judicium. V. Boni communis publicæque ſalutis erat peramans; ideóque verebatur, ne ſi votum nō expleret, indignaretur Dominus, ac ſe populúmque totum calamitate afficeret aliqua VI Valde ipſum movebat, quòd tam nobilem de tam ferocibus ac ſuperbis hoſtibus, ſtatim poſt votum adeptus eſſet victoriam; ut certò perſuaderet ſuum Deo haut diſplicuiſſe votum; ideóque ipſi à ſe jam ſatisfaciendum. Claudit *Corn.* hoc punctum. Hinc Iephte à nullo Propheta vel Pontifice legitur reprehenſus; ſed ab Apoſtolo & Eccleſiaſtico laudatus. Cur ergo nos eum damnemus? Hæc ideò quoque proferre placuit, quod in Tragœdia pleniùs intelligenda ſuum uſum habeant.

Dicendum tamen: Iephten & ſanctè votum concepiſſe & ſanctè explêſſe, quod infra probabitur.

Percuſſitque ab Aroer Civitate: quam Moabitis olim eripuerat Amorrhæus Rex Sehon; victo Sehoni Iſraelitæ: ab iiſdem per trecentos annos habitata. *Sal. Ser.*

Uſque dum venias in Menith. Vrbem in Hammonitarum termino, non procul Rabba, meridiem verſus. *Sal.*

Plaga magna nimis fuit ergo & victoria magna nimis, luculenta, & magnæ fortitudinis, adde & inſoliti voti effectus.

Humiliatique ſunt filii Ammon. Confirmatio. iſto loquendi modo ſcriptura ſemper aliquid vehemens ſignificat.

Occur-

Occurrit ei Vnigenita filia ſua, cum tympanis & choris. Maximis lætitiæ ſignis, ut illa tempora ferebant, derivata conſuetudine à Maria ſorore Moyſis. *Ser.* Porrò *S.* Iuſtinus q. 99. ad Orthodoxos. apud *Corn.* hîc ait: Diabolum feciſſe, ut filia cùm cithara gratulans patri victoriam, prima occurreret, ut Iephte filiæ unicæ amantiſſimus votum violaret. Iephten verò hanc tentationem viciſſe, ac filiam votam immolâſse, ad teſtandam ſuam erga Deum pietatem: ideóque cum Catalogo *SS* eſſe adſcriptum.

Qua viſa ſcidit veſtimenta ſua. More plangentium Iudæorum. Mirum! in medio triumphi tumultu, viſa filiâ ſtatim paternam mentem ſubiit voti reddendi neceſſitas.

Et aliud facere non potero. Quaſi dicat: Votum jam editum retractare nequeo. quare ex illo utpote primò occurrentem immolare debeo. Addit *Corn.* Hinc patet. Iephten non intendiſſe vovere ſolum animal immolabile, ſed & hominem, imò filiam, ſi primò occurreret, ſic enim ipſe illud hîc interpretatur. Nemo autem melior eſt mentis & voti ſui interpres, quàm vovens. Quod tamen, *Ser* non probat, ſentiens nihil determinatè voluiſſe, Terror hoſtium & inſultatio, in procinctu ſtantis ardor, impetus bellandi, communis boni periculum, tam exactum voti modum non expreſſerant.

Fac mihi quodcunque pollicitus es. Vide & admirare in hac filia animos, obedientiam, religionem, & amorē patriæ quibus ſe morti & immolationi generoſè & alacriter offert. potuiſſet enim ipſa patri replicare. Ego non vovi me Deo immolare. Nec tu, ó Pater, es vitæ meæ Dominus, ut me invitam devovere & mactare poſſis. Nolo ergo adoleſcentula & illiberis mori quare votum tuū irrito & diſſoluo. ſed noluit. Timebat enim, ne, ſi ipſa mortem recuſaret, pœna violati voti in patrem & patriā recideret: ac victoria accepta in cladem converteretur. *Corn.* Porrò Deus id fieri permiſit, ait *Ser.* gravibus de cauſis. I. eſt: ut mortis, quam Chriſtus Dominus cauſâ noſtrâ. non voluntate tantùm ac deſiderio, ſed effectu etiam ac re ipſâ perlaturus erat, figura eſſet clariſſima. II. Vt ſplendeſceret magis Iephtæ fides, & ſumma erga Deum

Deum religio; à qua cum neque rei tam charæ amiſſio, neque poſteritatis amor, neque præſentis futuríque temporis tam acerbum vulnus deducere potuiſſent. III. Vt ſimiliter eximia tenerrimæ Virgunculæ fides, ergà Deum religio, erga patrem patriámque totam pietas, & præcellens animi magnitudo, velut ſpeculum, in quod Orbis terrarum totus poſſet intueri, publicè ſtatueretur. IV. Vt intelligeret Mundus univerſus, quàm accuratè, diligenter & inviolatê, quocunque vel conſilio bono vel divino monitu ac inſtinctu vota eſſent, Deo reddi deberent, etiamſi mille graviſſimæ occurrerent difficultates.

Dimitte me! ut plangam virginitatem meam. id eſt, ætatem meam virginalem nuptiis opportunam, ſed ſterilitate ex voto patris damnatam ſine prole & herede mori, erat illo ævo triſte ac dedecoroſum. *Corn.* Credebatur autem eſſe gratiſſimum Deo, populum illum augere ſobole: ut Abrahæ ſemen ſtellarum inſtar multiplicaretur; ex eáque poſteritate naſceretur demum Meſſias Quæ ratio jam poſt adventum Chriſti ceſſat. Virginitas ante fœcunditatem commendatur. *Ser.* Cur in montibus? Non ut Rabini fabulantur, Prophetas & doctos quærens, an teneretur, ſed quia hæc loca reſonant plangoribus. *Ser.* Verbo: quòd tota illa regio montoſa ſit *Corn.* apud quem vide & Threnum filiæ Iephtæ ex Philone Biblico.

Duobus menſibus. Non annum petiit, duos tantùm menſes. An imminebat etiam feſtivitas? Iuſtè conceſſum hoc tempus Vterque in re tam gravi cauſas habuit ſuas. *Ser.* Reverſa eſt ad patrem ſuum. Non poterat elabi, fugere? ſuadentibus aliis tardare? *Ser.* Audi S. Ambr. Quod in ſpectatis viris plenum miraculi eſt: hoc in virgine multò magnificentius, multóque illuſtrius deprehenditur. Nec fletus æqualium movit puellam, nec dolor inflexit, nec gemitus retardavit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem, tanquam ſi ad votum rediret & voluntate propriâ cunctantem impulit, &c ex *Corn.*

Fecit ei ſicut voverat. Rabini & ex eis Lyranus, Vatabl. tradunt, ſcribas & ſapientes Hebræorum, intellecto hoc Iephtæ voto, conſultos reſpondiſſe, poſſe mortem filiæ naturalem, à patre voto promiſſam, commutari in mor-

mortem civilem, videlicet in vitam religioſam & caſtam. itáque factum eſſe. Quare filiam hanc non fuiſſe occiſam à patre ſed feciſſe ſe Nazaræam, id eſt religioſam & quaſi monialem. Verùm ſententia hæc falſa eſt, & planè repugnat huic verſui. *Fecit ei, ſicut voverat* atqui voverat eam Deo non tantum mactare, ſed & in holocauſtum offerre, id eſt, jugulatam totam cremare & comburere in honorem Dei (hoc enim exigebat holocauſtum) ergo revera eam jugulavit & cremavit. Ita ſentiunt apud *Corn.* S. Aug. Beda Procop. Rupert. Abul S. Ambr. Ser. Sal. Tertull. S. Hier. D. Th. Suar Leſs. Azor, aliique paſſim. Iudæorum figmentum eò ſpectat: ne filii Dei Chriſti IESU, Meſſiæ noſtri (quem veniſſe negant, multò minùs perfidiæ Iudaicæ tormentis ſublatum) à patre ſacrificati aliquis hinc typus ducatur. *Ser. Nulla enim illius expreſſior fuit figura, quàm hæc filia virgo immolata à patre pro ſalute Iſraelis Sal. Corn.* Fuit utique clariſſima & Iſaac immolandus, ſed tantùm immolandus. Subſtitutus enim fuit Aries in vepribus, præſignavit ille pro Mundi peccatis, non purum hominem, ſed Dei filium ex Virgine incarnandum, in conſummatum ſacrificium, Deo Patri offerendum eſſe. Futuri autem erant Hæretici, Manichæi, Baſilides, aliique; qui dicerent Chriſtum non verè paſſum, ſed tantum in phantaſtico, aërio corpore, vel ſubſtituto Simone Cyrenæo; (quemadmodum Aries Iſaaco, ac pòſt In fabulis, Iphigeniæ cerua ſubſtituti fuere) decuit ergo in tanta Myſterii dignitate, quod haud dubiè Chriſtianæ religionis caput eſt; reali morte unigenitæ Filiæ, nocentiſſimis erroribus occurrere. *Dices.* Deus ergo crudelis. Reſpondet *Serarius.* Hoc quidem hinc Ethnici objiciunt. ſed qui jus habet in nihilum etiam redigendi, petiit ob altiſſimas cauſas ſemel verum hominis holocauſtum: ſemel voluntarium, ſed effectum impedivit, quanta ergo crudelitas!

Denique idem Auctor, præeunte S. Anſelmo, ſequente Saliano, non obſcurè faventibus aliis, præſertim SS: Hier. & Auguſt. Iephtæum votum ac ſacrificium ſic defendit abſoluítque. & æternitati conſecrat. præter enim ſupra dicta; I. Spiritus idem in Iephte fuit, qui in Othoniele;

 niele;

niele, Gedeone. At is non ſolùm corporis animíque vim ad bellandum dedit; ſed etiam ad religionem cultúmque Dei augendum II. Inſtinctum à Deo hoc votum ediddiſſe hinc convincas. Niſi enim ſpiritui, qui in Iephte fuit, votum votíque hujus effectus adſcribatur, otioſus pæne fuiſſet ſpiritus, neque præclarum aliquid egiſſet. Nam vel ſolius in Ammonitas tranſitûs fuiſſet cauſa; quod equidem nil magni; vel etiam victoriæ, ſi hoc meritò etiam exiſtimandus idem ſpiritus cauſa ejus, quod inter tranſitum illum & victoriam interponitur; ſimúlque cum tranſitu & victoria deſcribitur, voti ſcilicet. Fuit cauſa primi & medii: victoriæ cauſa Deus (filia certè ſtatim illi adſcripſerat) utique & voti: ob quod dedit. conſidera verba. *Si tradideris*, &c ſequitur. *quos tradidit in manus eius*. Conditio annexa fuit, qua impleta pater meritò ſe putavit obligatum. *Ser.* III. Nulla in Scriptura reprehenſio Iephtæ, vel in vovendo ejus inconſiderantiæ ac temeritatis, vel in reddendo crudelitatis ſumma potiùs laus. 1. Reg 12. Hebr. 11. IV. Mirandum, cùm omni tempore quidam timorati & periti ſint, non fuiſſe commonitum, non abſterritum. D. Non emanavit, R. Falſum eſt Laceravit pater veſtes, ingemuit publicè occurrit Virgo Datum ſpatium 2 menſium, &c. V. De nulla ipſius pœnitentia conſtat. quando enim? antè vel pòſt? & tamen viri apud Canonicos ſcriptores laudatiſſimi barbarum hoc facinus, ſi quidem tale, dubio procul ad omnium hominum horrorem redarguiſſent. VI. Iophtæ fides laudatur, Hebr. 11. Vbi autem magis apparet, quàm in hoc facto? VII. Abrahami obedientia, & ſacrificium in maſculo ſtetit debebat etiam in femina (quæ prima ſeduxit) Chriſti Caro moritura præfigurari, verà morte: & verè virginea caro interimi. Quam autem filia prona fuit? in ipſo veſtigio conſenſit, *fac mihi quodcunque pollicitus es.* Dum omnia armis fulgent, dum pompa & lætitiæ fervent, cùm ſubitò omnia horrore mutarentur, ſtetit animo. tenera virguncula mortis ſententiæ addicit. de victoria exſultat, patriæ bono ſe impendere parata eſt, gratulatur patri. Hos impetus, pari conſtantia, mollis ſexus non protrudit. D. Tranſgreſſus eſt Iephte Naturæ legem. R. Quidquid jubente, excitante Deo fit, non

non eſt peccatum. Abraham animo jam jugulaverat Iſaacum. D. Cur Deus gladium ſimiliter non avertit? R. Ob rationes ſupra dictas.

Exinde mos increbuit, &c. ut plangant Filiam Iephtæ diebus quatuor. Funebribus encomiis & querelis illos quotannis exegerunt. *Cur?* I. Ob præclariſſimi facinoris memoriam. II. Vt intelligeretur, vota quantumvis difficilia reddenda eſſe. III. Vt quæ gaudii cum tympanis fuerant conſortes, eſſent & luctûs. *Ser.*

Figura & Figurati, Filia Iephta & Humanitatu Chriſti, Vnigenita & Vnigeniti Comparatio.

I. Iephtias, virgo obiit: Chriſtus, etiam ex virgine natus, uterque in florentiſſima ætate. II. *Filiæ* fecit Iephte, ſicut voverat: Chriſto Pater, ſicut ordinaverat. III. Illa ex voto Patris immolata; Hic ex decreto. IV. Vterque pro totius ſalute populi voluntaria victima. Vterque morte ſua patrem honorare voluit, dicendo. *Fac mihi, ſicut pollicitus es.* Et quidem Chriſti agonem, ſicut à Iephtiade repræſentatur, clariſſimè deſcripſit Iſaias c. 53. V. Illa planxit priùs Virginitatem ſuam in Montibus. Hic deflevit ſterilitatem ſuam, ratione effœtæ & infructuoſæ Synagogæ. flevit ſuper Ieruſalem. *O ſi cognoviſſes & tu, &c.* Montes Chriſti notiſſimi; Mons Thabor, mons Oliveti, mons Calvariæ. VI. Duo menſes, ſunt figura Chriſti ambulantis ſuper terram, ante mortem. Quid nocet, ipſos duos menſes intelligere, qui paſſionem proximè præceſſerunt. *Ser.* VII Iephtias expleto tempore redivit ad Patrem, Chriſtus de ſe ipſo. *Exivi à Patre, & veni in Mundum: iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem.* Cúmque ſe aliquoties impiis manibus Iudæorum ſubduxiſſet? tamen tempore decreto divinitus, rediit Hieroſolymam immolandus VIII. Hinc mos: ut quotannis in Eccleſia, quatuor diebus potiſſimùm ſanctioris habdomadæ, feria IV. V. VI. & Sabbato mortis Vnigeniti filii Dei luctuoſiſſima memoria renovetur. Hinc Threni Hieremiæ. Hinc æris campani Foríque inſtitium: crepitacula lignea. Muſica nulla. ſolæ exequiales laudes amantiſſimi Domini, pro omnibus in mortem traditi, ex cathedra peraguntur. cætera luctu & ſilentio torpent.

Nota,

Nota. Samaritani, Sichimitæ, quotannis ſacrificium filiæ Iephtæ, ut Deæ inſtaurârunt, impiè quidem, vide tamen, quò Virtutis fama percrebuit. Ad quantam dignitatem vel figura Chriſti aſſurrexerit. At enim Figurati vera & per Orbem decantata Divinitas, & ſepulcrum eſt glorioſum. *Ser.*

Aliqua circa Oeconomiam Tragœdiæ obſervanda.

I. JEphtæ filiam Philo *Seilam* appellat. ſed certi nihil habetur, Nos *Menulemam* vocamus, cauſas accipe. Non alibi facilè leges, Chriſti Domini typum à puella expreſſum. expreſſit Iephtias, Menulema à nobis dicta, hoc eſt, tranſpoſitis per anagramma literis Emmanuel; nobiſcum Deus: proprium utique Verbi Incarnati & digniſſimum Nomen, Iſa. c. 7. Matth. I. *Qui ſemetipſum exinanivit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus; & habitu inventus ut homo*, dignatus eſt á femina præſignari, formam Virginis accipiens, in ſimilitudinem Virginis factus, & habitu inventus ut Virgo. Qua ſpecie apparuiſſe quoque ſcimus Gregorio Nazianceno & Laurentio Iuſtiniano: habuiſſeque olim templa titulo S Sophiæ dedicata; nuncupatione æterni Patris Sapientiæ conformi. quem loquendi exhibendíque modum multò antè Iephtias, amabilis Chriſti figura ſuggeſſit, Ex hoc puncto plura deduximus. II. Quum enim Tragœdo intra ſepta ſua coercito, quàm minimum liceat; neceſſariò ſaltem conceſſæ illecebræ ex ingenio conquirendæ erant. Criſtatas acies, ſpectacula, volantes Dædalos, machinas peregrini artificii, monſtra, grallas, petauros, frugalis paupertas non admittebat. Sed neque Horatianæ leges. quibus monemur Medeas, dum cruentè ſæviunt, dum lacerant infantes &c. ſubducere. Atqui ſacrificium filiæ Iephtæ ſi intus peragitur; quid reſtat; inquies, niſi faſtidioſa comploratio, dolor mutus, perſonata calamitas: ubi ſpectatorum eventibus inhiantium pathetica voluptas: ubi oculorum curioſa incendia: aurium horror, animorum affectus, pectorum in læto pavore ſubſultus: An igitur
hæc

hæc omnia pendent ex auro ! an Tragicum nihil eſt, niſi quod pretioſum ! Non poſſumus tenues Helenam divitem pingere: pingamus, ut quimus, formoſam. Hoc conati ſumus. Sumptuoſis Comicorum Phœnomenis unicum militem Ægyptium ſubſtituimus, totius Tragœdiæ pondus ſubeuntem, & quaſi animam. ut ex decurſu patebit. Hic miles Ariphanaſſo eſt, quondam inter latrones aſſecla Iephtæ præcipuus. quæ fiducia hominis. Principis Filiam Iephtiaden caſtis amoribus ambit. ſpe potiundæ ejurat patrios Deos, obſtaculum ſpei, fit proſelytus. Hebræis accenſetur. Approbare ſe geſtiens procus, contra Ammonem profectus in omnia belli diſcrimina vadit, jugalem coronam meriturus. Vt autem à Fortuna circumagitur ! ut lamentabili Fato denique ſe fruſtratum ſentit, conqueritur, ingemiſcit! Meliùs legendo cognoſces. Triſtis Hiſtoriæ exitus & inſperata viciſſitudo, quam Menulemæ fatalis occurſus interitúſque miſcuerunt, commodiùs exhauriri, certè exhiberi non poterant, quàm Perſonæ occiſam Iephtiaden amantis atque lugentis conſortio. Quod ipſum pietatis Myſterio vacare noluimus. Quid Cantico Canticorum celebrius: illud occaſione Nuptiarum cum filia Pharaonis ſcripſiſſe Salomonem cenſet Cornelius noſter In Prolegomenis quare ad eam grammaticè alludit, vocans filiam Principis: & cùm ait, cap. I. v. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te* omninóque ante lapſum ſcripſiſſe, colligi poſſe putant Salmeron Bellarm lib. I. de verbo Dei cap. 5. hîc apud eundem Cornelium à Lapide. Vtque hæc ſententia inter aliquos controverſa ſit: illud tamen in confeſſo eſt, Cantico iſto Chriſti & Eccleſiæ amores exprimi. Audi S. Hieron. in Prologo galeato. *Salomon in Cantico Eccleſiam iungit & Chriſtum, ſanctarúmque nuptiarum dulce canit Epithalamium.* Honorius Auguſtodunenſis ait, ſenſum literalem eſſe de Filia Pharaonis, allegoricum de Eccleſia, & quæcunque Anima ad Chriſtum converſa. Quibus autem quantíſque Pharaoniſſa ſuſpiriis quærit Salomonem ſuum, *ut oſculetur oſculo oris ſui* ! ſi typum ſpectes; Eccleſia gentium infidelitate *nigra*, ſed poſtea fide *formoſa, ſurgit & circuit civitatem, per vicos & plateas quærens Dilectum ſuum ex dilecto*, Chriſtum

Ieſum

Ieſum dignantem in Sponſi nomen ire. Ita S. Chryſoſt. Homil 1. de virt. S. Ambr. ſerm. 2. pſal. 118. S. Bern. ſerm. 25 in Cant, Nos ex adverſo ludimus. Chriſti ſacram Humanitatem Menulemæ virginis ſpecie tectam, revera tamen viri; vir Ægyptius concupiſcit, revera tamen puella ſicut enim *Menulema* tenerâ inflexione poſitâ, in virile nomen *Emmanuelis* commutari poteſt; ita *Ariphanaſſo* in femineum *Pharaoniſſa*, explica & repone literas hujus nominis; ſuaviore ſono pronuncianda, non *Ariphanaſſi*, ſed *Pharaoniſſa* tibi occurret; ingerétque faces illius tædæ nuptialis, quam cœleſte Salomonis Epithalamium accendit III Cùm in Act 2. Scena. 2. legeris, *Herculea manu colla deiecta*: nolim, credas, Herculem fuiſſe Samſonis ſynchronum, quod tamen aliqui tradidere. Iephte & Ammone longè vetuſtiorem faciunt Evander apud Virgilium, Æneæ certamen Herculis cum Caco memorans; itemque Achelous apud Ovidium, quamvis fabularum ætates aſtruere vel indagare, pæne ſupervacaneum videatur; non minùs, quàm diſcere numerum Sirenum, vel Tridentis Neptunii materiam.

IV. In Act. 2 Scen. 7. Claſſicum & conflictus; in Act. 3. Chorus militum; ſæpe verſibus interciſis, heteroclitis, anomalis, quandoque in verſis exprimuntur quod exemplo Senecæ non caret. Nam in Tragœd. Oedipo, Act. 2. Chorus hoc artificio conſtat. Quia populare carmen Baccho decantatur; Baccharum temulentia inconditũ aliquid ſine ordine eructat. Scias orgia celebrari. Nobis imitationem ſuaſit bellici conflictûs truculenta ſpecies; in quo quia omnia ſuſque deque vertuntur ac ruunt: In Act. 3. autem, quia filia intempeſtivè Patri obvia, turbato victoriæ curſu plauſum in planctum vertit; accommodavimus cantum rei, Cothurnum Scenæ. V. In Act 3. Sce 1. refertur, quomodo Iephtias Sacrificium Iſaaci acu pinxerit, ominoſè. ſcito hujus generis imagines non fuiſſe Hebræis interdictas: teſte Iacobo Bidermanno in ſua Herodiade, VI. In eodem Act 3. Scenam tertiam conſequitur Scena tubarum intercalaris, nemine loquente. Neque idcirco theatrum contra receptum morem vacare cenſeas. quippe interea utrinque ad occurſum ſpectantia adornantur. & verò neceſſariò exſpectatio Reditûs Iephtæi exacuanda erat. exacuetur autem; ſi mini-

mum per octavam horæ partem (nos etiam quartâ uſi ſumus) victoris exercitus tubæ intra proſcenium audiâtur; modò ſonore conciſo, quaſi per montium oppoſitus, concava vallium, confraga ſilvarum iretur; modò productiore concentu, tanquam patentiore cœlo, viciniore loco. Hæc uſque eò, donec cum pompa Pater in theatrum progreſſus, ex improviſo in filiam impingat. VII. In Act. 3. Scen. 4. Act. 4. Scen. 1. 3. & 4. Audies gemitus, & lamenta Iephtæ, variis affectibus agitati. Non enim eſt culpandus luctus, ait hic Serarius. Quis patrem niſi mentis inops in funere Natæ flere vetat? Conſidera, quid ſancti viri de ſuperiore atq; inferiore homine ſcripſerint. In Iephte natura & religio, pietas & dolor certabant. quis vicit? qui unigenitæ ſuæ non pepercit. Non deflevit votum ſuum, inquit Ser. ſed triſtiſſimam filiæ mortem ſuámque orbitaté. poſſe autem in eadem re rationes cauſáſque inveniri diverſas, ob quas illá rectè velit unus, rectè item nolit alter, probat ex S. Tho. VIII Act. 5. Scenæ 3. anſam præbuit S. Chryſ. Hom. 14. ad populum in Iephten invectus, ſed tantummodo declamatoriè. Novi, inquit, *quòd infidelium multi crudelitatem & inhumanitatem nobis exprobrant propter hoc ſacrificium.* producimus ergo Bagloam barbarum: qui, dum Iephtæum facinus execratur, noſtris uſibus ſeruit. IX Act. 5. Scenæ. ult. media pars, nō obſcurè ad Chriſti patientis Myſteria alludit; ſeque paulatim Figura in Figuratum evoluit. Id enim verò agebatur. Huc Serarii Salianíque reſpexit pia judicandi felicitas. X. In littore ſumus. Tragœdiæ ſyrma pullo velamine inducitur, trahitque ſecum Hebdomadæ ſanctæ complorationes finitur threnis. poſt aſteriſcos tamē, quos ultimo folio invenies, aperit ſe cœlum & glorioſa Chriſti Anaſtaſis. ideo diſtinximus: ut, ſi quis Senecæ Herculem Oetæum non damnaret; juſtiùs noſtræ quoque imitationi ignoſceret: quamquam magna in utroq; diſparitas. ibi enim Hercules poſt fata glorioſus apparet, in ipſo exitu Tragœdiæ. Aureum ſeculum, quod ex Chriſti morte, in fine nos promittimus, luctum temperat, non aufert omnino. Omnis illa hilaritas procul ab oculis, eminus ſcintillat, & vaticinio modicè prægustatur. Cætera omnia adhuc mœrent. His initiatus, quiſquis es, noſtra lecturus ſpecta; ſpectaturus lege.

PER-

Digitized by Google

PERSONÆ.

Jephte, *Iudex Hebræorum nonus.*
Jephtias Menulema. *Filia.*
Ariphanaſſo. *Aſſecla* Iephtæ *præcipuus.*
Legati Galadini ad Jephten.
Ammon, *Rex Ammonitarum, hoſtis Hebræorum,*

Beharola, } *eius Palatini.*
Iaramazda, }

Orator Jephtæus, *Ad Ammonem Regem.*

Aodus } *Domeſtici Menulemæ.*
Baracus }

Exploratores Galadini.
Nuncii duo.
Bagloas *barbarus.*

Chorus { *Aſſeclarum* Iephtæ.
Militum.
Sodalium Menulemæ. quas inter, primariæ Rachel, *&* Thamar.

ACTUS I.

SCENA I.

Iephtæ à fratribus eiecti ſtatus, & conditio in terra Tob.

Jephte.

PRofunda cœli teſtor, & Solis jubar,
Qui ſtare rapido juſſus in curru, ſtetit:
Donec ſubactis quinque totas Regibus
Acies reciſas Noſter æquavit ſolo.
Et te Manaſſen, cujus ad ſtirpem nepos

Demitto

Demitto ramum: cúmque cognata tribu
Cineres paternos teſtor: ejectum domo
Livore fratrum, vindices pœnas tamen
Sumpſiſſe nunquam, Damna, contemptum, fugam,
Fugæque juncta mille perpeſſus mala.
Nihil regeſſi ſontibus: quodque miſeris
Lucrum vocatur, fortiter fui miſer;
Extorris, indefenſus, infelix, egens.
Nec vindicandi cauſa deerat, defuit.
Animo voluntas prava. non poteram dolos
Injuriáſque ſtrenua ulciſci manu?
Niſi forte lateri vile ferrum hoc exprobrat!
Vaníque Iephten frigidum pulſant metus!
Aliud loquuntur bella, cædes, funera.
Quiſquis reſiſtit hoſtis, in prædam jacet.
Noſtrum quod autem denique eſt piaculum
Quod profugus erro. Bruma bis poſuit nives:
Ex quo per omneis tractus ærumnas feror,
Sine crimine exſul. hoſpes incerti laris,
Vetiti cubilis crimen alienum luo:
Habeórque ſolo ſcelere Genitoris nocens.
Infauſta proles: ergo non licuit mihi
Libare primos, forte naſcenti mala,
Sine nube Soleis! odia ſuſtinui priùs
Quàm nóſſe potui. luce vix viſa bene,
Agitant ab utero matris. infantem quoque
Invidia jam damnârat. Incubuit viro,
Succrevit annis, atque vires cum pari
Sumpſit novas ætate. Poſt obitum patris,
Mutare patrium cogor immeritus ſolum;
Parvos penates, Conjugem mecum trahens,
Thalamíque fructum Filiam: ſed unicam.
In hac propago tota ſtat, non altero
Subnixa ſexu. ſic quoque agnoſco Dei
Celebróque gratum munus. & numerum & marem
Quamquam una tantùm, penſat. & tanti eſt mihi.
Fateor. labores ſola permulcet meos,
Dum Tobitanos verſor inter accolas:
Vnúſque contra Fata luctor ac famem.
Venalis olim Martis invaſi viam:

Et nunc feras trucido, nunc homines feros,
Alimenta librat gladius: ut cibos emam,
Manus & arma vendo. Vitæ prodigus,
Nullius heres, miles omnium, ſequor
Aliena caſtra: rémque & ex haſta meæ
Suſpenſa vitæ fila bellator gero.
Hac lege ſigna noſtra præſens adpetit,
Hæc capta bello ſpolia partitur cohors.

SCENA II.

Iephte à maioribus natu Populi Galadini Iudex ac Princeps ſalutatur.

Legatus I. Legatus II. Iephte.

LEGAT. I. Niſi ludit oculos error, aut captos tenet;
Per tot viarum ſpatia quæſitum diu
Virum occupamus. barba, cæſaries, color,
Et præliari vultus ira nobilis,
Totúmque corpus arduum ſpirant Ducem,
LEG. II. Alloquimur, ipſe eſt. frontis agnoſco notas.
Veterem juventam torvus oſtentat decor.
LEG. II. Magnanime Iephte. IE. Qui meum nomen viri?
LEG. I. Tuo, rogamus, liceat adfatu frui.
IEPH. Qui me ſalutant? LEG I. Ex Galadino ſuum
Miſſi Senatu Principem, cives tui.
IEPH. Removete titulos: exſulem fratres mei.
LEG. II. Legeis & enſes, & tribunal inclytum,
Summíque totam te Magiſtratûs volunt
Penes eſſe ſummam. IEPH. Nonne vos eſtis, quibus
Diſplicuit olim, nunc petitus in Ducem?
Diſplicuit autem! molliùs facto loquor:
Veluti cadaver ſontis horrori fuit;
Orbum, indigentem, funere atratum patris,
Sedibus avitis éque natali ſolo
Eliminâſtis, nonne vos illi viri!
LEG. I. Errorem an odium, facinus admiſſum vocas?
Voces utrumvis, dum reis neutrum imputes.
Miſerere patriæ. IEPH. qua expuliſtis, LEG. I. civium,
IEPH. Qui me expulerunt. LE. I. qui repoſcunt ſupplices

Et

Et nunc vel humeris altiùs referent ſuis.
Miſerere fratrum, ſanguinis certè tui.
IEPH. Fecere qui pudenda. LE. I. Quos facti pudet.
LEG. II. Avus ille noſter, cujus in ſomnis vigor
Fatidicus & ſecreta rimari ſagax;
Noctu loquentis certus interpres Dei:
Quamquam nefando venditum fratrum dolo
Compedibus arctis durus onerârat chalybs;
An non per omnem deinde ſublimis Pharon
Pietate crimen vicit, ac mangonibus
Ignovit ultro? Sæva cùm premeret fames,
Populis ariſtas regis è curru, velut
De nube ſparſit. Tu piam mentem quoque
Ad molliora flecte. ſi damnas reos;
Habes fatenteis. ſi faves obnoxiis;
En deprecanteis. noſtra, permittas modò,
Perenne nomen culpa reſtituet tibi.
LEG. I. Placare fatis, nóſque ſubjectos rege;
Tuóque nutu verte belli cardinem.
Felicitatem nullus oblatam fugit.
IEPH. Ignarus, iſto nomine ærumnas tegi.
LEG. I. Quis ſceptra ſpernat? IE. forte contentus ſua.
Regnum obtuliſtis: aliquid in nobis puto
Regno eſſe majus: quod dare animoſus poteſt
Sibi quiſque miles: jam dedit Iephte ſibi.
LEG. II. Privata ſi te permovent minùs bona:
Saltem obſtinatum publica exorent mala.
Erramus, ut quæ navis acta per fretum
Dubiam procellis ſcindit incertis viam,
Rectore nullo. certa tu miſeris ſalus.
Accede puppim, prora parebit tuo
Moderanda clavo. laxa tu Zephyris potes
Implere vela: ſolus inſani maris
Sedare fluctus: ſolus expoſitum Africo
Firmare malum, dulce ſidus omnium.
IEPH. Cùm circumactos ſæva tempeſtas rotet;
Suſcipere clavum jubeor everſa rate.
Quam turbo cæcis penitus illiſit vadis.
Tunc, cùm ſecundæ Sortis in placido ſale
Spiravit aura; ne quidem in tranſtris ſedens

Permiſſus imis, triſte ventorum otium
Supplere remo. certa jam miſeris ſalus,
Extemporalis jam gubernator ſcio
Afflare ventos: ſolus inſani maris
Arcere fluctus dulce jam ſidus vocor.
Qua dote vobis iſte fugitivus placet?
LEG. I. Placere Summi qua Duces belli ſolent:
Virtute, famâ, Marte, fortunâ, manu.
IEPH. Bellona, non natura, ſic docuit loqui.
Nec me probari video, ſed gladium meum.
LEG. I. Ammonis omneis quotquot agnati ſumus,
Si Dominus eſſe reſpuis, ſervos facis.
IEPH. Neceſſitas expreſſit hæc ſuſpiria!
Solo timore colitis infida eſt, Honor,
Fragiliſque glacies, tremula quem defert manus.
Apparet eſſe marmor, apparet nitens:
Solidámque mendax ſpondet adituris viam,
Ceu ſolida tellus flante reſolutum Noto
Fallit labanteis. Lubricum figit pedem
Terrore ſolo plebis electus, metu
Tanquam gelu vos horrida aſtrictos mihi
Formido ſiſtit. firma ſperem fœdera
Et corda ab iſtis! nempe, poſtquàm vicero,
Tepefacta pennis mollibus Favonii,
Iterum liqueſcent. fluxa popularis fides:
Donec timore pectus ac venæ rigent,
Incerta durat. ſi parum remiſerit
Hoſtile frigus; mobile antiquum tenet.
Calidóque levitas impetu prior ſalit,
Promiſſa cum fulgore ſubſidunt ſuo.
Lucens honoris cruſta, quam veſter modò
Glaciare viſus pavor, in inſtabiles aquas
Reditura, Iephten fabulam mundo dabit.
An dabitis ipſi? rurſus expellar foras.
Ingenia novi veſtra nunc ſummo gradu;
Mox ſtatuar imo ludicrus Princeps loco.
LEG. I. Si quid ſacri ſanctíque, ſi quid Numinis
Verenda ſeruat Arca: perpetuùm regas,
Vovemus ambo. forte propoſitum, ſemel
Ritè auſpicatum, nulla mutabit dies.

Hac lege noſtrum petimus ut bellum geras;
IEPH. Iurate, L. L. Cœlo teſte ſancitam tibi
Damus intonato jurejurando fidem.
IEPH. Et ego viciſſim capitis oppoſitu mei
Sceptrum paciſcor. jamque communes erunt
Fortunæ & hoſtes. fidite: eſt mortis mihi
Contemptor animus: vita, quam pro patriæ
Focis & Aris, proque caſtis legibus
Libens in auras cum die projecero,
At ille noſtri generis exitium ac lues
Funeſtus Ammon, unde criſtas erigit
Subito ſuperbas, ſeque terribilem facit?
LEG. I. Noſtris avarus imminens prædo bonis
Sua poſſideri jactat: auferri ſua:
Sua detineri jura: ſe Dominum ſoli:
Sibi vindicare ſtatuit armis omnia,
Faſtum ſaginaturus alieno ſuum.
Parum eſt, minari dira: re firmat minas.
Populatur, urit, mactat, inſequitur, rapit,
Hoſtiſque ab omni parte violentus volat.
Hyrcana qualis feminis miſti fera,
Sub rupe Pholoës, aut Gelonorum ſpecu,
Aſſueta fœtus paſcere ex rapto ſuos,
Infeſta reddit mortibus late loca.
Non illa mane, non vagatur veſpere
Impune. paſſim funera & muto jacent
Armenta campo. nemo ſævitiam gulæ
Prohibere potis eſt, frangit haſtas bellua,
Adicitque cumulo membra ſpirantis viri.
LEG. II. Non ante, quem ſors cunque dederit exitum,
Ceſſabit Ammon; quàm puellarum greges,
Iuveneſque miſtos ſenibus ac pueris viros,
Et univerſam gentis Iſaciæ domum,
Sub abominandi miſerit furcas jugi.
Noſtris ademptum bobus in noſtrum parat
Transferre collum. reprime meditatum nefas:
Cœlum nefandi capitis aſpectu leva.
Reviſe fratres, civibus pacem refer.
IEPH. Maſpham petamus: quà virenteis porrigit
Scenas in alto colle frondoſum nemus.

Speculámque turris aperit. heic Domino loquar.

CHORUS.

Aſſeclarum JEPHTÆ.

Irridet vanam Mortalium ambitionem. Princip novo inexſpectatam Felicitatem gratulatur.

DIra regnandi nimis, heu, cupido
Vrit humanas ſtimulátque mentes.
Nulla vis pejor rabie ſuperbi;
Quem pudet ſortis medium tenentis.
Semper erecto pede tendit ultra;
Nec timet caſum: modicæque viſâ
Gloriæ terram fugientis umbrâ;
Si per obſcuram tenuata nubem
Fortè tralucet; furit incitato
Aſſequi paſſu, furit, & laborat
Vota congeſtis ſatiare votis.
Larua ſub noctem vaga ſomnianti
Admovet ſcalas per inane Morpheûs.
Ille ſe (quid non ſimulacra poſſunt!
Aëris primâ regione lætus
Credit emensà ſuperare Olympum.
Sic humi repens fruitur tumultu
Mentis, & cæcum caput inter alta
Nubila condit.
Qualis occaſum prope Solis, Iris
Mille, ſed vanos, pluvio colores
Deſuper pendens jaculatur arcu:
Miſſili picto puer aut viator
Hæret affixus; lepidóque paſcit
Lumina monſtro.
Haut ſecus fallax ubi fulſit oſtrum;
Sit licèt fallax; oculus videntis
Saucius gratum ſtupet ad colorem
Faſcino tanquam magico rotetur,
Non capit ſe ſe. Cupit, ardet, audet.
Lana, quid refert? rubeat ſereno

Imbre Sidonis medicata ſucci, an
Sanguine humano, modò per patentem
Purpurâ fulgens gradiatur urbem,
Sola dementi placet hæc voluptas:
Summa votorum, pretioſus error.
Vtque bis tinctum diadema geſtet;
Piſcis infectum Tyrii cruore,
Tabe civili cruor execrandum
Inficit alter.

CHOR. Pulcriùs Iephte Ducis auſpicatum
Cœpit ordiri ſine fraude munus:
Ambitûs expers, procul à fragore
Regios palma quatiente poſtes;
Annuit tardè, propior neganti.
Gloriam contra violentus ipſam
Fronte cunctator ſtetit irretorta:
Durus affuſam pedibus relinquens,
Iſta plorantem: ſine, fortis Heros,
Oſculo ſtringam, mea fulcra, plantas,
Debiti pridem tibi, quæ mereris,
Noſtra ſupremi cape ſigna Iuris,
Dignus extolli, patiare flecti.
Victus hac nemum ratione Iephte,
Supplicem puris manibus levavit;
Factus exempli melioris auctor.
Imperet, quiſquis fugit imperare.
Serujat gaudens Dominus vocari.
Plebs amet primas, habeátque nunquam,
Alta miretur, jaceátque in imo.
Se recludendis foribus Palati
Vilis obtrudat pretio ſatelles:
Cùm Magiſtratu vacat Aula ſummo;
Principis laus eſt ſpecioſa, poſci.
Eja, nudemus gladios, Sodales,
Hujus ut durent monumenta famæ,
Floreant ſiluis, aciéqre ferri
Scripta cedrorum referant tabellæ.
Arborum cortex, titulos honoris
Seruet inciſos, ſeriémque facti,
Sceptra votivis precibus petita

De genu ſupplex alius capeſsit:
Regnet ut Iephte, metuit rogari.

CHORUS.

Scribere, nihil eſt. nos quoque fortis
Exempla viri tanta ſequamur.
Animus magnus dominánſque ſibi.
Immane Bonum eſt, cætera parua.
Quid ſtemma juvat? patriæ quid opes?
Exſul, profugus, contemptus, inops
Virtute ſua ſurgit in altum.
Nobilis ergo nomine dignus,
Incipit à ſe nobilis eſſe.
Centum ceris nixus avitis
Miles fragili nititur haſta.
Qui majorum laude ſuperbit,
Aliena crepat. proprium cuíque eſt:
Vivere vitam; ſed nempe ſuam,
Quærere honores; ſed nempe ſuos,
Spoliiſque frui; ſed nempe ſuis.
Vtque alterius corpore manans
Sudor mea non per membra fluit;
Ita nec pulcri gloria facti
Communis erit. Carpite Iuvenes
Breve declivis ſpatium vitæ.
Dum vena calet, ſanguis abundat.
Et ſtant ſolido robore vires;
Magna geramus. Vivite læti,
Stringite ferrum, melior ſenſim
Præterit ætas. levis hora fugit.
Iam tempus adeſt. mihi materiá
Fortia bello fiet agendi
Barbarus Ammon. fruſtra chalybis
Emitur pretii majoris honos,
Bene pallenti dignior auro.
Fortuna volat, Fortuna rapit,
Fortuna dedit, Fortuna dabit.
Hanc Fortunam ſibi quiſque facit.
Fata in manibus, non pulvillo,
Potiora ſedent. domat indomitá
Omnia Virtus.

ACTUS II.
SCENA I.

Ariphanaſſo, miles ÆEgyptius, aſſecla Iephtæ præcipuus; ſuum amorem in filiam ejus Menulemam aperit.

Ariphanaſſo.

AVt ego fateri me mihi non audeo:
Aut patitur aliquid animus ignotum ſibi!
Certè aliquid illi ſimile, quod vulgò vocant
Amare. nam cur Iephtias ſemper meis
Oculis oberrat? cur inhærens Virginis
Defixa facies vulnus in venis alit?
Cur metuo, ne præripiat alter conjugem?
Cur arma quondam levia, ſunt oneri modò?
Ecquid videri cupio comis ac decens?
Menulema totum cordis occupat ſinum:
Scribunt beatum nomen injuſſæ manus;
Injuſſa noto lingua modulatur ſono:
Ignara rerum ſubjicit feſſo quies,
Interque ruptus ſæpe proloquitur ſopor!
Semper recurſat. pectus inceſſunt meum
Natura, mores, forma, virtus, indoles.
Vna eſt puella. tamen in hac Veris lepor;
Aeſtatis ardor, mitis Autumni decor
Omnis relucet. ſola florem poſſidet
Melioris ævi. Miles Ægyptum ferens
Et genere & ore, caſtra multo tempore
Iephtæ ſecutus; ejus, ecce, filiam
Vt vidi, inarſi; Qualis areſcens thymus;
Aut tincta vivi pinus imbre ſulphuris;
Vix admovetur pineæ propiùs faci;
Fax gemina ſurgit. Patrios teſtor Deos:
Non me cupido Veneris Idaliæ puer
Exagitat intus: tetigit aliis ignibus
Siderea lampas, ſorde terreſtri carens.
Menulema toties viſa probitatem docet;

Vel hoc, quod opto, dulce, vel nullum exitiũ.
Verum pudici pectoris connubium.
Opta modeſtè. túne natam principe
Vilis Canopi verna ſponſam dúxeris!
Ceruam volantem retibus capias priùs:
Immodica poſcis: quáque torreris, nimis
Pretioſa tæda eſt. viliùs plebs uritur.
Relinque amoris caſtra, Gradivi Cliens.
Ad alia te diſpone bella: ſi ſapis.
Si ſaperem, amarem! dura ſunt amantium,
Iniqua certè fata. vix datur ſimul
Sapiens amánſque, dulce deſipere eſt proco.
Inepte! quale nomen ore hoc excidit?
Severa virgo capiet affatus proci!
Sponſus vocabor. Ille tu ſponſi ratum
Ambire titulum, quem mereri ſors negat,
Conditio prohibet militis! quid ſis, vides.
Ad hæc inops & pauper. audendum eſt tamen.
Timidus petitor, ludus eſt uxorius.
Stricta ſagaces lance trutinanti metus,
Arctéque nimiùm jura ſtatuenti ſua;
Quamvis ſuperbum dives enumeret genus;
Felix temeritas ruſticâ nati in caſa,
Dotem ac puellam ſæpe ridens abſtulit.
Ariphanaſſo, rudis adhuc es artifex
Lenocinandi! tempus obſervant aves.
Imitare fauſtas. ſol inæqualem rota
Evoluit annum. truditur dies die,
Tres iſte candens Gratias ſecum vehit:
Niger ille lites, odia nupturis refert.
Tot inter horas, una lætior altera,
Se conſequuntur ordine, ac mutant vices;
Vtque inquietas aſtra per noctes volant;
Amor omnis in vertigine eſt. ſemper tremit,
Semper movetur. igitur excubias age.
Tunc admovendæ ſunt verecundæ preces,
Cùm clariores Heſperus ſparget comas.
In omne gyra corpus obſequium. notet
Virgo, probétque, voce vel nutu. potes
Illicere verbis ritè compoſitis, potes

Facta

Factis mereri. Reſpicit ſellam ? prior
Accurre. phialam poſcit ? hanc manu tene.
Intrabit horros ? floribus lectis ſcias
Ingerere, caſtus quidquid Hymenæus monet.
His regnat, his dominatur in ſeptis Amor :
Etiam ille cœlo miſſus, & ſanctæ facis.
Sertum ligabit ? affer immiſtas croco
Violas, & omen pronubi myrtum tori.
Simulare fas ſit ſigna vicinæ necis.
Rogabis olim, ſed renidens; funebris
Nolit ſepulcro titulus inſcribi tuo.
Ne terreare. non recuſant, dum negant.
Rigor pudicas gratus accendit preces.
Nulli puellæ tigris uber præbuit.
Menulema ferrum corde geſtaret triplex !
Ne precibus obſtet, multa in unum congere.
Lacrymare, ride, ſupplica, gaude, geme.
Omnia domabunt, quæ domare ſingula
Nunquam valebant. artifex occaſio eſt.
Inflat puellas faſtus. inſons Iephtias.
Non eſt is ore candor, aut facies ea.
Vt ſæva fallat, falſa tectùm ſæviat :
Livore, & ira, & fraude feminea procul.
O quàm politos blanda ſermones ſerit !
O quàm decenter ore flexanimo ſilet !
Spera faventem : denique expugnabilem.
Quamcunque fingas, mulier eſt. ceram optima
Mentitur albam. decipit, dum flectitur.
Neſcis ſuperbas eſſe, quæ forma nitent ?
Quondam aliqua, ſpeculo teſte conſulto, Dea
Sibi videtur. Memphis hoc dicet tibi.
Meliora naſci credis alieno Polo
Exempla ſexùs ? ſibi genu poni volunt,
Cilicúmque calamos frangi, & uri cinnama,
Formoſa tantùm non adorari cupit.
Superúmne odores ſparſerim juvenculæ !
Ac ſi ſit Iſis, ſiſtra quam circùm ſtrepunt !
Ac ſi Cybelle cincta turribus parens !
Ac ſi retorquens flava Bubaſtis jubam !
Ergo petenti tura, reſpuerem ſacram

Adolere acerram! nimis amarem frigidè.
Qui me Triones, quis Bootes vicerit
Ningente canos obtegens plauſtro Getas!
Quin balſamum, quodcunque Niliacis fluit
Sudans geniſtis; totam Arabiam, & ultimos
Cremem Sabæos: memet incendam ſuper,
Fidele buſtum. Stulte: nimirum tuas
Dignetur aras, aut honorem indebitum?
Hebræa Virgo Numen unicum colit,
Non Numen eſſe vult. licèt, niſi dejeras,
Mercatur eſſe. Luna, Sol, teſtes erunt.
Si minimus inter clauſtra ſervanteis tori
Habeare ſervos, aſtra digito tangeres.
Quid? quòd peruſtum Sole, rugoſæ cutis
Ferrugo turpat: illa Sithonias nives
Candore ſuperet, ore Pæſtanas roſas,
Quid? quòd paternæ legis aſſertor tenax
Ægyptios Iudæus omnis oderit?
Quid? quòd profanus, irreſectus; cætera
Vt cuncta adeſſent atque confluerent bona,
Soceri colentis Numen adverſum tibi
Gener eſſe nequeas. deſine. inſanis miſer.

SCENA II.

Rex Ammonitarum furens minas & arma ſpirat. Iudæos urit ſarcaſmis.

Ammon R. Jaramazda, Beharola, palatini.

AMMON. Vt patiar iſta! quid mihi cum ſabbatis
Phanaticóque Moſe? cujus cornua
Flammante circùm ducta gyro tempora
Haut facio pluris, quàm capræ, vel peſſimè
Olentis hirci. Quidlibet fingit ſibi
Vecors Apella. fingat autem (quis vetat?)
Ranas trifauces ex avernali lacu:
Superet quoque una voce Scyllæas canes.
Nubes locuſtas fæta cataphractas vomat:
Culicéſque natos turbido cinerum globo

Barríſque muſcas mole certanteis ſua,
Quarum proboſcis terebret armatum bovem;
Spacioſa volitans ulcera infigat cynips:
Quanta nec aquoſo ventre cucumis exhibet;
Mutentur amnes ſanguine,& virgæ anguibus;
Styx atra tenebras glomeret horrendas ſitu.
Fulgura ſequantur viſa nec Iovi prius.
Congeſta medium fulmina eripiant diem,
Reddántque tanto luce pejori tonans
Cœlum omne utroque ab axe confractum ruat.
Mors dira noctu ſubeat orbandas domos.
Nihil moramur. Vulſum ab imo marmore,
In latera ſectum gemina conſurgat fretum.
Namque iſtud etiam jactitant: ſicco pede
Cum tranſmearent ſemitas rubri maris;
Hinc æquor atque hinc aggeratum penſili
Faſtigiatæ madida turris culmina
Æquâſſe fluctu. quanta non fiducia eſt!
Equidem crepanti talia iraſci piget.
Miserórque potius plura fingant, ut volent,
Plenáſque Verpi ſomnijs noctes trahant:
Dum non nocenteis opibus inſidias ſtruant,
Inhiéntque regnis. Quod ſub aſpectum cadit,
Inſinuat olim fama, calcatur pede;
Confeſtim & habeant! fáſne Sabbatarijs
Sic triſte ſolis ex rapina vivere!
Gens verſipellis, profuga Pharijs finibus,
Ab uſque Nilo: (cujus arcanos bibens
Fontes veneno polluit, ſeptem oſtia
Veneranda ſemper;) aſſerit terras ſibi.
Quaſcunque tranſit. Sceptra Regum ſpernere
Violare jus alterius, in minimis habent.
Scitere cauſſas; Numen allegant ſupra
Pavendum & infra, maximum, inviſum tamen;
Sic Fata velle. Vt Dij Deæque hos transfugas!
Sic velle fata! Quam licentiæ dolus
Prætendit umbram! ni ſtatim morem geras.
Portenta, Diras, totque pœnas ingerunt,
Aures ut ambæ tinniant, ſudor fluat,
Stanteſque rigido vertice albeſcant pili.

Lunæ juvenci Solis incurrent equos.
Putei rubebunt: pocula inficiet cruor.
Aſinæ loquentur. pecora ſaxoſum ſonans
Necabit imber. flumina avertent aquas.
Refixa vacuis nemora migrabunt jugis.
Immodica venti vis reclinabit cavos
In prona montes terga, fluvios in caput.
Ipſis tremendas noctuis ac Manibus
Noctes minantur, ſuppares Ægyptijs.
Hæc inter, urbes, clauſtra, ſaltus, oppida,
Avium rapaces more fœdarum obſidens
Roſtris, & uncis pedibus Harpyias putes,
Heu noxa Moabi! prô Iebuſæi pudor!
Cananæa labes! pabula, heu, muſtum & ſeges
Aluere pullos cortis Iſaciæ tua.
Diſpertiuntur latifundia in Tribus.
Iuvat ordinatè proſequi injuſtum ſcelus.
Menſura funis cuique glebam dividit.
(Ad laqueum ab alto pendulum & funem alterum)
Hæc Benjaminus, iſta Ioſepho ſatus
Poſſideat arva. collis hujus vinea
Paſcat Manaſſen. illius ad Auſtrum ſiti
Vva Rubenitam. propior autumnus riget
Hinc Gadianas, inde Nephtalides nurus.
Vt vos citatus fervidis Phlegethon vadis,
Fluidóque fumans igne Cocytus riget.
Faucibus in ipſis Tantali areſcat latex,
Fugitiva poma; quáſque damnatus fame
Phineûs reliquit, edite maculatas dapes.
Fruſtra imprecamur. verba reſtat fortibus
Æquare factis. fecimus. celeres ſtitit
Ter ſena lapſus fluminum rigens hyems:
Indomitus ex quo ſubijt, invitus licet,
Verpus capiſtrum: vimque non fremitu ſine
Paſſus, jubenti triſte vectigal dedit.
Expreſſa per vim, lacrymáſque & vulnera.
Domino pependit æra. profectum eſt nihil.
Ad ima preſſus altiùs levat caput.
Eviſceratus cladibus creſcit ſuis.
Velut hydra vires reparat, Herculea manu.

Vt

Vtcunque centum colla dejicias;nova
Repullulabunt. ſi vel unus annulus
Superſit;ingens replicat agmen orbium.
Quod ſtupeo,debellata gens,quod & queror,
Nec regere novit ſtolida,nec patitur regi
Punis?rebellat.parcis?inſultat.faves?
Laſcivit execraris?obdurat.feris?
Attonita magno ſidera ululatu quatit.
Clamore vaſti fornices cœli tremunt.
Examinantur ſcita cornigeri ſenis;
Penetrat in orcum murmur & rumpit Chaos.
Hinc renovat iras,ſumit hinc animos truces.
Accipite ſpecimen ex Galadinis adeſt
Legatus Oris.juſſus incoram loqui,
Effrons minaci cum ſupercilio inchoat.
Vexare bello deſines Quin protinus
Abjicimus haſtam,& clypeum & impalleſcim⁹
Erepta reddes,Reddam,& hæc cum fœnore,
Iras & enſes,& cataſtas & cruces,
Furiáſque,& infra quidquid illas ſibilat.
Tenete riſum ad cætera. *Excedes loco.*
Cedamus ergo,ne ſedenteis opprimat
Paries caducus:Vaſa,migrandum eſt,citò
Colligite vaſa.Quod tamen trepidos malum
Abire turpi ſuadet inopinum fuga?
Quis iſte terror panicus?Iephte jubet:
Iephte repoſcit debitum:Iephte imperat.
Cur non eadem audacia hic Phaëthon novus
Solis quadrigam ſiſtere incenſam parat!
Majora tentans ſubeat inimiteis equos
Tardare Martis:quando furibundus pigras
In arma gentes victor Ædonas agit.
An me minorem Rege Rhodopæo putat!
Æquabo & Hebrum:qui ſonoro turbine
Præcurrit Æmum rapidus,ac canoruens
Commiſt a ſilvis ſaxa præcipitat jugo.
At enim doceri cupio Iephtæum genus;
Qua ſtirpe natus,unde proceſſit domo,
Audire & hoſtis hujus annales vacat.

Jaramazda.

Fertur ſceleſtos inter errones vagus
Habere primas. gravidus infauſto ſatu
Meretricis uterus ſordidum mundo intulit;
Fugitivum & inopem triſtis armavit fames.
Iam dudum egentum vivit ex rapto caput
Et dux latronum; Marte vix dignus peti.
Pœnis agatur in reum, non militem.
Ne glorioſi nominis fructum ferat,

Beharola.

Qui non timetur, hunc timendum cenſeam.
Olim repulſus Imperi clavum tenet
Lucrum repulſæ, militare præmium.
Aſſuetus arma ferre, ſe toto ferox
Inſurget in nos. mitiorem fecerit
Conditio honeſta: fiet aſperior minis.
Arctas? inultus nemo in arctum cogitur.
Qua non putatur, exit, erumpit, nocet.
Vt ſæva tepidum bruma circumſtans facit
Recalere fontem: fervida ejuſdem gelu
Intendit æſtas hoc modo virtus quoque
Contempta ſævit, culta ſævitiam exuit.
Qui lædit & non perimit, ulciſci docet:
Et qui minatur ultima, audacem facit;
Terrent minùs pericla, quæ terrent nimis.
Spem ſupplet irâ ſæpe defectus ſpei.
Ceu leo quietus ac rapinarum ſatur,
Si poſuit artus, nulla ſpirat prælia.
Marcore brutum totus in ſomnum jacet,
Immotus oculos, ora concluſus, pedum;
Attractus ungues, flaccidus colli jubas;
Videaris olli poſſe barbam demere
Sic accubanti. ſi tamen contra ruat
Getula cuſpis, ſenſerit tædæ faces:
Expergefactus ſepta miratur ſibi
Oppoſita primum: quoque denſius feram
Confiſa numero turba Numidarum premit;
Stimulata caudæ verbere erigitur magis,

Terramque pulſat. Mox ad arma ſurgere
Rugire, rapere, trahere, momentum unicum.
Pro cote vis eſt, cuncta pro telo obvia.
Iephten inopiæ ſquallor horribilem facit.
Armata furere læſa paupertas ſolet.
Nihil eſt egenti ferreum, nihil invium.
Opifex ſalutis ipſa deſperatio eſt.
AM. R. Sic & ego loquerer, ſi viros inter forem
Barbata mulier. Tute galeatus lepus!
Impune ab iſta gente ſemper temnier!
Iam nunc virili cingulo nuda latus.
Ignave. dabimus fila ducturo colum.
Tua bella, facta, decora, pinge in ſtamine.
Pronunciaſti digna, quæ molli manu
Inſcripta ſervet verba Mygdonius tapes.
Faceſſe. vultus porro quid violas meos?
Iaramazda, tecum facio. jungamus manus,
Iungamus enſes. ipſa pernicies juvet.

SCENA III.

Ammoni hoſtilia jactanti Legatus Iephtæus cordatè reſpondet. Bellum conflatur.

Ammon. R.

HVc advocetur verpus Orator. niſi
Det molliora verba, quam præceps heri:
Terris & aſtris & Erebo inviſum genus
Radice ab ima tollere è Mundo placet.
Excutite Zonam, baltheum, tunicam prius
Sicarij ſunt. liceat Eglonis malo.
Et ſcelere Aodi ſapere. mille fraudibus,
Mille involucris, mille ſuffulti dolis.
Callent utraque premere mucronem manu.
Dextra perinde eſt, an ſiniſtra fixerint.
Simulabo vultus interim, nec inſpici
Cordis tumultus patiar arcanos mei.
Regnare neſcit, tegere qui neſcit dolum.
Amara quamquam bilis incendit jecur;
Natet ore riſus; ficta lætitiæ quies

Fron-

Frontem ſerenet.ira tantiſper cadat.
Principia ſumam placida:blandè alloquar.
Sed vereor hoc in turbine,ut poſſim diu.
(*Orator Iephtaus venit.*)
Bene eſt,abunde eſt.Pacis inveni modum.
Habito ſenatu.quem petebas.utraque
Librata juſtis cauſſa momentis ſtetit.
Placet in amicum fœdus ire.L E G. Intelligam.
A M.Mittamus arma.tranſigi bellum poteſt
Laxentur arcus.cur cruorem fundimus?
Iabocus undas utiles glebis vehens
Pinguia feraci culta qui flexu ſecat;
Et lenis Arnon languidas trudens aquas
Mihi perennis jure famulatûs fluant.
Cætera remitto.pacta ſtent iſta fide.
L E G Prius in retortos,fonte curvato,ſinus
Gyrabit error dicta retro flumina.
A M.Arate,colite,ſerite conceſſos agros.
Vectigal habeam.L E G.Pendere hoc Iephte vetat
A M.Vetat!uter autem jure majori poteſt!
Servire nati ſerviant.L E G Gens libera
Onus hoc recuſat.A M.Nonne dominantem hactenus
Senſiſtis?L E G.Olim ſcelera noſtra,non tibi,
Nos ſervijſſe ſcito,peccati jugum
Vnaque populus pœnitens tuum excutit.
A M.Pejore tumidum donec iterato premam.
L E G Veteris peroſus ferre detrectat novum.
A M.Æquum atque iniquum contumax juxta ferat
L E G.Tolerare iniquum nolit,æquum non velis.
A M.Domabo frenis:vinciam rudentibus.
L E G,Vinclis ligari vera libertas nequit.
Subjicimur uni:cujus hæc munus datum
Opemque ſpirat,totus Orbis hunc tremit.
A M.Et nos habemus prælatorem Deum.
L E G.Sed nos,Deorum cuncta moderantem Deum.
A M.Veſterne como major ille ſit meo!
L E G.Si morte potior vita,vivus mortuo eſt.
A M.Vter ergo præſtet.Mars ſeverus arbiter
Dijudicabit.L E G.Iudicem ambiguum citas.
Ne ſtante cauſſâ lubricus cadas,vide.

Du-

Dubios coacta bella ſucceſſus habent.
A M. Movenda bella L E G. Mota non conſtant bene
Quocunque pretio. A M. Me juvant diſcrimina.
Fortuna timidos ſpernit, animoſos fovet.
Experiar illam. L E G. Sed facit ſecurius
Iuſtitia regnum. A M. Sed poteſtas latius.
L E G. Vis atque moles abſque conſilio ruunt.
A M. Cumulare parta poſſe, conſilium voco.
L E G Quod poſſides injuriâ, damnum voces
A M. Imperia, quæ non ſemper aſſurgunt, cadunt
LEG. Imperia, quæ per crimena ſſurgunt cadent
A M. Dum veſtra bello extorqueo, repeto mea
L E G. Raptor alieni propria ſæpe perdidit
A M. Vicina quiſquis adjicit, firmat ſua.
LEG. Non firmat, auget: ut aucta citius effluant
AM. Quis mihi reſiſtet? pars quota eſt veſtri ſuper?
L E G. Nondum Manaſſes omnis in tumulo jacet.
A M. Vix arma habetis, robur olim fregimus.
L E G Inermis aſto. campus armatos feret.
A M. Plures in acie facilè paucos conterent.
L E G. Paucique contrivere plureis non ſemel.
A M. Sine pelle tota, quid viri non integri?
L E G. Quod integri. pugnabimus, cauſa integra eſt.
A M. Periiſſe veſtros nonne Gedeones ſcio?
L E G Neſcis, quod ille non perit, quo vicerant?
Cineres ſuperſunt. oſſa tantorum Ducum
Similes valent creare. Cur Iephten ſiles?
A M. Quid turpis exſul? L E G. Principem jam dixeris.
Virtute meruit evehi. A M. Quanti æſtimat
Laniſta veſter verris Hebræi caput?
L E G. Quanti tyrrannus quiſque cervicem ſuam?
A M. Non metuit hoſtem? L E G. Provocat, ni ceſſeris.
A M. Non tela noſtra? L E G. Nec ſi obumbrares diem!
A M. Non clauſa per me maria? L. Ne rubrum quidem.
A M. Recutite: quamvis hac trucidari ſtatim
Mereare dextra; vive, celebri funeris
Indignè pompâ. differo fatum tuum,
Non dono mortem. ſcilicet te nobilis
Conſumat enſe membra trajectum furor!
Occidat illum lixa de trivio canem.

Funeſtæ

Funeſte,pugna,cæteris mixtus cades,
Servatus in pejora,matura fugam,
Edice Iephtæ ruere in exitium ocyus
Avibus ſiniſtris properet.inſidens trabi
Iam bubo & ater corvus inferias canunt.
Inhumata tradam corpora alitibus feris;
Satiate fœdos vulturum fœdi greges
LEG.Has ludibundis,ſpero,venti flatibus
Procul in Scytharum ſtagna projicient minas
AM:Nondum proterve nebulo tetuliſti hinc pedem!
Ego vos Apellas!fervet immanis dolor.
Nec facilè ſiſtet ira vindex impetum.
Rapiantur arma,tota tota natio
Perdenda ferro eſt.Lerna monſtrorum ferax
Exhauriatur,ſquammea à fundo palus:
Ac,ne recepta tabe concisi queant
Colubri coire,penitus obtriti ignibus
Mandentur atris.nullus effugiat necem.
Scrutemur alvum,quodque catulorum latet
Imò extrahamus enſe,naſcuntur mali.
Per fas nefáſque,ſed potiſſimum nefas;
Et quà licet,ſed avidiùs,quà non licet;
Irruite,metite,ſternite,opprimite,urite
Flammis,& altos omnia in cineres date.
Vnus modus ſit iſte,ſævitiæ modum
Servate nullum.faciet,hæc faciet manus
Ego vos Apellas ſulphuratos!vos ego!

SCENA IV.

Ariphanaſſo,ſpe potiunda Menulema, ejurat Ægyptios Deos,fit proſelytus. omnibus belli periculis ſe devovet.

Ariphanaſſo.

REperi,quod unum maximè in votis erat.
Potiunda virgo eſt Iephtias:ſed vult emi.
Venale cœlum patrium cum Dijs petit.
Deos Canopi dura calcari jubet.
Calcentur ergo.pudeat:& verò pudet

Co-

Coluiſſe monſtra. Namque Oſyris, Inachis,
Triceps Anubis, ſimiæ, quid ſunt, niſi
Figmenta Pharíæ plebis Acheronte edita?
Ariphanaſſo; Memphoeos Lemures prios
Aude execrari. & execror. procul
Procul eſte larvæ. Tu puer nunquam ſatis
Quæſite populis; falſo aratri credite
Inventor unci: Tuque miſericors latro
Vaſta, Crocodile, membra in immenſum trahens;
Et tu biformis vacca fluminei patris:
Digitoque muta labra compeſcens ſenex
Verſicolor Apis. & Serapis cedite.
Vos verò peſtes narium, fœda allia
Medijs in aris: quæque flere cogitis
Ridenda cæpæ Numina, Hortorum probra,
Ejuro. Quorſum? nomen Abramidis dabis?
Genita Abrahamo ſi placet, placeant quoque
Sacra Genitoris. Eja, complecti juvat.
Accedo Moſi, veneror Aaronis mitram.
Qui turpe cultri ſaxei vulnus feres?
Iam majus habeo, quodque diſcruciat magis
Ab amore vulnus. plena pectus in meum
Excuſſa pharetra eſt, flava telorum ſeges
Cuſpidibus aureis ſaucium fixit jecur.
Sed adhuc nigredo decolor vultum inficit.
Cui vis placere, Nympha, prô, quantum à tuo
Divertit ore! ſcape piatrices aquas.
Relinquo Nilum, téque Iordanem invoco.
Lava, & nefandum hoc ſordibus purga caput.
Hæc meta voti. Navigant, ut audio,
Mediáſque miris vela per terras modis
Faciunt Amantes. Tiphyn heic ut te probes
Artis peritum; cæca ſaxorum monent.
Animique fluctus. æſtuat clauſus calor,
Curáſque ab imò Cor procelloſum ciet.
Quid agas tot inter naufragos? paſſim jacent,
Quos hauſit ipſo littore infoſſos Amor.
Monumenta calcas. Dirigam cautè ratem
Ad aſtra verſus. Non reformidas Notum?
Quâ veheris alno? ſæpe in optatos ſinus

Sal-

Digitized by Google

Salvam triremes ante roſtratas ſpei
Parvæ phaſelum vexit aura lenior.
Quid ſi negetur cymba? Leander novus,
Quem remigando non licet, nando tamen
Portum occupabo pluribus pennas Amor
Affixit, addat lepidus & pinnas mihi.
Eſt & temeritas ſæpe virtutis loco.
Menulema non ſit dignior per aquas peti
Seſtiade! quæque vecta trans Phaſin fuit!
Confecta res eſt Stella genialis micat.
Aſpirat Auſter: provocant ſpem flamina.
Feſtum celeuſma remigans Hymen canit.
Menulema noſtra eſt. dabit & accipiet manus
Vbi ſum? quid agitas anime? quam inſiſtis viam?
Propulſa nondum puppis eſt à littore:
Et jam beatam gloriaris inſulam
Tetigiſſe curſu! Quippe jam portum tenes!
Quippe enatâſti! quippe Menulema eſt tua!
Converte proram. navitam ſicci æquoris
Explodit alta voce Nereidum chorus.
Suſurrus auræ prius & Idaliæ favor
Captandus aulæ, dubia ventorum indoles;
Præſertim in alto Veneris undoſæ freto.
Qua bolide fundum Cyprij explores maris
Altum Puellæ pectus haut ſcrutabere.
Famuline voto nexilem ſperas Heram!
Pró ſpes inanes! vana vigilum ſomnia!
Finge autem & ipſam velle. permittet parens?
Incogitanti ſubita Iephtæ detulit
Fortuna ſceptrum! poterit & gnatam tibi
Offerre Sponſam. poterit! & rigidum poteſt
Haſtile viridi flore rurſus indui:
Volucriſque nubes ſcindere ætherias ſilex.
Convenio Sortem. Liceat aſpectu frui
Saltem benigno tota, nil aliud peto,
Sit hæc voluptas. caſta vergit huc quies.
Diſcede flamma ſi quid ulterius cales.
Alios moveret forma: me virtus movet.
Opinor etiam. ſola nec ſolum movet.
Amor abſque pugna nullus. ire in æmulos

Suſpi-

Suſpicio cogit, jugis invidiæ comes.
Nunquam arma deſunt militi. ſit illius
Menulema, clarum Marte qui nomen feret,
Diſcernat enſis quemque rivalem ſuus.

SCENA V.

Exploratores Galadini.

Reduces è terra hoſtili, dira nunciant.

EXPLORATOR I.

FVimus Hebræi, fuimus Iſacidæ, patrum
Clari nepotes. fuimus electum genus.
Interitus inſtat certus. advenit dies
Suprema nobis. totus Ammon ingruit.
Tremit icta tellus concito pulſu pedum.
Montes teguntur: hinniunt valles equis;
Sonante ſeſſor cuncta ſternit ungula;
Miſtóque fumat pulvere incenſus dies.
Nubes ruit clypeata denſo vir viro
Conſertus hæret, utque gurges gurgite
Fluctuſque fluctu nititur; velut mare,
Campos inundant milites. ſtipant vias.
Quam multa folia meſſor Autumni Notus
Sub prima tondens frigora hortis decutit.
Mutare credas regna Threjcias grues.
Haut uſitatum vibrat armorum genus.
Falcata ſonipes plauſtra numeroſus trahit.
Minax acutis fulgurat cultris nemus.

EXPLORATOR II.

Penetravi in ipſam tectus hoc amiculo
Ammonis aulam, clauſtra ſecretæ domús.
Vbi Tyrannus creber epulari ſolet.
Luſtravi ad unguem corpus & mores. homo
Deformis, ac deformitate ſuum decens
Vtcunque ſceptrum. gratia hac ſola quidem
Solio putatur dignior. meriti vicem
Scelus implet, obſcœnique vultûs pravitas
Funeſta facies. Regis apparet tamen:
Habere qualem fertur implacidus Charon.

Niſi

Digitized by Google

Niſi ſi, quod iſte juvenem, & hic referat ſenem,
Venter profundas in libidines putris,
Oculi rubentes igne ferali tremunt.
Riſus petulci ſplenis inamœnum ſonant,
Nec abſque rhoncho nulla vox elabitur.
Niſi mortis ore magna pars aulæ improbæ
Eſt Dominus ipſe: teter, infeſtus, ferox.
Aſpectus etiam cruciat, acri lumine
Vrit tuentem. jam dolet, quisquis videt;
Æque ac cometam, crine qui longo minax
Laté cruentam ſpargit odioſus jubam:
Hic ille talis interim fungus, toga
Imitante vernas graditur indutus roſas.
Bicolor tiaras aſperos crines tegit.
Punicea fuco veſtis Oebalio nitens
Circumdat humeros, luteis ſub murice
Refuſa guttis. ipſe ſuppoſitos premit
Sedens achates. gemmæ in aſtragalis rigent
Gemmatus ardet totus, ex auro bibit.
Lectis locatur aureis, auro cubat;
Aurum lavanti porgit arcitenens ſpado.
Epulum dabatur, quale ſumptu divite
Inſtruere luxus exacerbatus poteſt.
Tribus elementis unicam pavit gulam.
Elephantus afer ſuſtinebat dentibus
Orbem rotundum: cujus erectos pedes
Subeunt tenentes fuſili Nymphæ manu,
Faunique tergo. ſumma pardi fulciunt.
Inter epulandum verba ructanti cadunt,
Qualia nec ipſe Manibus Pluto intonet.
Vivum opto Iephten in manus tradi meas
Cæſum videre nolo, cædendum volo:
Nec mortuum, ſed ſæpe cupientem mori
Diúque ſupplicem ante ſupplicij metum.
Miſer irrogandas ejulans pœnas petat,
Querulúſque tardo damnet in fato moram.
Neſcit Tyrannus eſſe, qui perimit citò:
Vindicta quæ lenteſcit, hæc eſt dulcior.
Penſanda non eſt pœna, ſed pœnæ modus.
Avidum ſemel perire, cogam vivere:

Vt ſæpe nolens pereat;& pereat diu.
Vrgente dira ventris ingluviem fame,
Viſos catena tractus allatret cibos;
Tenueſque reptans colligat micas humi
In equum levando terga ſaxum quadrupes
Subſternat,imis quale præ foribus jacet.
Faciant reum tormenta,dum torquent reum,
Gemitum jubebo premere,dum premitur pede
Vetabo flere,ne moleſtiam creet.
Nil reſtat aliud?eruantur lumina,
Ne flere poſſint.hoc voluptatem ſupra eſt;
Hoſtem videre,qui non videt.vulſos ſimul
Vacuemus orbeis.igne ſpoliatos lacer
Apella vultus,triſte ludibrium,ferat:
Errétque ſuperis miſtus,ac careat die:
Vmbriſque noctem vivus impingat ſuam.
Conclamat omnis turba,& ingenium probat
Sævum tyranni.poſcitur majoribus
Iterum culullis.cuncta reſtagnant mero.
En,iſta noſtros menſa debellat viros!

EXPLORATOR. III.

Ne fide Iephte;ferreum obſepi latus.
Non unus aſtu vique percuſſor tuum
Octo talentis emptus obſervat caput.
Vt Marte vincas,& domi vinci potes.
Venena,bulbi,dipſades gulam adpetunt,
Mucrone tecto ſica multiplicat dolos.

EXPLORATOR IV.

Narrare refugit animus.infandæ licet
Meminiſſe cogor atque inauditæ rei.
Hæret tenacis diritas hæret mali.
Adhuc cruento pavidus interſum Sacro.
Quæ ſævus oculis crimina ingeſſit dolor;
Excutere læſis orbibus feritas nequit.
Qua ſol jugales abluit feſſos mari;
Deſpicitur ingens rupis exeſæ cavum.
Valle in reducta plurimum circa nemus
Fruticante taxo conſitum & nigra abiete

Intendit umbram. ſquallidas antri fores
Quercus coronat altior. ſiluæ unica
Speciem tremendam præbet. arcanis ſpecus
Rigatur undis. triſtibus nebulis graves
Multóque cœno turbidi fontes ſonant.
Ammone natos petere Reges hinc ferunt
Auſpicia belli. tæda ni faciat diem,
Perpetua nox eſt. vix lucernis vincitur.
Grandem cavernam major humana replet
Et vox ab imo bulliens: quali tonat
Regnator Erebi feſſus, aut jam deſinens
Aut deſiturus furere. nec facilè ſcias?
Stygiis ne raucæ murmurent ripis aquæ,
Strigéſne colloquantur, an latrent canes.
Confundit omneis fæda colluvies ſonos.
Inibi rotæ cum curribus, fractæ tubæ,
Galéæque, ſcutaque ærea, heu, noſter pudor,
Noſtra arma pendent; arma prædonum manu
Erepta nobis. ſi qua gutta eſt ſanguinis,
Iſacia pubes, ſiquid exhalas viri,
Conſurge in haſtas: vindica tantum nefas:
Incumbe in iras. interim viſa hactenus
Pergo explicare. ſi tamen poſſum ſatis,
Proſtat ſupernè futilis Chamos Deus,
Baccho & Priapo ſimilis, evinctus comam
Hederæ corymbis. pampinus viridis tegit
Vtrumque tempus. vultus obſcurùm rubet.
Minio notatæ lurido pendent genæ.
Naſus colores, bacca quos ebuli, refert.
Frons torua cornu rumpitur: quali tuam
Audax Iaſon auream irritat famem
Phryxæus aries. cætera inferno ſitu
Marcent. in illo namque ſummum, quod colas,
Eſt horror ipſe. creditur Numen potens,
Quia terret ac timetur, omneis ſupplices
Triſti neceſſitate cernuos facit.
Hinc aliqua & eadem dira relligio ſubit
Levem popellum. genua curuatus popa
Poſtquam unus intrò debilem greſſum tulit,
Gibboſus, ater, luſcus, impexus ſenex;

Quaſſoque certum cymbalo ſignum dedit
Alij ſequuntur linteo cincti latus,
Paſſi capillos. ſtat papyrus vertice,
Inſcripta magicas fæce muſcarum notas
Vndoſa pictos fluxit ad talos toga:
Quidam recinctos ſtrinxerant nodo ſinus,
Lævum, ſoluto calceo, exuti pedem.
Multifida flagrat taxus. egeſta ſuper
Tellure vacuam ceſpes attollit ſcrobem.
Cum farre toſto ſalſa ponitur mola.
Ponuntur herbæ flore pubentes nigro,
Nigro veneni lacte, nigris caulibus.
Adſunt lebetes, urceique & cymbia.
Ferale ſcires horrido ſacrum fore
Ex apparatu. tanta ſævities ineſt.
Ego flexa circum lumina in ſpecu ferens;
Sicubi viderem victimas, atrum bovem
Sterilémve vaccam; munus inferno Iovi
De more, ſive mater Eumenidum tibi.
Nullum notavi, quo litaretur, pecus.
Ecce immolandus trahitur Hebræus puer
Gemens tremensque. ſtabat artus polline
Faciémque ſparſus. flava vittarum loco
Verbena tonſum cumque redimeibat caput.
Aræ admovetur propior, ac cædem ſuam
Cernere coactus, pariter ore & pectore.
Iugulóque cultrum recipit in vulnus triplex:
Totidemque fluxit innocens plagis cruor.
(*Vim numerus addit*) néve coaleſcat, veru
Agitatur urna ſanguine infecti popæ
Luſtrantur omnes. Deniq; reductum foras
Turpe ſimulacrum, vectus ingenti crepat
Chamos liburno, nutat ex alto gravis
Sine mente truncus, Numen è terra editum.
Circum juventus omnis, ac vetuli ſenes,
Manibuſque nexis grex puellarum canunt
Saliare carmen. ſtrepere tum mollis lyra:
Tum provocare buxus alternos pedes.
Ludebat incompoſita plebs ad tympanum
Effeminato facta lætior ſono.

Donec patenti filius figuli Deus
Campo eſt locatus. ſummus augur liniger
Pueri cruore tinctus occiſi, jecur
Et exta populo monſtrat, antiquos ciens
Ad Sacra ritus, verbaque haut innoxia.
Ter ſe ſe in orbem torſit aſſultans gradu
Ter ſe retorſit parte dextra concitus
Redijt ſiniſtra. more, quo Phrygum fluit
Incertus amnis ſemper obverſus ſibi,
Vndasque retrò callido flexu implicans.
Subito ſtupore mutus in terram ruit:
Ceu taurus olim ſternitur primo tremens
Ictu ſecutis, ac truces oculos rotat.
Poſt, tanquam ab alti nube Somni ferrea
Ad ſe reverſus, jamque venturi ſatur
Vates ineptus fatur ore diſſona
Vidi agmen profugum. verpis dominabitur Ammon
Vincla Galadinus perrumpens noſtra moloſſus,
Geſtabit duplices uno pro fune catenas.
Diræ canora voce ſuccedunt. *Malè*
Malè recutitis, Vulgus inſano ſequax
Clamore cœlum pulſat. Oceano minor
Ventiſque fragor eſt. cum vel Orion cava
Diffindit enſe nubila ingreſſus mare?
Vel Caurus æſtum nivibus immiſcet ſuis
Male male Iephtæ. ſtridor, æra, ſibili,
Boatus uno tempore aures verberant.
Mox vultu ad aram verſus. *Ammoni bene*
Plauſere palmis. *Vt triumphet*. populo
Cinxere crines. *Victor ut totum Iſaci*.
Deleat ab ima ſtirpe ſucciſum genus.
Radicitus vulſere circum gramina.
O Patria, tumulus mox futura civium,
O Maſpha, quantos ſanguinis rivos vomes!

EXPLORATOR V.

Horrore quatior, animus aſpectu paver,
Pleno malorum. lingua ſe fanti eximens
In verba trepidat ire. ſed cogam loqui.
Non ſolita Martis forma, non juſti ſubit

Gen-

Cenſura belli ſæva carnificum manus
Vncos, dolones, vincula ac pedicas gerunt.
Verubus minantur: adque lanienam furor
Contendit omnis. nulla deeſt ſpecies mali.
Timere quidquid uſus aurium poteſt,
Iam viſus hauſit. turpis appendix Venus
Excuſat arma. præda major corporum eſt.
Quiſque ut petulcus, ſibi Galadinas nurus.
Et feriantis ſtupra promittit toris.
Invita virgo rapitur è Matris ſinu,
Futura conjux hoſtis, & tales ſuæ
Paritura patriæ. forma & infelix amor
In fæda utroq; damna degenerant bono?
Mors fuerat olim pœna; jam lucrum voces.
Vidi cruentam mortibus frui ſitim,
Liquidumque calvis Liberum humanis bibi
Hebræa fiunt capita ferales ſcyphi,
Ipſos voluptas ſæva per Maneis fluit,
Impletque rictus. madida nudatus pilis
In vaſa cum ludibrio vertex abit.
Quæ reſtat ira, quiſve cruciandi modus
Nondum peremptis? quando poſt cædē quies
Datur iſta functis. ne fatigetur nefas,
In nos iniquus hoſtis ex nobis furit.
Libitina noſtris oſſibus fundit merum:
Et in hoc propinat omnium noſtrum necem
Cur ſucci inaneis cogit eſſe à poculis?
Cur ad lucernam lucis exſortes trahit?
Crudelius libido bacchari nequit,
Quam ſi in ſepulcri jam reos laſciviat.

SCENA VI.

Menulema F. Iephta, Exploratorum narrationibus territa, Patri metuit. Moderator Aodus ſolatur. Ariphanaſſo in Menulema gratiam, ultima belli pericula adire paratus, ſe accingit.

Menulema. Aodus. Ariphanaſſo.

MENUL. Quàm luctuoſa Regis è caſtris domum
Cives reverſi nunciant; dira omnia!
AOD. Plerumque rumor cumulat audita, & volans

In majus effert. MEN. Certa tremebundi ferunt.
Auribus & oculis conſcia hauſerunt ſuis
Creſcunt tumultus. AOD. Altius famæ tuba
Lituo Gradivi ſæpe turmalis ſonat.
MEN. Nunquam ſub ictu noſtra res ſtetit magis.
Periculoſo AOD prona credulitas leves
Captat ſuſurros, ſemper indulgens ſibi.
Quamvis gigantum more divulſas ſolo
Iaculatus ornos. montibus montes ſuper
Imponat Ammon: ante retroque obvius
Paret impedire fluminum objectu; tuus
Inveniet aliquem Genitor aut faciet viam.
Labore major. MEN Regimen adgreſſus novum.
AOD. Virtute veteri nixus. MEN. Officium grave.
AOD. Par ejus humeris. MEN. Populus imbelli jacens
Pavore marcet. AOD. Iam ſub experto Duce
Solvet timores, eriget rurſus caput.
Sunt & fideles ſtrenuis nobis manus.
Proterere cæſa capita & hi poſſunt pedes.
MEN. Equidem repono ſpes meas non in manu
Conſtante nervis, non in humani pedis
Veſtigio Deus ille, qui totus manus
Totusque pes eſt; feriet, ac truces potens
Calcabit hoſtes. hunc prius placabimus.
At, ecce, anhelus celerat huc noſter gradum
Ariphanaſſo fare, quo res eſt loco!
AR. Ad bella jam jam properat accinctus pater.
Campis it acies: fulgurat ferri nitor.
Clangore nubes, arva militibus fremunt.
Ipſe ante primos filiam exſpectat ſuam:
Vt cunque ſors fert, I, rape extremum oſculum.
Inſerta galeæ. vultus hic ſoli tibi
Miteſcet inter lacrymas precarius.
Exſpirat igneis reliquus, efflat prælia.
Iam totus hoſtem quærit inimicum rubens.
Ego ſponte caſus me me in omneis obtuli.
Vnum hoc, honeſtæ quando devotus neci
Præmittor; unum hoc, Domina ſubmiſſus rogo.
Fortuna ſi me læta victorem domum
Referat, reciſo capite regali; fave.

Sin vilis anima hæc Matris expulſa impetu
Ceſſerit ad umbras; Manibus pijs bene
Precare. corpus jaceat exanimum loco,
Quo Fata condunt. Vrna vel cœlum poteſt
Eſſe inſepulto. præfero pectus tuum.
MIN. Ergone nigris vecta tenebrarum rotis
Ades hora tandem! dulce poſt Deum mihi
Raptura, patrem, præ meo carum caput!
Vtinam remittant bella vivum! Quid facis
Menulema? quid conaris hoc rerum ſtatu?
Oneroſa caſſis mole Genitorem premit:
Tu levia ſerta vertice ornato geras!
Sudore manans ſquallet illius coma:
Tua dente niveo pexa, malobathro fragret
Thorax ahenus pectus armatum gravat:
Te ſyrma pictum, Tyria te velet ſtola!
Tantiſper aurum, lunulas, peplum exuam.
Gemmæ reſidant. nullus irradiet lapis
Cognatus igni crinis intortus fluat.
Effuſus orbeis ſubeat. aures, ponite
Teretes elenchos, brachia armillis vacent
Habitus feratur pullus, ac luctum decens.
Neglecta pereat forma, tanto pulcrior
Reditura cum parente. cur vero comes
Non potius ipſa vel procedo, vel ſequor?
Dubitas puella ſegnis & mortem times?
Non dubito, ſed prohibeor. eſt votum, pati.
Eſt ſanguis hoc in corde. qui patriæ bono
Natus profundi fervet: eſt animus quoque.
Nec ſexus obſtat. quippe refert virgines
Pugnare peltis certa lunatis fides:
Scit me ſeverus vera Thermodoon loqui,
Ambuſta niveo latice tingens ubera.
At genitor obſtat. hujus imperium meos
Stimulos retundit. ſexui dono nihil.
Quamvis repugnem miſera; parendum eſt tamen.
Ariphanaſſo. tu meas partes age.
Audacter hoſtem præmij certus pete.
Memor hujus eſto, quam tibi trado, manûs:
Hoc conſecratam dexteram attactu puta.

Ex fœdere illam jam mihi debes novo.
Vt digna fiat, ſanguine hoſtili lava.
Spolia ferenti bina, dabitur tertium.
Dum vos in hoſtem ruitis, interea piè
Statui vacare Numini: caſtas preces
Cœlo admovebo. AR. Dum mei fuero memor
Dum lingua in ore, ſpiritus corde intimo
Animabit artus; concinam nomen tuum:
Eripiet hauſtu nulla Lethæo dies.
Te, Virgo, propter media dirimenteis freta,
Scopulos adibo: quæque non uno feros
Malea fluctus vortice incano rotat.
Te propter Afris miſtus anguibus premam
Steriles arenas; atque pulverei maris
Intrabo Syrtes: juſſeris; Mundum ultimum
Poſt terga linquam, pondere armorum gravis:
Calidam Syenen tempore æſtivo petam,
Vmbra carentem: nudus hyemali ſequar
Thulen carentem Sole. quidvis impera.
Vllum puellam ſeculum talem tulit,
Aut vidit ætas! vinciat nullis licet
Suras Cothurnis, horridæ veſtis ſinus
Collecta nodo: nullaque ex humero ſonet
Suſpenſa lævo pharetra: vel telis ſine;
Eſt vera Amazon, invidenda Strymoni.
Animum virilem cyclade fœminea tegit.
Accedit: alias, quæ feroci ſpiritu
Ferroque mammæ vulnus ignito domant,
Atterere formam, ſive ceruſſæ dolus
Frequentioris ſive bellorum labos
Aſſiduus æſtu frangat, aut nimio gelu,
Vtroque ſimplex pariter hebetatur modo
Oris venuſtas. Hujus elucet decor
Ambiguus inter fœminam & totum marem
Vt loquitur autem! Suada ſub labris ſedet.
Diſerta fragrant ora verborum favis.
Vltima monentis penitus in cor abdidi.
Ariphanaſſo: tu meas partes age.
Hoc enſe peragam, donec explebo ſitim.
Iam ſum bis unus, duplicis voti reus.

Me-

Memor huius eſto, quam tibi trado manus:
O me beatum! cui licebat baſio
Decente & iſtas ore venerari nives!
Hoc conſecratam dexteram attactu puta,
Ac ſi calentem ture ſuccenſo recens
Tetigiſſet aram; ſic habebitur ſacra.
Spolia ferenti bina, dabitur tertium,
Quid ni jugale. Vanus eſt Vates Amor.
Sed ſæpius non vanus interpres fuit.
Cæcus Amor oculos noſter iuſomnes habet.
Levis Amor. hujus Virginis conſtans erit.
Ludit Amor. at non verus illudit ſibi.
Fallit Amor. iſtum roborant datæ manus.
Accipio certæ pignus expreſſum ſpei.
Ad vota Sponſi quis propinquior gradus?
Iam tango cælum vertice & ſtellas manu
Vtraque verſo. Contumax Ammon ubi es?
Vt nuptiale præbeat cervix caput.
Sed enim prius quam Martis extremum volens
Diſcrimen adeo: Virgini noſtræ decet
Ferire Carmen, teſſeram obſequij mei.

VIrgo turture caſtior.
Agni vellere mollior.
Cygni voce ſuavior.
Euro ſlante ſerenior.
Vnda ſtante quietior.
Vultu Solis amœnior.
Cypri palmite largior
Toto vere fragrantior.
Saturni pretioſior avo.

Perciperet utinam Iephtias laudeis ſuas?
Forſan reductas intus auſcultans videt
Me pone maculas, ſubque tranſenna latet.
Fundamus aliud voce librata melos.

NYmpha recenti mitior oleo.
Nondum preſſo lacte nitidior
Matutino blandior ortu
Hermi rutilo clarior auro.
Dentis eburni lævior uſu
Stemmate palma rectior alta.

Optabilior lenibus auris.
Engaddinis dulcior uvis.
Pleno ſegetum ditior agro.
Denſa nemorum gratior umbra.
Multiplici formoſior oſtro.
Adeſt.notavi.ſternuit.cantum probat.
Perge excitare fila,felices chely
Infringe digitos.nullus in terris procus
Majus canori gutturis pretium tulit.
Trahat ille cautes,arbores,fluvios,feras:
Hanc ſi Puellam traxero,mihi ſat eſt.
THeſauris Arabum Virgo beatior:
Texto chryſolythis torque decentior:
Picta mille modis Iride pulcrior:
Illimis ſpeculi luce venuſtior:
Aurora tenera fronte modeſtior:
Dilecto Veneri ſidere carior:
Magnetis valida dote potentior:
Huc applicatis auribus vultum refer.
Dignare famæ gloria tuæ frui.
Huc flecte vultum Sole potiorem novo.
Nil melius aſtris poſſidet cœlum tuis.
STellis fulgidior Virgo micantibus:
Nimborum vacuo purior æthere:
Vivi lucidior fontis origine:
Intactâ pedibus candidior nive.
Intactâ manibus ſplendidior roſâ.
Frondoſo platani latior ambitu:
Lauri virgineis floridior comis:
Excelſis Libani nobilior cedris.
Penſilibus conſpectior hortis.
Non eſt ſatis laudare.fac tu,ſi vir es,
Laudanda & ipſe.nam quid argutum ſonans
Teſtudo,Martis inter efficiat tubas?
Iam remove ineptam mollis Amphion lyram.
Vocalis abiice tinnulas cytharæ fides
Imbellis Orpheu.fidibus eſt luſum ſatis.
Alios ad uſum tempus hoc nervos petit.
Qualeis lacertis maribus inducit ferox
Natura,tota miles exerta manu.

Ferro eſt agendum. plectra ſint gladij tua.
Ex hoſte cæſo gloriam & Sponſam cape.

SCENA VII.

Iephta in procinctu ſtantis Oratio polemica ad milites.

Iephte

HVc uſque miles. ſiſte. plus non exigo.
Iam jam neganti trahere Fatorum moras
Laxabo pulcræ ſpatia mortis obvia.
Audi monentem meque præeuntem prius.
Inficere quisquis alterum metu poteſt
Infectus ipſe. quisquis Hymenæi facem
Iugalis expers ſuſtulit primam tori:
Vitemve ſevit, cujus ex fructu ſitis
Levata non eſt: liber abſcedat domum.
Laribus Focisque rite tutelam gerat.
At tu Rebeccæ melior & binominis
Propago Patris clara divinum genus,
Electa pubes. macte virtute inclyta,
Quicunq; noſtris ſanguinem à proavis trahis.
Fatale bellum juſtus aggreditur dolor.
Imus ſacratæ jura defenſum Domûs:
ARCAM Tonantis pacta complexam DEI:
Fluvijs marique VIRGAM & altis turribus
Toties tremendam: quasque cœleſtis manus
TABULAS aravit, quemq; NUBIGENAM CIBUM
Aetheria liquido rore demiſit penus.
Si cui penates, liberi, conjux, ſua
Eſt cuique gaza, vita, libertas, ſalus,
Et fama cordi: tendite adverſum feri
Prædonis arma. ſentiat mollis latro,
Venerisque caſtra Venter aſſuetus ſequi;
Fera ſentiat, quo bella cum populo gerat.
Ne copiæ vos terreant. virtus facit
Non numerus aciem. ſtamus hinc fortes viri;
Pudenda at illinc ora ſimulantes virum.
Bacchæ biformes veriùs. Rapitur cohors
Amicta folijs, æra Curetum tenens,

Digitized by Google

Quo furor & amens raptat ebrietas. cunt
Sine lege turmæ milites ſine ordine,
Sine duce primi & ultimi. paſſim dapes
Vinique ructus. omnia unguentis madent.
Quippe & tubarum maſculo offenſi ſono
More Corybantum ludicri thyaſos agunt.
Vt digna capite membra, ſic membris caput,
Temulentus Ammon eſſedo patiens vehi;
Cratere ſumpto, cæde miſtas ac mero
Deſpumat iras, vite redimitus comam:
Species triumphi clara; quo Bacchus pater
Novus orgiorum Gange perdomito novos.
Submittat Indos; atque, ſi Superis placet.
Hebræa lepidos caſtra poſt Satyros trahat.
Quid? nos eadem ſpurcus iſte Thyrſiger
Haſta domari poſſe Silenus putat?
Si patimur iſtud, prorſus indecores ſumus.
At non avorum gloria hoc æquo probrum
Animo tuliſſet, preſſa dominatu gravi
Per ferrum & igneis repulit indignum nefas.
Nobis inultis, faſtuoſus ac procax
Viliſque terræ filius, teneat manus
Poſt terga vinctas! cædat inſonteis flagris!
Vexet tributis! fædus inſultet toris,
Opibus avarus! ſemper impune adpetat
Impunè ſemper vaſtet! indultum eſt nimis.
Veſtris in oculis, inque conſpectu omnium,
Ante ora veſtra (cuncta non ſinit dolor
Meminiſſe vel memorare) quot prædas agit!
Super hæc minatur, vimque conjugibus parat:
Minatur, inquam, ſæva vincla liberis,
Tormenta ſervis, ſubditas tectis faces,
Vrbibus aratra, noxium campis ſalem.
Pudeat tot annos, inter ærumnas, velut
Iumenta frenis vilia admorſis jugum
Potuiſſe ferre. pudeat ignavos molam
Verſâſſe. pudeat capita tonſos tam diu
Sub hoc tyranno vixe. tandem dedecus
Abolete ferro, vindicate patriam.

Eo-

Explorator vlt.

Magnanime Princeps, pauca: dum nectis moras,
Progreditur hoſtis tranſque Iordanem ultimos
Furit furores. IEPH. Dic, ut in turmas eant,
Efferte ſigna: caſtra moveantur loco.
Stet expeditus miles opperiens Ducem.
Placabo precibus Numen interea pium.

Jéphtæ:

Precatio & votum.

Omnipotens, penes eſt quem rerum immenſa poteſtas:
Cujus ad imperium feſtina tonitrua currunt,
Et rapidos ſiſtunt ſtridentia fulmina curſus.
Cui mare velivolum, & Zephyri famulantur & Auſtri.
Teſtes ſunt vaſto fluitantia mœnia ponto,
Inſtar montis aquæ: quibus obluctantibus omnis
Obrutus eſt Pharao, Peluſiacaque quadriga.
Aſſurgens altè ſuſpenſo marmore fluctus
Ad letum patefecit iter: coeunte procellâ.
Rurſus Erythraa, viſi deſcendere in imum,
Curribus inverſis equites equitataque fundum.
Pavit cæruleas clades. Mareotica Phoas.
Te duce Nunides cœleſtia juſſa ſecutus;
In caput arrecti ſuperato fluminis alveo,
Deſuper everſam vaſtavit funditus urbem.
Latè per vacuas lituis reſonantibus auras,
Ad nova concuſſi ceciderunt claſſica muri.
Ille retardato frenavit ſidera curſu:
Injiciensque manus aſtro, quod temperat Orbem;
Ne pavidus tenebris frueretur transfuga, Solem
Detinuit, juſſitque diem duplicare morando,
Ille ſatur fuſi media de plebe cruoris,
Calcavit Regum rorantia ſanguine colla.
Te duce vel mulier victrix, lactavit inani
Spe Siſaram generoſa Iahel: penitusque trabali
Viraque confixit ſopiti tempora clavo.
Hec ferro tamen uſa. lutum tibi ſufficit olim
Hoſtis in exitium: vibratur inhoſpita lampas;
Caſtraque caduntur ruptis Madianica teſtis.

Sic ô noſter ades: ſic nunc quoque Maximus adſis:
Nubibus armatis, Deus, æthereoque tumultu.
Annue & antiquas renova, miracula, pugnæ:
Noſtraque non noſtris iterum gere bella lacertis.
Da, cui iurati properans ad ſigna triumphi,
Et pennata ſuas Victoria ſubijcit alas
Da Pater Ammonem dirum immanemque tyrannum
Da mihi terrarum communem atque ætheris hoſtem
Sternere. Si dederis, Voveo. Quodcunque reverſo
Victori ante meas mihi primum occurrerit ædes
Sit ſacrum, ſacraſque tibi mactetur ad Aras.
Eatur ergo mens mea addicit ſibi.
Calidæ recepto ſpiritu venæ micant.
Arma arma miles, arma miles horrida.
Freme miles arma, miles inflentur tubæ.
Stringantur enſes: Omnis in ferro eſt ſalus.

CHORUS.

Complectitur Iephtæ encomium: militare Claſſicum: De conflictus eventu obſcurum præſagium.

CHOR. Cognatas acies Iephtæâque Signa canamus
Ite animæ fortes; & noſtram, judice ferro.
Quandoquidem ſpreta eſt facundia, dicite cauſſam:
Enſe repoſcatur, quidquid ferus abſtulit enſis.
Ite per Ammonis victrici viſcera dextra.

Iephtæ Encomium.

CHOR. Iephten magnanimum dicite Principem,
Bellantis celebrem laude ferociæ
Quis cornu jaculum tendere certior?
Vaginâ gladium ducere promptior?
Hoſtiles rumpere fortior?
Curſus quadrupedum frangere doctior?
Palmas de medio tollere dignior?
Toto conſpicuus ſi ſtet in agmine:
Noſcendus medijs millibus eminet.
Nullo frontis honor proditur indice.
Nam nec lætitijs mollibus effluit.
Nec mœſtis premitur nubibus: eſt tamen

Læ

Iræ non tetricæ regia nobilis.
Tobitæ memorent; quantus in æreum
Aſſurgat clypeum: quo cava turbine
Haſtam conjiciens nubila dividat!

CLASS. Tanti ſigna Ducis quis dubitet ſequi?
Damnetur pavidæ miles inertiæ:
Ferro qui metuens tranſadigi latus,
Cum fletu patriæ limina reſpicit.
Indignum clypei ſolibus aurei,
Criſtíſque in nitida caſſide ſtantibus,
Obſcurant rutili fulgura balthei.
Probroſum eſt, niveis ſubter oloribus
Somni relliquias ducere languidi:
Et vitæ trepidam ſerpere fabulam.
Virtus non recubat mollibus in roſis:
Aut plumis thalami verſicoloribus.
Ignavis, ſimili quo Nemeſis gradu,
Mors ignava venit. campus habet virûm
Iuſtis exequiis digna cadavera.
  Aſpectum ſubeat Theſſaliæ jugis
Surgens acer equus. quem ſimul obvius
Belli afflavit odor, tortaque buccina
Signum triſte dedit; luxuriantibus
Fuſus colla jubis prælia flagitat:
Atque ante ora virûm fervet inobſequens
Longas ferre moras. neſcius ad tubam
Certo ſtare loco dimicat auribus,
Et pennis rapidi certat Iapygis.
  Celſis ſideribus Marſpiter invehit
Rimoſo mutilum corpore militem:
Cujus per laceros vulneribus toros
Et coſtas Animus proſpiciens micat;
Incertúmque facit copia funeris;
Qua ſe ſe dubitans cedere Spiritus
In dulceis tenebras ejiciat via:
Ore an dividui cordis hiatibus
Perfoſſiſve fibris, mille per oſtia.

CLASS. O! ergo Iuvenes, quos generoſior
Excoxit radiis Phœbus, ut efferat
In cœlum proavis fortibus editos:

Deſcen-

Defenſura Lares arma capeſſite.
Forteis arma viros, non tunicæ decent
Laxantes manicas; non redimicula
Humoris Tyrii luce rubentia.
Quamquam ſollicita mente noviſſimus
Exit lucis amor, cordáque palpitant;
Semper dulce fuit pro patria mori.
Creſcit Biſtoniis fama laboribus.
Plagæ multiplicant ſemina gloriæ.
Bellatoris enim membra novalium
Ritu, verus Honor ſcindit, & irrigat
Multo (ſicut agros) pinguia ſanguine.
Nec tantùm modicis ictibus extima
Perſtringenda cutis: ſed penitùs cavum
Quà pectus cohibent ima repagula;
Sulcandum eſt valido corpus acinace,
Impreſſo veluti vomere ſaucium.
Terris purpureum ſic caput extulit
Inter mille tubas, rurſus & intulit
Thebis orta ſeges. linquite ſarcula
Iam cives. rigidis pendet ab enſibus
Spes anni melior. ſpargite vulnera,
Exercete manus. puniceo ſata
Erumpet jugulo Martis adorea:
Pulcra Triptolemi meſſe beatior.

CHORUS.

Vates.

Tetigere lævum vallis umbroſæ latus.
Properant: Iaboci lympha poſt tergum fluit.
CHOR. Agitatur iſte à Numine. ingreſſum Dei
Vultu fatetur. ore fatidico rubet.
Quaſſat capillos. loquitur aliquid non ſuum.
VAT. Aroëre noſtri caſtra tranſmiſſo locant
Hoſtili in arvo. pænè contigui movent.
Video vel abſens. rebus interſum procul,
Et prope remotus. quin & audire, & ſonos
Percipere varios, voce diſtincta, datur.
CHOR. Vtinam ſecundus augur apportes bona.
VAT. Attrita ſaxo tela utrimque exaſperant.

Arvina gladios tergit. armantur neces
Etiam venenis. hoſtis inventum recens.
CHOR. Vertendum in ipſos, pœna ſi ſonteis manet.
VAT. Fremitus equorum, ſtrepitus increſcit virûm.
Inflantur æra: raucus augetur canor.
CLASS. Et nos inflemus. quòquè rapit impetus, icti
Bellipotente Deo,
Aonióque ſimul,
Qualiacunque furor, quóque ordine, carmina dictat,
Campo inferamus non timidos pedes.
Pugnaces Animæ, magnúmque in nomen ituræ,
Seros ad uſque poſteros;
Fortiter irruite
In medias acies & corpora cædite ferro.
Mactentur infeſti canes
Stabulo extrahantur ſordido Ammonis.
Neminem ſervet fuga vel latebra.
Pulvere craſſo.
Late undanteis vertite campos:
Sic jacite, ut nullum redeat ſine ſanguine telum.
Sed multa morte receptum,
Dirigite in ora
Præclaris obſtantia cœptis,
CHOR. Dulcia caros pignora natos
Vt largis repetatis onuſti
Spoliis, precamur. Conjuges caſtæ
Vota pro toruis faciunt maritis,
VAT. Tam ſumptuoſis milites furiis emant
Sex folia lauri! ceu mari Symplegades
Medio coirent, tantus exoritur fragor.
Poſt ſe relinquit militum furor tubas.
Sua cuique fortem dextra concentum facit,
CHOR. Seria feroci bella conflictu calent.
VAT, Quis iſte miris aureus ſquammis, acu
Pictus fluentem faſciam, vultu decens:
Sed mentis impos. CHOR. Noſter eſt, an Regius?
VAT. Increpuit ultrò. digna & indigna objicit.
CHOR. Inimicus hic eſt. obſtruant os lanceæ,
VAT. Totis adactum viribus ferrum impulit.
CH. Simul ede, quiſnam? VAT. Parma nil miſerum juvat

Spa-

Spatioſa preſſo plaga pulmonum ſedet
In folle. modicus ore ſingultat calor.
Debemus omnes Fata. tu prior ſubis,
Qui colla rutilo crine perfuſus, manu
Barbam remulces CHOR. Aliquid excelſum videt.
VAT Geminum nitenti cluſus orichalco pedem.
Excutitur autem : nec movere ſe poteſt.
Cecidit reciſus poplitem ;
Impreſſus ora gramini.
CHOR. Totus perempto Mars jacet ſæpe unico.
VAT. Siccine negatâ morte contemptor ſuum
Irritat hoſtem ! en exprobrans veniam vocat
Crudelem, & odit : quid moram trahis ? feri.
Tranſverberatus enſe thoracem cadit
Ab equo ſupinus. vivit etiamnum. feri.
Plaga duplicetur. CHOR. Quos canit nobis viros ?
Animas tenaceis poſſident. VAT. Qualis leo
Perſultat Afer hoſte viſo cominus ;
Quatiénſque fuluo tortiles collo jubas,
Venantis arma frangit ; ac toto ſupra
Dum fertur haſtas corpore, impavidus fremit.
CH. Vter iſte Pœnus? Iephte an Ammon? VAT. Occubat.
CHOR. Ducem Salutis præpotens ſerua Deus.
VAT. Tundit cruentam calcibus moriens humum.
Effundit alium ſegregem ſternax equus.
Criſpatus auro conus ad pedes jacet.
Secedit agmen. ecce, concurrunt duo.
Collapſa cervix
Humero ex utroque pendet. aurigam cave.
Numero ſuperadditur idem,
Transfixus capulo tenus.
Per & trilicem mucro loricam exiit.
CHOR. Vtinam tyranni !
VAT Clamantis animæ murmur extremum ſitit
Feriente pugno. nuda jactans brachia,
In capite cerebrum, in ore dentes miſcuit.
Campum cruore pugna crudelis lavat.
Acies dehiſcit una,
CHOR. Scrutemur, ex qua parte. quid certi refers?
VAT. Ariphanaſſo, quò fugis ? ſub qua lates

Nautæ lacerna ? Doridem præfers Rheæ!
CHOR. Obſcura loquitur, Omen hoc felix erit:
Renidet ore. VAT. Caſibus quid non licet ;
Quandoque in ipſis ludit exſultans furor
Feſtivus armis. Miles uno ſternitur
Procerus ictu. grande cum galea caput,
Trunco jacente, volitat excuſſum procul ;
Donec repoſtum collo in alterius ſedet,
Quocunque jure. Fata in alieno locant.
CHOR. Rurſus ſeveram ruga frontem contrahit,
Viſu pavenda ſpectat, iteremus preces.
VAT. Quid in hoc tumultu fabor ? abſcondit diem
Pulverea nubes. eripit viſum mihi
Caligo belli.
CHOR. In vota Superos, quiſquis eſt pius, vocet.
Periclitamur. Vatis igneſcunt genæ.
VAT. Militiæ diſcerpitur ordo.
Scintillæ abſiſtunt oculis ſpirantibus igneis.
Tantus ineſt animis calor.
Corpora Corporibus,
Enſibus enſes
Miſcentur ; galeæ galeis : & adultera criſta
Diverſis admota viris
Alieno in vertice nutat.
Tam prope colliſi promiſcua corpora trudunt.
Vmbone repellitur umbo :
Et clypei clypeis, & acutâ cuſpide cuſpis.
Seſſores ſub equis, hi ſub ephippiis,
Arma, armenta, viri,
Cum ſigniferis ſignâque cæſis,
Magna ac parua cadunt, paſſim ſine nomine vulgus
Præcipitant in opaca foſſæ.
Gemitum dat icta tellus:
Porrectus ſuper alterum
Incubat alter..
Quo poſuere loco Fortuna & caſus, eundem
Congeſti in tumulum jacent.
Nocte velut pluvia vitæ ſparguntur in auras.
Alite ferro
Confoſſus Heros vulnus ingens accipit.

Infixa

Infixa eſt capiti cornus,& exiit
Effuſo tepefacta cerebro.
CHOR. Sed ede tandem : quos penes victoria eſt?
VAT. Iaculis jam denique denſis
Arctatus non ſufficit æther.
Mutua perdunt vulnera jactu.
Ferrea nox pharetris effunditur.
Tegit omne cœlum ſilua diſcurrens
Quanta Tyrrheni maris eſt arena.
Tot diſtincta notis non pendet litera, verno
Aere quum gelidi
Linquit Strymonis undas
Scriptorum genus alitum,
Formidabile genti,
Quæ qaulò minor eſt grue.
Non tot ſtagna Paduſæ
Nutriunt raucas aves.
Non tot ripa Cayſtri
Cantores Stygiæ mittit Iunonis ad aures.
CHOR. Conticuit altùm. ceſſat,& ſubitò ſtupet,
Num cuncta fando trepidat in medium dare?
An iniqua feſſum fata ſubmergunt virum?
Quodcunque tandem eſt : cauſſa in ancipiti ſita
Communis agitur. omnium hinc pendet ſalus.
Ad amica puras aſtra tendamus manus.

Tu, cui patrias Gens ſepoſita
Sanguine ſacro tingimus aras;
Numen ab omni parte tremendum;
Niſi quà miſeris tua connivet
Pietas victrix : huc verge DEUS,
Miteis oculos; & res propiùs
Aſpice feſſas. Saltem proavis,
Iurata quibus fœdera ſanxti;
Si noſtra fugat culpa, benignam
Annue mentem.

ACTUS III.

SCENA I.

Baracus domeſticus Menulemæ, refert eius piam ſollicitudinem, nec non timidum omen, propter incertos bellorum eventus.

BARACUS.

VT ne triumphus prævolet victoriam,
Sapiens veretur: & vereri, ſi ſapit,
Poteſt. repente vota ſubſidunt retro:
Et amputantur colla formoſæ ſpei.
Incerta non ſunt, quæ futura: ſunt tamen
Ignota. præſagire paucis contigit.
Decipitur augur ſæpe quantumvis ſagax.
Nec omne pectus intrat ætherius calor.
Quotus ille ab alto Fata ſpeculatus, ſuum,
Mente antevertit? præſcius Vates, avis
Rara eſt in Orbe; ſique ſit, tacitis volat
Pennis per alta nubium radens viam.
Amore noſtri proſpera optamus quidem
Sed cæco in antro conditi eventus latent.
At ſi quid anceps, ſi quid inſtabile & vagum
Se curioſæ plebis arbitrio clepit;
Bellum eſſe dicam. ſed regreſſus invios,
Principia fine pulcra perplexo tegit;
Serpentis inſtar tortuoſi, qui juba
Variiſque motat fulgidum maculis caput,
Illudque parvum: ſed venenatam trahens
Alvum, volumen grande poſt tergum vehit,
Deciesque ſe ſe. Signa, clangentes tubæ,
Phaleræque equorum, torque galearum nitor
Specioſa quamvis mille prævelent mala,
Allicere pariter timidum & audacem queant
Succedit horror, gemitus, & verſis rotis
Fremor cadentum, buſta, paupertas, lues:
Cernas in armis aliud, aliud ſentias.
Quis crederet tam fragile ferrum, quam vitrum;

Nec plus habere ponderis! Mars ferreus,
Fortuna vitrea, diſpares; tamen pari
Levitate certant. ille terribilis Geta,
Vaſtator Aemi, rigidus armorum Deus,
Æque, ac mulieres, ſemper inconſtans fuit,
Doliſque pæne Conjugem vincit ſuam.
Rapitur in orbem & ipſe. Me verum loqui,
Nôrunt probantque vicibus alternis Duces.
Quoties decora fronte ſub primam ſtetit
Aciem ſuperbus? moxque cluſa caſſide
Turpem infidelis terga vertit in fugam.
Sunt gladii utrinque; humana utrinque corpora,
Patenſque ſimili ſorte vulneribus locus,
Æquat pavores. pellis ubi pelli imminet,
Furor eſt, peperciſſe. arma in armatos cadunt,
Spem victus, iram victor acuit, hoc agunt,
Securus eſſe neuter ut poſſit diu.
Vbique bis peccare liceat; vix ſemel
In bello adimitur omnis occiſis ſalus.
Non patitur error corrigi vitam auferens,
His mota cauſſis, mentis augurio tremens,
Fatum parentis Iephtias ſuum facit.
Caſus volutat ſingulos, omneis timet.
Eſt in ſuprema Iudicis noſtri Domo
Aprica ſedes, Solis Eoi capax,
Recénſque natæ lucis; Euri vividis
Expoſita flabris. lenis obliquum latus
Inumbrat Auſter frondibus. torta nemus
Radice ſurgens, arduum è clivo caput,
Viridéſque ramis tollit innumeras manus;
Tantóque creſcit ambitu, unam ut altera
Illaqueet arbos, hæreátque brachiis.
Facit ordo verſum. fraxinum cedrus ferit,
Cedrum cupreſſus: platanus alno nititur;
In hoc receſſu virgo curis anxia,
Sollicita votis. ſpe metúque fluctuans,
Noctes diéſque precibus aſſiduis vacat.
Animâ puellam patris animari putes,
Vitaque eadem vivere. uſque adeò ſtudet
Patris ſaluti. totus in mente eſt pater.

Geni-

Genitricis autem in mente tota eſt Filia.
Non ſic juvencam torua cuſtodit parens;
Vt mater ambit blanda Menulemæ latus.
Huic fila Serum ducit, huic aurum ſtruit:
Hujus decorem comit ac mulcet frequens.
Hæſura nitidis ſerta diſponi comis,
Invita Virgo patitur, optaret ſuis
Potiùs bonis gaudere pulcra non opus
Habet apparatu. dote nativa ſatis
Ornata facies refugit ad ſpeculum coli.
Se ſe eſt venuſta dives. ex ipſo magis
Generoſa fonte forma reſplendens placet.
Super addis artem? nobili fuco perit.
Aurora qualis ex mari ſurgens nitet
Peculiari luce, quàm diu madet.
Simul capillos dulcè roranteis calor
Deterſit; omnes ore vaneſcunt roſæ.
Non niſi coacta, Iephtias pompam induens,
Gemmas ſuo fulgore nolenteis tegi
Virtute obumbrans celat, ingenio premit;
Formoſa ſemper abſque cultu nunc dolet.
Ames dolentem. ſqallidam luctus decet.
Eſt & perita ſedulâ Phrygias manu
Vrgere telas. hac remordenteis ſciens
Soluiſſe curas, ſeque furari ſibi.
Iam dedicatum vellus olim cœperat
Mollire nebulis. tum ſubactum ſternere
Digitis in uſum. parte plus media labor
Exactus ibat, jam coloratam prope
Meram tetigerant fila. ſpectari dedit;
Vt Abrahamus immolare filium
Decreſſet: iſte pareat flexus genu.
Nuda puer cervice. ſimulatum ſcias,
Verúmque credas. tantus in membris lepor,
Sua cuique forma, certus eſt formæ modus.
Libratur enſis ſtamine ex argenteo:
Ex aureo vagina pendet. baltheum
Neviſſe Seres Lydia & textrix putet,
Faſcem videres ligneum ſterni ſolo.
Flammam applicato folle carbones dare.

Prælatus ignis murice Oebalio rubet.
Loco caloris flagrat incenſus color.
At Iſaacus, qua micant vitalia,
Candente byſſo fingitur. collum, tori,
Ante alia jugulus lucet intexta nive.
Nix verò caſtigata ſubjectis retrò
Diluitur umbris. ficta ſic vivunt magis.
Materia diſpar ſponte ſubmiſſum caput
Varijs remiſcet licijs. Ianthinæ
Glomerata in orbeis lana criſpatur comæ.
Pars aliqua texti lævam ad aurem pulcrius
Neglecta languet, cumque fuſis funditur
Subtemine albo carbaſus latè patens.
Placidum modeſtæ frontis æquor explicat.
Nullas decora ſutiles rugas habet.
Nec patitur ætas, plana ſimplicius nitent.
Punicea ſtanteis fila percurrunt genas:
Modiceque ab oſtro vultus imberbis tumet.
Modicè. propinqua pallet aliquantum nece.
Nil præter oculos deerat. heſternam diem
Impendit illis, ut dolorem falleret
Studio Minervæ protinus ſub palpebra
Acu micante ſidus accendit duplex;
Tam mitè florens, tamque ſubtili face
Nictuque blandum; tam ciendo affectui
Miſerantis aptum, ſub patris poſitum manu:
Vt & ipſa (& ipſa non tamen mollis) rudi
Pietate mota flêrit, *O ſuavis puer*
O in parentem moris exemplum pij
O dulcis Innocentiæ Specimen, ait,
Voluiſſe promptum tam cruenta præcoci
Sancire fato iuſſa! certe iam cinis,
Iam funus, animo funus acceptans, eras.
Iterumque flevit. omen infauſtum movet
Interpretantem ſeciùs. ter ſyntheſin
Calatho reponens ſtamina expavit ſua:
Ter & reſumpſit. ter ſubortis lacrymis
Linquere coacta eſt. Quo malo cadit in ſinum
Injuſſus imber, inquit. unde hic impetus
Flendique tanta ſeu libido, ſeu furor!

Quæ placet imago, placita cur gemitus ciet?
Cur ipſa plorans damno ſucceſſus meos?
Sic Fata queſtus iterat, incumbens toro.
Accedit ad prædicta nocturnus timor.
Inſomnia agitant. terret attonitam quies.
Namque ejulantem veſte diſciſſa Patrem.
Mœſtóque vultu penitus exſanguem, ſibi
Videre viſa eſt. turbat excuſſus ſopor:
Creſcítque vanus vana metuendo metus.
Quamquam ô! ſed ad pejora proclives ſumus.
Timenda ſemper omina explorat timor.
Quid deinde? Sexum fas ſit imbellem queri.
Formido vana, non decet ſaltem viros.
Quod Gnata patri metuat, ignoſci poteſt.
Hac ſtante cauſſa, militem, Iephte, tuis
Diffidere armis, muta quædam injuria eſt.
Toties probato quiſquis indubitat Duci,
Convicium deforme virtuti facit.
Novi lacertos, pectus, ingenium, fidem.
Cruore ſparſas hoſtico palmas feret:
Parum eſt, feret, jam fert, & hoc parum eſt; tulit.
Sonus æris altè jam bis allapſus refert
Lætum aliquid. audis? æra clangunt tertia.
Tu, quiſquis ille es, ede, quid portas novi?

SCENA II.

Iephtaa Victoria relatio.

Nuncius I. Baracus. Nuncius II.

NVNCIVS I. Qui timuit hoſtem, jam timere deſinat.
BAR. Vt te faventes præperem Zephyri ferunt!
NVNC. Quod ſteterat antè pedibus erectis; jacet,
BAR. Ediſſere agedum, nil per ambages refer.
NVNC. Vt ſi viator fortè flaventeis agros
Æſtate præter paſſibus vagis meat:
Triticeæ ariſtæ capita turmatim levant,
Animóſque tollunt, more conferti agminis:
Idem reverſus ſtirpitus ſulcos videt
Omneis retectos. prona ſubſedit Ceres,
Latéque longo funere inſtravit ſolum.

Haut aliter hoſtis ſtantibus turmis ferox,
Vt icta curua falce procubuit ſeges
BAR. Nullo obice Victor hæſit, aut victus mora?
Immò age ſub oculos totius belli aleam,
Vt jacta campo eſt, pone. felicem juvat
Ludum intueri. cladem & illius modum
Seriémque pande. NVNC. Nulla tanto, quod ſciam,
Incaluit æſtu pugna. Cur pugnam voco?
Quæ luculenta veriùs ſtrages fuit.
BAR. Vindictæ initium præbuit nox an dies?
NVNC. Inter diem noctémque, cùm primùm parens
Amœna lucis aperit ætherias fores:
Horæque Solis induunt frenis equos,
Adhuc marinâ currus aſſurgens procul
Rorabat unda: clamor, ecce, tollitur;
Quantum volutat ſilua, cui, patre inſcio,
Elapſus olim per cavi montis latus
Incubuit Auſter. ſtridet agitatum nemus;
Frondoſa ſive colla procuruans, humum
Stirpémque tangat; ſive rurſus arduos
Attollat apices, nubibúſque immiſceat.
BAR Quid noſtra, ſiluit, an reclamavit Phalanx?
NVNC, Reddidimus alta voce diſcordem ſonum.
Littorea qualem ſaxa Tyrrheni maris
Reddunt fragorem verberata fluctibus.
Concuſſa tellus, tótque diviſus modis
Aer procellas voluit adverſas ſibi.
BAR Fremitus inanis iſte duravit diu?
NVNC. I. Calefacta donec corda moriendi metum
Vitæque amorem prorſus emôlſſent loco:
Et acuta promptas ira confereret manus.
Vt taurus olim fronte robuſta minax,
Cui craſſa circùm colla ſtant palearia.
Aut laxa pendent: magnus alieni pater
Stabulíque fieri rector, invito pari,
Per bella quærens, mugit audaci tuba
Cornuque confert. proximo ſaltu latens
Reſponſat alter, jamque proludit pede.
Taurina totis reſonat Echo montibus.
Spumant amores. ſtimulat indomitos furor.

Deni-

Denique in aperto capita concurſu truces
Obnixa miſcent. tanquam in incude æneæ
Ictus reſultant donec unus cornibus
Truncis abactus cedat & campo & toro.
Victor ſuperbus exprobrat connubia.
Reboat adulter victus, ac ſiluas petit.
Hæc belli imago prima. tu pulcram modò
Quæ placuit uxor, candidam credas bovem
VICTORIAM eſſe. Noſter extorſit proco.
BAR. Quo pugna crevit ordine? utra lanceam
Pars torſit in condenſa primam, & auſpicem?
NVNC. Vt miles intra proximum teli ſtetit
Letique jactum: noſter intuitu vago
Permenſus aciem Ductor hortatur ſuos:
Quâ juſſo, celerem ferre pugnaces pedem.
Nec plura fatus, diripit ferrum cavo.
Ceciditque in hoſtes. non ſecus quàm flammeo
De nube fulmen. illud expreſſum volat
Diri vaporis undam anhelantem vomens:
Quáque incitatum rapitur, obliquâ viâ
Rectáque, certa clade multorum cadit,
Certâ reverſum ſpargit innumeras neces.
BAR. Bene inchoâſſe, ſæpe in hoc puncto fuit,
Viciſſe. ſed non ſemper eventus habet
Impetus eoſdem primus. eventum refer.
NVNC. Omnis ſecuta prævium pubes Ducem
Mucrone ſtricto. BAR. Cuncta in exemplo ſita.
NVNC. Sed & igne vero conſtitit ſupra caput
Succinctus æther: atque (minimum eſt, quod loquor)
Adverſa ſubito caſtra turbavit metu.
Sonuere nimbi non tumentes Aeolo:
Non quomodo æſtas audit, arſerunt poli:
Iræque multo ſulphure imbutæ Tonans
Manifeſta Cœlo Signa concuſſo dedit.
Tum verò pavidis falſus it ſudor viris
Equiſque, & unus implicat cunctos timor.
Ipſa arma trepidis, galeæ & enſes, hoſtibus
Tonare viſa: terra ſubduci movens.
Inſtare timidis Iephte, & uti tempore,
Cœlo, tumultu, Qualis hybernus ruit

Digitized by Google

De monte torrens pabulator nubium:
Tandem nivoſa valle præcipitans aquas,
Per cuncta ſpumat clauſtra graſſari rapax.
Curſúque frangit ſparſa pontes fragmina,
Damnum coloni prorutis deflent caſis.
Fit plena cædes. terga fugientum ſecat,
Latera explicantum debilis alas premit.
Frontem reluctantum, ora pugnantum fodit,
Stantum trucidat. BAR. Bella Centauri refers.
NUNC. Hoſtilis acies media membratim periit;
Concisa, proculcata, diſiecta, obruta
Currus ſonanteis & quadrigarum rotas
Trunci morantur impeditis axibus.
Per arua craſſi ſanguinis fluctus eunt.
BAR. Tum deinde ſpoliis noſter intentus fuit
Miles legendis. præda populatrix opum,
Eſt anima belli, vivit hac ferrum tenens.
NUNC. At non & Ammon non recollegit ſuas
Vtcunque vireis. quondam & in victos redit
Amara Virtus, ſéque cote ſuſcitat,
Tutum eſſe prohibens. BAR. retege, quos tentant dolos!
NUNC. In nemore curuo trames anguſtus latet,
Circúmque dumis obſitam ſepit viam.
Ibi furta bellis apta; circuitu biceps
Clementer acto collis attollit jugum,
Aditúmque celat, hinc repentè, dum ſui
Incautus arcto calle palanteis agens
Inſequitur hoſtes; impetu facto, triplex
Procurrere improviſus in Iephten globus,
Duce Iaramazda. Callidem poſt regiam
Erat iſte ſummus ſemper in bellis apex
Ammonidarum. Vix manu ſignum dedit:
Vnum unum adorti mille certatim petunt.
Pluit ſagittis. galea tinnitu ſtrepit,
Flictúque parma. BAR. Qui tot unus ſpicula
Excipere valuit ſeptus hoſtili globo?
NUNC. Ille, ut elephantus imbre ferrato rigens,
Æriſona grando ſiqua telorum cadit.
Hæſura dorſo diſcutit motâ cute:
Tum grande Libyci dentis infrendens ebur
Con-

Conſumit omne, circumactu, neſcias,
Pedes, lacerti, crura, cervices, manus
Findantur an ſecentur, abrupti cadunt
Nexus. in hoſtem tota ſævit bellua,
Ex corde vireis advocat Iephte ſuas,
Contráque multos unus inſtar agminis
Stat mole contrà, ſufficítque, & obvios
Contemptim in orbem fulminat, velut canes.
Ex manibus haſtas ſæpe raptas improbo
Regeſſit hoſti. Fortè Iaramazdam videns
(Ita Sors ferebat) mox relictis omnibus,
In hoc moratus, cùm retardâſſet fugam:
Clypei per oras triplicis obſtanteis viam
Molitus, alto vulnere exhauſit virum,
Pectúſque rupit enſe. vel moriens adhuc
Recalcitravit, ore diducto fremens:
Sic quoque rebellis parte moritura ſui.
Vt hirtus olim ſtantibus ſetis aper,
Si quando fixum, menſe brumali, furens
Venabulum momordit; antè quàm trucem
Deſpumet animam collocandus, in manum
Sævire vindex pergit; &, noceat modò,
Necandus ultra debitæ metas necis
Feræque morem, mordicus prenſam viri
Transgreditur haſtam: ſéque vulnus in novum
Rabie cruentâ vulneris primi rotat.
Miratur ipſe paſtor, & pallet ſuæ
Horrore prædæ. BAR. Memora & iſtud, ſi potes.
Ariphanaſſo capita quot ferro ſecans,
Opima ſummo ſpolia ſuſpendet tholo?
NVNC. Neſcitur, ubi ſit. fama non conſtat ſibi.
Vinctum, ſolutum, mortuum, vivum canit.
Plerique dira cæde ſublatum putant;
Ammone toto, morte cruciatum nova.
Certè peracti nulla pars belli fuit.
Nuſquam adeò in acie viſus. BAR. extremũ hoc preme:
I, reliqua properè defer in palatium:
Meritum primas, præmium curſûs feres.
At te caducum qualia, & quo pondere,
Ariphanaſſo, Fata, qui caſus premunt!

Sic occidiſti! ſic jaces inglorius!
Arena functum condit ignota ſcrobe.
Fortaſſe laceris artubus paſcis feras.
Menulema nempe, ſicut optabas, tua eſt!
Humana fœdi ſubruunt vota exitus,
Pilæ videmur eſſe, quæ jactu levi
Pulſæ per auras vix volant, iterum cadunt,
Surſum deorſum jacimur, & ludus ſumus.
Signavit aliquis lapſus Icarium mare.
Iam & ipſa tellus Icaros ſuos habet?
Certum tremendis caſibus, certum locis
Nomen daturos, alta ſublimes petunt:
Voluuntur imo. Famulus hic Memphyticus
Quò vota non rotavit! uſque ad ſidera.
Gnatâ potiri velle noſtri Principis.
Eſt petere cœlum velle. Quod ſtupeas magis.
Annuere Virgo viſa, Iuveni faverat.
Amabat ejus indolem, mores pios,
Caſtámque mentem. Pacta quin jugalia,
Sparſum eſt. utrinque ſpes ligâſſe credulas.
Eheu! ligâſſe. ſoluit iſtud vinculum,
Quæ cuncta ſoluit, Mors Inexorabilis.
Quàm rarò in unum cuncta Naturæ fluunt
Sortiſque dona? nemo tantorum capax.
Nihil eſt ab omni parte ſyncerum; nihil
Plenè beatum. nebula ſemper officit.
Commendat aliquem forma: deſtituit pudor.
Hunc fama Martis clarat: obſcurat genus.
Priſco tumentem genere mores inquinant.
Ferro manúque fortis, ingenio caret.
Conſulere promptum turpis exanimat pavor.
Facundus ore, viribus minùs viget.
Ægrotat animus ſæpe, dum corpus valet.
Ariphanaſſo dote non una fuit
Inſignis: acer, eloquens, agilis, ſagax,
Parere ſolers, impiger, fidus comes:
Egregius armis miles, egregius domi
Bellique: nec non legis obſervans ſacræ.
Sed adde: præceps, vanus, infelix procus.
Vetus eſt amantum pœna, fieri fabula.

NVNC.

NVNC. II Parta ex ſuperbis hoſtibus, parta ultio eſt,
Fuſi per herbas hoc habent in ceſpite,
Suóque verrunt ſordidum tabo lutum,
BAR. Si vera narras, vota tranſcendis mea,
NVNC. Gratare Iephtæ libera Ammonis jugo,
Gratare Galaad. vivit aſſertor tuus.
BAR. Tam certa fers quàm læta? NVNC. Venatum putes
Ivisse noſtros: quidquid Ammonis fuit,
Subiiſſe textas funibus raris plagas,
Ceu canibus actos licuit inimicos brevi
Porrigere ferro. terror è cœlo ruens
Turbam fugacem conglobatam in obvios
Adegit enſes. milites, lixæ, duces
Cecidere juxtâ. Sic, ubi certum nemus
Indago cinxit; jămque inhærenteis feras
Inſtans melampus arctat; in latum cadunt
Ferrum gregatim; ſilua tutari nequit.
Capiuntur unà quæ timentur & timent.
Fortibus inerme belluis miſtum pecus,
Tunc caprea vulpem, dama contemnit lupum,
Ceruus leonem. ſudor idem eſt omnium.
Fortuna fecit miſera communem metum,
Obliviosum alterius, & memorem ſui.
BAR. Captæ quot urbes. ede. NVNC. quot poterant capi.
Vtriuſque noſtræ quot manus digitos habent,
BAR. Qui computabit, eſſe vicenas ſciet,
NVNC. Turrita quævis. dirutum ingreſſi ſumus
Penetrale Regni, quà Menitham lubrico
Oleæ feracem tractus attollit gradu.
Vitifera ad uſque pinguis Abelæ juga.
Frenatur omnis regio noſtris legibus.

SCENA III.

Laus Paris. Gaudium Galadini Populi ex nunciata Victoria.

Aodus. Chorus.

AODUS. Tandem reverſa Pace lætari licet.
I triſte belli Numen ad Thracas tuos.
Vtcunque phaleras, ſpolia, captivos greges,

Criſtata regum capita & exuvias Ducum,
Odioſa magno nomina afflatu crepas:
Nos Pacis almæ certa præferimus bona.
Hæc arua ſpicis veſtit, & cellas replet.
CHOR. Bello nulla ſalus. vacent
Coryti calamis graves.
Ferri dulcius otium.
Ferro ſi tamen eſt opus.
Scindas jugera rectiùs.
Cùm moto ſemel agmine
Turbo bellicus ingruit;
Neſcit contrahere impetum.
Natos deſtituunt patres,
Vxores metuunt viris.
Pagis exoritur tremor.
Abductum ſtabulis pecus
Paſcit barbaricam famem,
Agros haurit & oppida.
Mœſtos hactenus incolas
Terror diſtinuit domi:
Poſtquam detonuit furor,
Effrenique licentiæ:
Sunt objecta repagula;
Puro reddimur ætheri.
Ex campis in ovilia
Commiſſi redeunt greges.
Herbarum inſiliens toros,
Errat bucula paſcuis;
Cui jam ramus idoneam
Frontem rumpere cœperit.
Matres prata perambulant,
Colles dulcè remugiunt.
Balant flumina tutiùs.
Paſtorum quoque fiſtula,
Vmbroſâ ſuper arbore
Faunos provocat eclogis.
AOD. Paullò ante Fatis cuncta ſuſpenſis nigra.
Subitò recanduere. Iordanes ſalit,
Solitóque manat lenis Arnon puriùs.
Hæc forma Ponti. ſumit hanc faciem mare
Sump-

Sumptámque ponit. Nocte cœlum conditur:
Pluvios Orion veſte cærulea madens
Inclinat axes: dúmque concertant Noto
Boreas & Eurus miſta laniantes freta,
Voluúntque fluctus; penduli ex alto tument
Arcus aquarum, iidemque præcipites cadunt.
It arena fundo ſpumea eructans vada.
Nautæ paventes triſtibus votis vacant,
Imago mortis plurimæ, diſpar tamen
Percellit omneis, cúmque fulminibus fragor.
Nec poſſe ſperes æquori irato dari
Vultum priorem. tempore exiguo; ſimul
Poſuere Venti: redditur Pelago quies,
Luménque Olympo. ſumma clareſcunt juga,
Nubes fugantur, aeris buccæ ſilent:
Recumbit unda; detumeſcunt vortices.
Curuatus æquo ſternitur gurges ſalo.
Mox & juventus læta remos incitat,
Pleníſque portum concrepans velis ſubit.
Caligo ſimilis preſſerat noſtram Tribum?
Et ſimile blandæ lucis affuſum jubar,
Hilaravit ægros: reddita afflictis ſalus:
Fugere tenebræ: rediit ereptus dies.
Vbi nunc tumores inſtar inſani maris
Exæſtuantes? ubi Tridens Ammonius?
Effera temeritas nobiles pœnas dedit.
Minata neruos & retortum cannabem,
Frenos ſubacta debet Iſacios pati.
Humili Tyrannus ſemet abſcondit fuga.
Comitantur ira, luctus, ærumnæ, pudor.
Sic hyeme adulta, noctibus claris, lupi,
Si forte paſtor, fraude comperta, vigil
Repulit trinodi fuſte predones nivi
Pedem inferentes (triſtis urgebat fames)
Amara vertunt lumina ac greſſum retrò
Ab hoc ovili: devovéntque hyemem, & dolum
Séque & Magiſtrum, & omne lanigerum pecus.
Vltricis hic Rhamnuſiæ juſtus tenor.
Qui noſtra munimenta ſpondebat ſibi;
Sua vidit expugnata cum laribus rapi.

CHOR. Ducite muros, addite foſſas,
Cingite vallo: quidquid poſuit
Humana manus; rurſus ab imo
Humana poteſt vertere fundo.
Mortalis opus mortale facit,
Labor à manibus nomina ſumit.
Quamvis rigeat porta metallo,
Clauſtrâque nectat ſolidata chalybs:
Quatefacta labant. jungite montes,
Vſque in cœlum ſaxa minentur:
Quâ nulla via eſt, dant Fata viam.
Nulla poteſtas extra ſortem
Iacet & metas. omnis Dominus
Sentit Domini gravioris onus.
Alio major, minor eſt alio.
Vni ſeruit quiſque tyranno.
AOD. Locum triumpho turba famularis parat.
Sudore Iephte victor abſterſo prope eſt.
Hic ſurgat arcus. hic coronatæ ferant
Palmas columnæ. veſtiant hederæ fores.
Manu reſectis virginum roſis pluat:
Floridáque inundet omne tempeſtas ſolum.
Me dulcis intrò cura Menulemæ vocat.
CHOR. Maſpham ſidera mitibus
Afflatam radiis vident.
Vſam Numine proſpero
Iephte celſiùs extulit,
Quam Chamos malè preſſerat.
Hinc curæ fugiant procul,
Et vultus redeant boni.
Hic poſcit choreas dies.
Demptis Gaudia vinculis,
Ipſos nec pudeat ſenes
Immiſtos Iuuenum choro
Rugas ponere tetricas.
Ternæ ludite Gratiæ
Nexæ candida brachia.
His colludite virgines
Sertis implicitæ comas.
Túque, ô! FILIA PRINCIPIS,

Foeſ-

Formoſiſſima IEPHTIAS:
Ad quam ſpectat amœnior
Tantæ portio gloriæ.
Signis obvia patriis
In pompam venias prior.

* * * * * * * * *

Scena tubarum, intercalaris, ſive exſpectatio reditûs Iephtai, cum victore exercitu.

* * * * * * * * *

SCENA IV.

Patris & Filiæ confatalis occurſus.

Jephte. Menulema.

IEPH. Quod liberatis civibus vortat bene:
Peracta pugna eſt. Numen æternum penes
Nos eſſe ſpolia gentis inimicæ dedit.
Obtritus Ammon prælio faſtum exſpuit
Irámque in herbas viribus fractis jacet.
Opibus Sabeis lance cumulatâ piè
Oneremus aram, tura fument maſculá.
Referre grates debitas nunc addecet.
MEN. Te video tandem. Genitor: ô lætum diem:
IEPH. Heu? Gnata. *meque teque deceptum venis?*
Perii. MEN. Quod iſtud eſt repentinum malum?
IEPH. Periíque totus? MEN. Ora mutavit color;
IEPH. Et ipſa mecum periit? MEN. Et mihi minas
Intentat, hæret: verba ſingultim trahit.
IE. Heu propter ipſam pereo? MEN. Sic? Gnatæ impiæ
Dehiſce Tellus ima. IEPH. Me propter perit
Et ipſa. MEN. Patrem Cœlites, tantùm Patrem
Servate. pro me miſera nil equidem rogo;
IE. *Fata iniqua, acerba, tetra, Fata luctifica; horrida?*
Quem tot oppreſſum malorum nubibus ſol aſpicit?
Frigidus coit pavore ſanguis in præcordia.
Mens fatiſcit intonata, fulmen eſt in pectore.
MEN. Superi juvate? qualis hæc victoria eſt?
Huc care Genitor turbidos vultus refer.

Eloquere. quis te caſus inopinus premit?
IEPH *Magna vis loqui laborat: maior at vocem tenet.*
Mediis obluctata rurſum verba torpent faucibus:
Terra, valles, antra, ſaltus, ſtagna, ſilva, flumina:
Quò feram me, quòve vertam triſtis, infelix, miſer?
MEN Etſi puella maximi luctûs gero
Animum capacem; ferre talem vix queo,
IEPH. *Vana caſtra cum triumphis, milites cum lanceis,*
Condite tela, vertite haſtas: ſerta capitum demite.
Proque lauro nigra taxus & cupreſſus defluant.
Cede Pæan. æra mæſtum rauca murmur inſonent.
MEN. Quid eſt, quod horres? poſt labores Martios,
Poſt decora parta mollis invitat quies.
Compone vela: navis in portu ſedet.
IEPH. Fluctuat, & inter brevia ſubſidit. meæ.
Naufragia portus ipſe Fortunæ videt,
Occidimus ambo. MEN. Fata decernant mihi:
Modò vita curſus agat inoffenſos tua.
IEPH. Per alta quis me ſpatia glacialis freti
Rapiat vehendum turbo, trans Boreæ domum,
Extráque Solis iter, & annorum viam:
Vbi mutus aer abſque ventis, & pigra
Natura rerum torpet æterno ſitu.
MEN. Hoſtem fugavit, filiam tremens fugit.
Dignare Natam aſpicere, dignare, obſecro.
IEPH. Pax alta campo, naſcitur bellum domi.
MEN. Ne, quæſo, cela quidquid afflictum gravat.
IEPH. Vtinam referre liceat in bellum pedem.
Quiſquam ſecundis rebus aut fallax tuis,
Fortuna, Princeps fidat expertus bonis?
Splendore vano fragile mentiris vitrum.
Quot fruſtra ſpargis, tot dolores ſeminas.
MEN. Egeritur & minuitur affatu dolor.
IEPH. Levis ille dolor eſt, quiſquis erumpit foras.
MEN. Sed graviùs urit, ſiquis incluſus latet.
IEPH. Fruſtra requiras rebus everſis opem.
MEN. Quid victus ageres ergo, ſi Victor gemis?
IEPH. Crudelis Ammon clade me vincis tua.
MEN. Suſpirium hoc, ô! dirus hoſtis neſciat;
Gaudia dolore rabida capturus tuo.

IE. Miſeranda, ter quaterque. ME. Miſeranda hoc rogo,
Miſerere. pande cordis arcanum tui.
Laxa animum, ut auras capiat incluſus dolor.
Quid vult ſibi ſingultus? etiamnum ſilet.
Luctatur! ingemiſcit! inſertat manus
Avertit oculos. Heic meum crimen noto.
Aut fallor, aut immane commiſi ſcelus.
Veniam precabor. genibus affundor tuis:
Genitor verende IEPH Potius horrendum voces:
Nondum expaveſcis? ME Hoc quidem, quod te mihi
(Ignoſce lacrymis) forſan offenſum putem,
Aliquid timeri majus hac pœnâ poteſt?
IEPH. In me arma & ignes, & procellæ & fulmina.
MEN. Quo rapitur iterum? quis furor mentem quatit?
Libet ire contra. IEPH. Nata, diſcede à Patre,
Diſcede moneo. MEN. Quò jubes? ad hoſtium
Partes? ad Vmbras? ad ſepulcrales ſpecus?
Teſtor, manusque tollo. ſiquidem ſum nocens;
Mors eſt in uſu. nullius eripere hanc poteſt.
Non ut Patri jam colloquar. Iudex meus:
Damna nocentem: dede promeritam neci.
Dedes? an ultra funus extendi cupis!
An ut ipſa pœnas exigam de me, jubes?
Ibo, ibo ſaltus qua minoreis altior
Deſpectat Hermon. qua receſſis undique
Saxis acutus Saniris in præceps patet.
Aſcenſus ut difficile promittat jugum;
Facilis erit deſcenſus. ex alto ruam.
Vbique letum eſt. mille ſe promptum vijs
Offert parato mille per vias mori;
Hinc rapidus amnis me regreſſus conſcia
Invitat undâ prona ſubdar gurgiti
Stabula inde ſævis plena crudeſcunt feris.
Veniant leones: irruant turpes lupi.
Animamne ſontem inviſa Genitori traham?
IEPH. Gemere iſta parce. Iudicem appellas Patrem!
Te, Gnata, Iudex libero culpæ metu:
Voti rea es, non ſceleris. ô dirum premi.
MEN. Sim rea, vel inſons: dummodo exoneres tuum
Mœrore pectus, mente nubeis ejice.

Transfunde in iſtum pectoris fluctus ſinum.
Sine, Nata luctum exſorbeam. IEPH. VOVI, ô mea.
ME. Exequere. IE. VOTUM grande. ME. ſolvendum citò.
IE. Solemne. M. Dignum. IE. At inſolens. *M*. ſcite expeto.
IE. Sed contremiſces ad ſonum. ME. tamen expeto.
IEPH. Si ſtans capillus ſedit, & animus ſtetit:
Si grave remiſit frigus, & tremor jacet,
Si fauce linguâ tranſitus verbis patet,
Incipiam. *Fremerent hoſtis cum claſſica*. dixi.
Da Deus Ammonem dirum immanemque tyrannum
Sternere, communem terrarum atque ætheris hoſtem.
Ah! reliqua quanto ſatiùs occultat dolor
Silentio premantur. MEN. Oro, ne premas.
Non patior ullos Virgo degeneres metus.
IE. *Hoſtem ſi dederis; Voveo, quodcunq; reverſo*
Victori ante meas mihi primum occurrerit ædes.
Iam plura nolis Fata propiùs ingruunt.
MEN. *I*nclusa Fati anguſtijs quæro exitum.
IEPH. Non exitum ſed quæris exitium tuum.
MEN. Evolve tandem, qualis eſt Voti modus?
IE. *Hoſtem ſi dederis, Voveo, quodcunq; reverſo*
Victori ante meas mihi primum occurrerit ædes;
Sit ſacrum: ſacraque tibi mactetur ad Aras.
Te deſtinant huc Fata: te, nunquid vides,
Fors cæca poſcit: nocuit occurſus tibi
Mihique pater occidò: pater etiam occidò.
MEN. *Adeone miſerum ac triſte pro patria mori!*
Adeone dulce eſt vivere invito patre!
Hoc quidquid in me ſpirat; eſt, Genitor tuum.
Reddo repetenti. corpus in tua eſt manu.
I. Menulema! M. Iephte! I. Gnata! M. Mi dulcis Pater;
IE. Ego hanc, & iſta dextera dabo neci!
MEN. *Votiva cervix quolibet ferro cadit*
Decora: patris an hoſtis enſe, quid intereſt?
IE. Num retrahit ora? num reformidat mori?
MEN. *Si Genitor es, permitte: ſi Dominus, iube*.
IE. Num pallor hauſit decoloratam genas?
Mea filia es. MEN. quin eſſe poſſum & hoſtia.
IE. Cùm tot pererrent prata ſignati greges
M. Habes inemptam & obſequentem Victimam.

IE. Ah! non inemptam. ſanguinis pretio mei
Menulema conſtas. M. ſanguinis pretium tui.
Age, quod dediſti, recipe *Iam vixi ſatis.*
IE. Iugulanda talis! talis à gladio cadat!
Gladio paterno! quis ſatis menti imperet?
M. *Quod ante mortem* (fateor ingenue) *tuis*
A te peremptis liceat inimicis frui;
Minuit dolorem mortis IE. Vt loquitur ferox?
Altera puella ſimilis in terris datur!
MEN *Patria, triumpho, quique donavit, Deo*
Libens meum propino ſanguinem. IEPH Meum
Mallem. M. *Necis vitaque Dominus in meo*
Sua Fata ſanxit, ſi recuſem, ne malum
In te, Pater, recidet; is demum eſt timor.
I. Quis mea rigore membra connectit chalybs?
Duriſque venis ſubitus inſerpit ſilex!
Agnoſco VOTUM. Venio, Numen ad manus
Victoriam favore divino datam
Corripere luctu ſordidatos, eſt nefas.
Erigite Signa. Miles increpa tubam.
Vexilla fluitent. primus armorum nitor
Incendat auras. ſcuta conflictu ſonent.
Renovet triumphum claſſici teſtus fragors.
Hilari fidelis gaudet obſequio Deus.
Exſtruite ſaxum. ſurgat ex clypeis pyra.
Vibratus enſis liberet voti reum.
M. Niſi ſim ſceleſta precibus, hoc unum precor:
Liceat bimeſtris lucis uſura frui.
Dimitte me: dum luna bis peregerit
Revoluta curſum; cum ſodalibus meis,
Me virginem ſine prole morituram, ſuper
Nemoroſa plangam montium. IE Quid abnegem?
Et hæc, & hoc, & à Parente, & ultimum
Poſcit minúſne ſupplici poſſum dare?
Dilecta vade;

Sodales Virginis Menulemæ.

RACHEL. Te ſterilem in limine mortis
Plangimus omnes plangite Nymphæ.
SODAL. Flemus caſus, Menulema, tuos

Virgo

Virgo nimis ah nimis infelix
Nata an genitrix magis infelix.
Miſeranda magis. Nata & Genitrix
Nimis infelix, miſeranda nimis:
Genitorque magis.
RACH. *Non tu populo dabis electo*
Sobolem optandam: neque venturum
Mater facies properare Ducem.
SOD. Virgo nimis ah nimis infelix.
Per te nunquam Rex ille ſuis
Promiſſus adeſt.
IEPH. Vadit ecce; nec timet.
I magne mœror Matris. I luctus Patris
Rediture major. iterum in antiquum ruo
Graviore fluctu abſorptus. affectum induo
Quem non decebat exuiſſe en; exprobrat
Natura duro pectori, & lacrymæ cadunt.
Iuſtum revolvit pondus in ſinum dolor.
Quam pæne patrias cæde maculavi manus!
Gladium reconde, jam ſatis magnum nefas
Nudâſſe fuerit. rurſus arma pendeant.
Dejicite vultus muta torpeſcat tuba.
Deflebit hæc in collibus funus ſuum.
Ego in cubili plura ſecreto gemam.

CHORUS MILITUM.

Iephtiaden Menulemam
gaudia triumphi conturbantem.

Miſerans. Damnans. Excuſans.

CHOR. Mis. Rerum magne Sator, quas patimur vices?
Ærumnis hominum quem ſtatuis modum?
Quantum oculi nefas hauſerunt refugi?
Ergone belli proſperum
Virgo ſtitit unica curſum!
Horrendas facies vidimus horridi,
Iephtias ac Iephte vultu pallente ſteterunt:
Qualis aſpecta riget à Meduſa.
CHOR. Exc. Ac ſi Gorgoneæ mutâſſent ora ceraſtæ,
Bello actum nihil eſt; ſiſtite, milites,

Currus

Currus laurigeros, ſiſtite fercula.
Invida, prô, quantum fœdârunt Fata triumphum!
Duros iſte labores
Terminus: hæc merces finem improviſa coronat?
Hoſtibus exitio cæſis lugere jubemur.
Ecce, virûm lituos Cybeleïa tympana turbant.
Gradivi cantum fregit Berecyntia buxus.
Caſtra natant lacrymis. victriceis vertimus haſtas.
CHOR. MIS. Solida in Terris nulla voluptas.
Vitiant ſubiti gaudia luctus.
Modo ſol ridet: modo ſub nebula
Tenet obſcurum luridus æther.
Dulces amato melle madent favi.
Trepidant veneno vina ſuffuſo.
Roſa verna acutis cingitur ſpinis.
Fulcra regnorum ſua frangit ætas.
Chloridis regnum populatur æſtas.
CHOR. DAM. Semper prima malorum
Femina radix,
Omneis lætitias corrumpit; & improba terris
Securum nihil eſſe ſinit.
Mulier doloſo ludit affatu:
Specioſa blando lædit obtutu
Tacito proterva fallit acceſſu.
Inopina ſolo perdit occurſu.
Debuit armatis occurrere!
CH. EXC Quidquid peccavit, fecit tamen inſcia virgo.
CHOR. DAM. Obvia facta nocens.
Debuit armatis occurrere!
Evagari, curioſæ crimen eſt inertiæ.
Profuerat ſervâſſe domum:
Stamina deproperâſſe colu:
Cur non ornavit lauro florente quaſillos?
Aut lanam diſtinxit acu?
Debuit armatis occurrere!
CH. EXC. Fortunæ potius ludum plectamus iniquæ.
Illa quippe miſcuit
Triſtia ſubſultans bello ludibria, totum
Delictum Menulemæ
Eſt amor, inque Patrem cognato ex pectore fuſus.

CHOR.

Digitized by Google

CHOR. DAM. Ideo puellis comitata princeps
Debuit armatis occurrere!
Exſpectare patrem poterat ſub limine virgo;
Dum clypeo fulgens greſſum intra tecta tuliſſet.
CHOR. EXC. Magnæ virtutis alumna eſt.
CHOR. DAM. Et magni cauſſa doloris.
Occidat offenſi voto damnata Parentis.
Ad gladios properavit ipſa.
CH. EXC. Mitius. ah non hoc Menulemæ vita meretur.
De forma taceo pulcræ ſuccumbat & hoſtis.
Cui nocuit niſi Virgo ſibi?
C. D. Omnibus nobis adimit triumphum,
Debuit armatis occurrere.
Intereat: num femina tanti eſt?
Sed & ipſa in tædia vitæ
Sponte videtur agi.
Iugulo parata eſt aliena ſuo
Vota piare.
CH. MIS. Non ita. Crudeleis remove Buſiridis aras,
Neſciat humano ſignatas ſanguine Maſpha.
Adeſte Socij. facinus infandum patris
Prohibete. Natam manibus eripite impijs.

ACTUS IV.

SCENA I.

Agon primus Iephtæ, ſecum luctantis ex amore naturali in filiam, voto immolandam,

Jephte.

Hic hic dolore me fremens paſcam meo,
Abſcede turba. nemo teſtis audiat
Lamenta, quæ mens intus irrequies coquit
Soli vacabo conſcius mœſto mihi.
Mecum ipſe ſolus Fata diſquiram mea;
Penitusque curas exigam ærumnabiles.
Ergo ut dolorem pejus inſolito modo,
Eram hac petendus! Gnata ſiſtetur Patri,
Vt immoletur; & immoletur à Patre!
Quales jugalem conſtitiſtis ad torum
Genij infideles nuptiarum præſides!

Hoc

Hoc eſt, per ipſa viſcera ad victoriam
Ire, & triumphos ſanguine infectos ſuo.
Menulema ſic necanda! ſterilitas fuit
Optanda potius. uxor in luctum mihi
Fæcunda, triſteis peperit inferias ſibi.
Minùs improbanda Poſteris; certè minùs
Horrenda cædes, quam quis iratus facit.
Hîc lacryma mergit iram: & invitus neco.
Quàm bene paternas exſul ædes fugeram.
Hoſtile Tobi tutius preſſi ſolum;
Medias & inter miles erravi feras.
Nunc laudo fratrum injuriam. pietas erat,
Ejicere ſic me. reditus in pœnam fuit.
Vtiliter olim pulſus, inventus malè,
Pejus reductus, peſſimum Fati genus
Sortitus, omneis ſcando miſerorum gradus.
Quid anime luges? ora cur fletus rigat?
Eheu! tot in præſepibus balant domi
Paſtu nitentes, mugiuntque victimæ;
Nec aratra paſſæ, colla nec tritæ jugo.
Et prima venit filia in Patris manus
Mactanda! Vivat illa, vivat. ſi poteſt.
Cur innocens non poſſit? addicta eſt neci
Quo ſcelere meruit ferre ſupplicium? tuo.
Inique Iudex: nullus alieno perit.
Suo? recenſe. quale peccatum eſt amor,
Et in parentem? non decebat obviam
Cum tympanis iviſſe Genitori ſuo!
Fato imputetur: Quid furens culpas dolor?
Quiſquamne Fatum ſontis alterius luit?
An ipſe Fatum, quale paſſim fingitur,
Agnoſcis ullum? ſiſte propoſitum ferox.
O Sors acerba, Sors iniqua, Sors gravis!
Capitale bellum ſiquis adeunti mihi
Dixiſſet; audi Iephte: in hoſtili globo
Ammonis arma ſperne & atroceis minas:
Cavebis autem filiam. hæc Scylla eſt tua.
Hic ſcopulus improviſus; hoc franges ratem:
Num crediidiſſem? cujus explevi bono
Duri labores Martis? explentis malo.

Libera

Libera tyranno patria projecit jugum.
Hoc enſe falſus hoſtis in campo jacet.
Egomet ſub iſto ſternor,& totus quidem.
Ideóne vici,ut vincerer quidquid ſolet
Adimere luctum,cauſſa ſit luctûs mei.
Alij fruentur pace ſub ficu ſua:
Sub vite muſtum dulce ſecuri bibent.
*M*iſer ego ſolus,ſub cupreſſu lugubri,
Veſpillo demens funus exuſtum rogo
Deflere cogar. finge,conſortem tori
Fatis vocatam claudere extremum diem:
Quænam illa tam crudelis immiti proco
Nurum elocabit Mater, ut fiam gener?
Quænam illa rabidi cupiet amplexus viri?
Quæ parricidæ parere truculento volet?
Athamas videbor mentis emotæ novos
Paſſus furores:utque ſilveſtrem feram
Vitabit omnis populus, includar ſpecu:
Vbi nec videndus,nec videns, nec mortuus
Nec morte honeſta dignus,& vita minus,
Ævum pudendis obſitum ærumnis traham.
Dum res adhuc eſt integra,& puras manus
Nondumque tinctas ſanguine ad cœlum levas:
Compeſce motus,reprime vecordem impetum.
Exempla ſcelerum non ferendorum effera.
Quæcunque Tauri frigidum tulit jugum,
Videre Minyæ,Phaſis agnovit ſua;
Ab uſque ponto vecta Malpham transferes!
Truncare ferro virgines,eſt Colchicum.
Mandare flammis liberos,eſt Colchicum.
Pietatis umbrâ tegere,plus quâm Colchicum eſt.
Medea faciat,noxium Æetæ genus.
Odium profeſſa eſt.ira dictavit necem,
Tu Pater es,& amas.nominum iſtorum nihil
Cædes & arma ſpirat amplexum petunt.
Quid iſtud autem!quod cupis factum modò,
Mox execraris!latet in alto aliquod malum:
Ferale,dirum,triſte,reticendum,latet.
Sacrum paratur,quo litans fiat ſacer.
Atqui teneris.Numini franges fidem?

Servare certum eſt. ſtante votò, Filiam
Mori neceſſe eſt, non neceſſe eſt vivere.
Prô ſancta pietas! ſiccine exonerat tua
Seſe Religio? Virgo transfuſam luat
Suppoſitâ culpam. ſequere naturam ducem.
Maneis, opinor, quiſque patimur, ſed ſuos:
Vt quodque corpus vivit animâ, ſed ſuâ.
Si vindicas prômiſſa; non à filia,
A te inchoandum eſt quod quis intrivit ſibi
Exedat. in alium proprius error non fluit.
Voto cruenti Gnata ſuccedet patris.
Gnatæne Fato deinde ſuccedet pater!
Bis es ſceleſtus. dum ſcelus vitas, facis.
Aliâ piabis victimam quâ victimâ?
Libido diræ tanta ſi regnat necis,
Tenerúmque furere fortis in ſexum potes:
Aude aliquid ultra. majus ultra aliquid datur?
Non ſunt ſorores. eſt tamen conjux tibi.
Cur non & illam, tanta ſi pietas movet,
Imponis Aræ turbidis raptam comis?
Non prole fultam duplici quereris Domum:
Et nec vel unam cernere in vivis potes.
Quid dicet Orbis hujus auditor necis?
Qua maria Titan intrat averſus viâ,
Remeátve multo lampadem totans ſalo.
Remeabit autem lentiùs ſolitò, reor,
Horrore viſi ſceleris, & condet diem.
Natâ interemptâ, jure plectet, quo poteſt
Natura vindex jura temerantem ſua.
Macilenta pingui fallet in gleba ſeges,
Trapeta baccæ, præla fraudabunt botri.
Vbera caducæ ſicca præbebunt boves.
Armenta violens tota populabit lues.
Vnquámne (cunctas conſule Aras & focos)
Audita more eſt victima humano loqui!
Induere vittas, ipſa quas fecit ſibi?
  At in ſupini monte vaſto Moriæ,
Reſpicere fatum moneor Iſaaci nepos.
Propoſitus ingens olim in exemplum puer:
Nunc ſit puella. ſubeat imitatrix vices.

Etiam

Etiam ſubibit: te modo Heroem probes.
Cur ad meam rem, filium Saræ cito?
Exempla diſtant. nil tibi prodeſt avus.
Ideo Tharaiden vox aperta huc impulit.
Ideo probari dexteram ſatis fuit:
Ideo repreſſit ales ætherius manum.
Ideo inſolenti triſtis Holocauſti Sacro
Succeſſit aries cornibus plangens vepres.
I nunc, & æmulare Majoreis tuos.
Si ſana mens eſt, parce ferro: ſi furis,
Iam nunc ſacrilegum devove Diris popam.
Sacrilegus autem eſt vota perſolvens Deo!
Spectate veſtrum Iudicem cives mei:
Spectate Iephten, ſpecimen egregij Ducis,
Gnatæ ut pius ſit, in Deum ſit impius.
Mactetur ergo, crimine ac culpa vacat.
Tanto offeretur gratior pura Hoſtia.
Offerre vetitam lege, maculoſam velis!
Si jura ſpectes, Gnata jam non eſt tua.
Devota comburatur. eſt tamen mea
Quia devoventis. an alieno crederem
Meliùs litari? dona ſtant proprijs bonis.
Heu, Gnata miſerum, gnata, quo trahis Patrem.

CHORUS.

Quò quò tandem verget amari
Pectoris æſtus? nondum vis eſt
Superata mali. luctatur adhuc
Natura potens. quando nec uno
Quercus ab ictu percuſſa cadit
Animo radix altior hæret.
Dolor alternat, variatque color?
Vultu non eſt unus in uno.
Omnes capit & retinet nullum.
Niger albeſcit, pallidus ardet.
Sive eſt pietas jam, ſive furor;
Erit alterutro juſtius inſons.
En, ut luctu fractus anhelat.
Lumina quærunt feſſa quietem?
Labar in ſellam pendula cervix.

Miſe-

Miſeris propria eſt iſta voluptas,
Nimio tandem mœrore frui.
Premit in ſomnum, quod mole premit.
O ſi mite hoc Superûm munus
Penitus totos permeet artus.
Plerumque vigil ſua tormenta
Nutrit, & igni pabula præbet.

Ad placidum ſomnum mœſto Iephtæ conciliandum

CANTILENA.

Huc ô Iuvenis, quem cura fugit:
Qui caſtra fugas inimica tibi:
Pede ſuſpenſo, Sopor alme, *veni:*
Grata moleſti pauſa doloris:
Saltem modicam ſuccute pennam.
Profit Iephta carmine laudes
Iterare tuas. Per te reficit
Durus raſtris & aratra labor.
Aurea vitas ſceptra potentum,
Structaque Pario mœnia ſaxo.
Et marmoreis turribus arces.
Nullo pretio, munere nullo
Venalis emi: muneris ipſe
Nomen inempti preciumque ſubis.
Facili paſſu ſepta coloni
Pauperis intras, humileſque caſas.
Gaudes iuxta frigus opacum
Trepidantis aquæ poſuiſſe caput.
Vbi per conchas fluit unda loquax
Leni ripam murmure pulſans,
Suavius illic requieſcis, ubi
Eſt nulla domo ianua totâ,
Prohibens motas ſtridere fores.
Vbi colloquitur fraxinus orno,
Populus alno: ſilva arboreum
Modulante melos.
Seu vis dici librata quies;
Seu iucunda libra quietis:

Hemi-

Hominem titulo paſcis utroque.
Sine luce vides: teque videndum
Etiam cæcis intimè præbes.
Sine nube pluis, membraque ſtrato
Compoſta rigas, caſpitis horror,
Duraque Geticis vivibus rupes,
In Chaoniam mutatur avem;
Plumaque fovet, quâ nullus olor.
Bene dormit enim, male qui dormit,
Neque ſe ſentit male dormire,
Falcem retinens meſſor in agro
Stertit medias inter ariſtas.
Viridi ſubter fronde viator
Longa viarum breviora facit.
Dumque exigua cœli ſpatium
Contrahit umbra; reparas vires:
Tædia pellis, ſtadia acceleras
Mora neglectum compenſat iter,
Te pennigeras moderante fides,
Avium cithara fila remittunt;
Ne rumpantur gutture rauco.
Tamen ipſa tuum maria agnoſcunt
Horrida numen. ventoſa Thetis
Agitata Noto grave littoribus
Caput acclinat. fuſum terris
Tacet omne pecus. Tu temperies,
Tu iuſtitium commune, forum
Tollis iniquum: dirimis lites,
Iurgia placas arbiter æqui.
Languida dura mortis imago:
Sed nemo ſuo ſic diſſimilis
Frater fratri, ſimiliſque fuit.
Tantum diſtans ſanguine iuncto:
Quantum abludit thalamus tumulo,
Sponda pheretro. ſibi commiſſos
Sponda remittit: quando pheretrum?
Necis ac vitæ brevis Horizon:
Statio ægrorum, portus egentum.
Quos cura movens excitat æſtu,
Inter tumidos anchora fluctus:

Im

Imèque latens corde ſaburra,
Facis æquato animum velis
Turbine motas ire per undas.
Huc, age, currus deflecte tuos:
Huc optatum lenimen ades.
Sparge papaver: ſuper afflicti
Vtraque patris quate Lethæo
Rore madentem tempora virgam
Placidam noctem divite cornu
Fundens totum perplue Iephten.
Arce tetricas cerebri formas:
Puraque tantùm ſomnia ludant.

SCENA II.

Planctus Menulemæ, eiusdemque Sodalium in montibus,

Menulema. Thamar & Rachel, cum Choro cæter. Virg.

MENUL. Satis querelis, lacrymis ſatis eſt datum.
Fluxere pacti funeri noſtro dies.
Bis luna creſcens revocat occurſu domum.
Favere Sacro: ſtare promiſſis decet.
RACH. Ne te, ne te, Menulema Soror,
Perfida lunæ fallat imago.
Illa inſtabilis ſtabili lege;
Vacuo quoties occidit aſtro:
Fraterna petens oſcula, novit
Speculo faciem reparare ſuam.
Iterum furto luminis alba
Cornuque novo plena refulget.
Hominum quiſquis ſemel occubuit;
Iacet æterna nocte ſepultus.
Sopor oppreſſum nimis altus habet.
MEN. Lex una cunctis poſita: *Migrandum eſt ſemel.*
Quando? quis iſtud curet? haut multum puto
Referre: citiùs anne ſeriùs, roſa
Nunquid adoleſcens manè gratiùs fragrat
Quam toſta ſole, languida informis coma,
Animamque odoram veſpere exhalans anus?

Favus & recentis ſpuma vini dulcius
Emiſſa ſummi fiſtulâ ſapiunt cadi.
Coacta vappa eſt, quidquid in fundo latet.
Dum chorea fervet, virgo prudens deſinit.
Dum vita vernat, reddita ad nutum placet.
Animum paratum, nilque metuentem mori
Laudabit etiam, quiſquis horrebit ſequi.

CHOR. Quando lux ſubit ultima,
Vrnæque imperium citat:
Omni depoſito metu,
Et vocis querulæ mora;
Fatis ilicet obſequi:
Laudem perpetuam feret.
Cum Parca increpuit fores,
Promptè ducere peſſulum;
Signum eſt magnanimi incolæ,
Nullo crimine pallidi.
Vltro ſed ruere in necem;
Contemptóque die, nigras
Noctes velle pati nihil
Virtutis, Soror, arguit:
Præter non miſerabilem
Cæci funeris impetum,
Dicatur timidus, licet,
Iuſſus qui refugit mori.
Virgo vivere quæ timet,
Dicetur minus innocens.

MEN. Vixi: peregit noſtra maturè ſuum
Fortuna curſum, cætera in Fatis ſedens.
Lucifer ut agmen claudit aſtrorum ultimus;
Veſper ita noſtrum claudit extremus diem.

TH. Hac te ſpecie rapiant juvenem
Vltima nentes fila Sorores!
Tibi formoſæ, generique tuo
Optanda foret longior ætas.
Cur ante diem properas, properas?

MEN. Sua cuique fixa, nec movenda ſtat dies,
Accepto, qualemcunque ſupremam mihi
Præfixit Æther. vos, quibus veſci datum eſt
Mortalis auræ ſpiſſiore pabulo;

Vos in ſenectam tendite. & nepotibus
Inſtate veſtris noſtra circuitu rota
Breviore ſcripta, deſtinatos temporum
Abſolvit orbeis, Vos, quod opto, longior
Nondum evoluto vita curriculo manet.
RACH. Nulla venuſtæ forma puellæ
Nece tam ſubita digna perire eſt.
O Virgineæ gemma Coronæ.
Cur, quæſo, mori properas. properas?
M. Nihil uſque durat. Omnia in Letum ruunt.
Rubigo caras denique & gemmas necat.
Adamas hebeſcit cumque beryllis onyx
Perit: & ſmaragdi pallet acciſus decor.
Ponamur iſta nos quoque inter funera.
Quod enim puella morior, ætati parum;
Quod pro ſalute patriæ, eſt jam plus ſatis
Non numerat annos, facinus hoc qui computat.
Ibo fideli pede remetiri viam.
CHOR. Neſcis, quò fugias, bona.
Neſcis, atque ideo fugis.
Immanſueta petis loca:
Horror ſolus ubi ſitus
Miſcet terrificum chaos.
Nuſquam regnat amœnitas:
Non illic Hyperioni
Obſtantes platani virent.
Non aſſibilat abîeti
Caro vertice populus.
Quercum non hederæ ligant.
Vtque eſt pronuba, brachijs
Non ulmus ſibi pampinum
Nectit lenta tenacibus.
Porro dulciſonum nihil
Brutis cautibus audias,
Flendi maxima copia eſt:
Sed non fletur Itys: neque
Mœſtis Luſciniæ modis
Argutum queritur nemus.
Illuc ſat citò veneris
Præceps, unde rediveris

Nunquam vallis inertium
Omneis accipit hoſpites:
Liber nemo remittitur.
MEN, Vt calle recto non revertar ad patrem
Vt me retardet frigidus leti pavor!
Si vitæ initium;munus eſt;finis,lucrum
Erit,aut tributum:pendo Naturæ meum
RACH. Vides,ut altum porrigant cœlo caput,
Cedri ordinatæ,ſequitur arbos arborem
Imitata metam.MEN,Meta jam reſtat mea
Contingam ut iſtam;me cedri rectè admonent.
RACH. Hìc ex ſuperbo colle,qui dorſo ſedet
Alteriùs,arva latè & umbroſas datur
Deſpicere valleis,& recedenteis aquas.
Vìs,hunc petamus?Hic in anfractus patens
Errore curvos prodigum excurrit nemus
Spirant amores frondium amplexus ſacri.
Refert figuram cordis humani locus.
Vis,hunc petamus?non procul ſedes viret
Amœna Dryadum,grata Nympharum domus
Pumicibus antra ſtructa propendent cavis
Vivóque topho garrit exſultans Thetis.
Eteſiarum ludus irritat ſonum.
In hanc eamus.MEN. Ite,quò fauſti pedes
Quò melior aura vóſque lætitiæ vocant.
Noſtrum,Sodales optimæ,in fine eſt iter
RACH. Hic viola ſpargit purpuram;hîc calthæ nives
Vis,has legamus?quin corollam plectimus?
MEN. Servate in uſus funeris noſtri.decens
Caput hoſtiarum vitta cingit rectiùs
RACH. Audi volanteis Virgo ſilvarum oſcines
Audi:palumbes atque turtur adgemunt
Tuo utique Fato.queritur in ramis ſedens,
Multasque Aëdon flebileis miſcet fides.
Te;credo,deflet MEN. ſinite nemorum pſaltriam
Injurias deflere corruptam ſuas
Me nemo læſit:nec trucidabit Scytha.
Dilecta cari moriar in Patris manu.
RACH. Quot aura floreis mitis afflatu fovet!
Quanto lepore ſpiritus fundunt ſuos!

Sed

Sed hos cadaver non odorari poteſt.
Nam calva nullas depilis nareis habet.
MEN. Florem ſub umbras alterum mecum feram.
Me ſequitur illibata Virginitas mea.
TH. Tangis juſti ſigna doloris,
Et adhuc madidas lacrymis cauſſas
Moreris virgo, nimiumque memor
Nominis hujus. Moreris cœlebs,
Nullumque virum factura patrem.
Non te ad thalamos comitata parens
Quatiet grato lampada fumo.
Non flammeolo caput obnubet:
Neque diſpoſitos finget eburno
Pectine cirrhos. non blanda tuis
Suprema genis oſcula ponet.
Nullo aptabit cingula textu,
Vndique fulvis ſparſa pyropis
Non faſciculo ſtringet odoræ
Vbera myrrhæ.
MEN. Abeſte thalami. nulla jam tædas moror.
Ceſſit cupido prolis, Hymenæi, tori.
Sponſi, mariti; quidquid uſquam eſt nubere,
Parit iſte nullos uterus heredes mihi:
At fama Leti pariet æternum decus:
Menulema melior ſit Rebeccâ, vel Liâ,
Vel Matre Sarâ! pulvis hæ tamen jacent
Dudum ſepultus. quantulum eſt, quod plus habent!
Properata fieri Fata genitricem negant
Saltem & Rachelis fugiet à nobis dolor,
Sudore fortis empta ſeptenni viri,
Fatale Matris nomen emit cariùs
TH. Montis in hujus parte ſiniſtrâ,
Quæ populeo tegitur luco;
Memini, auditur blanda jocoſæ
Vocis imago. Dea præſagâ
In rupe canit, non inferior
Voce Sibyllæ. ſæpe probavi
Cum matre mea. Garrula Nymphe
Repetita quater verba volutat.
Toties ſaxi latus incuſſum

Gutturis ictu, varios inter
Reſonam fluctus macerat auram.
Scandimus illuc?
MEN. Promiſſa Patri dedimus certa.
Horum ex alto Triviæ cœlo
Reditum clarè nimis inſinuant
Decidit Echo.
Illa bicornis, clara reflexi
Solis imago, Cynthia gemino
Menſe peracto vellicat aurem,
Non minus omni concava valle:
Vnde reſultant verba loquentis.
Menulema redi, clamat ab alto.
Hinc mea veniunt Fata, citamur,
Menulema redi.
CHOR. *Siſte claram luna bigam: ſiſte tauros Cynthia.*
Neſcia innocentis urges Fata dura virginis.
Plena nam ſi fratris igni tota ſparges lumina:
Mater & cum patre Nata lumen amittent ſuum.
Flecte retrò Luna curſum: verte currum Cynthia:
Aſtra ne notent regreſſum, falle tecta nubibus.
Ex triformi ſume vultum, qui placet Latoniæ:
Cum ſagittis & pharetra, cumque lyncis tegmine.
Finge te ſopore merſam conſtitiſſe in montibus:
Quomodo olim conſtitiſti rupe ſub paſtoria,
Dic, ſubactam te retuſis vanuiſſe cornibus:
Ceu globus telluris atræ major interceſſerit.
Siſte claram Luna bigam: ſiſte tauros Cynthia.
Ex tuis, ah, ſi juvencis fiat unus hoſtia:
Vt redempta liberetur vita Nymphæ dignior;
Ore, formâ, laude, famâ, moribus pulcerrima.
Illa Nympha qui vocetur, ſi petas, eſt Iephtias.
Quæ tuis Dictynna quiret ſurrogari menſibus:
Inque cœlo prima ſtellas & choreas ducere.
Heu, macello deſtinatur à parente barbaro.
Impedi crudele votum, ſola poſſe diceris.
Flecte retrò Luna bigam: ſiſte tauros Cynthia.
Pareant ſic Noctilucæ cuncta ſemper ſidera.
Sic tui vultûs labores ſemper æra mitigent.
RACH. Hæc ſcatebra fontis vivit: & tu vis mori?

MEN.

MEN. Satis ſuperque vixit *illa*, quæ Patri
Patriæque & animum & corpus impendit ſuæ
Moriamur: hoc natura ſic natam monet
Moriamur ultrò: Patris hoc Votum jubet.
Moriamur, ut vivatis. hoc Pietas docet.

CHOR. Tuo, dolenda Virgo,
Cur uſque & uſque in ore
Tam fæda larva mors eſt?
Ferale, turpe, ſævum
Fuge nominare Monſtrum.
Nullos habet capillos.
Nullo rubet colore.
Oculo carens utroque
Nec ſe tuetur ipſum.
Vacuos nitore lucis
Binos profundus implet
Sub fronte terror orbeis.
Eſt auribus cadueis:
Eſt naribusque truncis
Foſſæ, loco genarum,
Altiſſimè recedunt.
Imago dira toto
Rimas agente vultu,
Divertit à figura:
Fractique vaſis inſtar
Hians tenebricoſi
Diducit oris antrum:
Denteſq; monſtrat albos.
Iſti puella Monſtro
Inauſpicata nubes
Rubentibus, venuſtis,
Quos noſter Orbis offert,
Sponſis valere juſſis!

RACH. Vt murmurantis lympha rivuli ſalit
Vt é liquenti bulla conſurgit vitro!
Vt gratus aures lenè titillat ſonus!
Sed eſſe Maneis interim ſurdos ſcias.
M. Sed habere ſenſus interim & Maneis ſcias?
Quam ſumus avari Solis hujus & aëris!
Eſt alius aër, alia lux poſt funera.

Non aſtra cernam vetera? ſpectabo nova.
Nemoris beata reſtat Elyſij plaga:
Haut dubiè & undis limpidi fontes erunt.
Quos inter unus luce vitali madet;
Liquídoq; purum fundit argento diem.
CHOR. Quem mihi fontem memoras, aquarum
Digna cryſtallo meliore Nympha?
Amnis infernus, niger irreperto
Qui vado glaucas meat inter ulvas,
Triſtis exhalat nebulas paluſtres:
Sordidum fætens trahit unda limum.
Ductilis gurges novies refuſo
Exitum functis negat umbilico.
Hinc & hinc pendent fruticeta rara.
Vtque ſunt nubes vacuæ, doloſos
Omnis in fructus mala pallet arbos.
Turpis autumni color eſt inanis.
Tincta vicino Styge poma trudit.
Carpta fumoſum in cinerem fatiſcunt.
Inſidet ripæ ſine fine longum
Agmen umbrarum, populum ſilentem
Nundinas mortis celebrare credas.
Multâ quam, Bruma fugiente, terras
Quærit æſtivas, volucrique nimbo
Obtegens Solem glomeratur ala.
Pars adhuc lactis memor & mamillæ,
Pars adhuc caldis inhumata membris.
Pars inæquali tumulata campo.
Magna pars una tumulanda foſſâ.
Portitor canus, ſtat in anteceſſum
Iam ferox naulum dare non habenti,
Torquet huc illuc oculos minaceis,
Et manus jactat, metuique gaudet.
Donec exacto vetulus triente
Nauta, per Lethen madidæque noctis
Fuſiles ſpumas, titubante Cymba
Hos modò acceptos, modò vectat illos,
Sparſa fatalem fluvialis alga
Impedit remi ſubigentis uncum.
Sic Avernalis per opaca ſtagni

Vectus, ut quiſque eſt animoſus, horret
Diſpares formas, ſimulacra Leti:
Tum tenax viſcum renuentis undæ
Molliter ſcindi, ſtupidumque Mundum,
Hujus obſcæni ſenis intuendi
Tam cita, ó nunquam veniat cupido:
Nec Lacum talem cupias natare.
MEN. Figmenta ſunt hæc, alíud atque aliter Patres:
Docuere noſtri ſpatia camporum Deus.
Amœniora, lucidas ſedes pijs
Secrevit umbris. has paciſcar hoſtia.
Gaudete mecum, *Vado pro vobis mori.*
Meámne patiar eſſe ſuſpectam fidem?
Fortaſſe Genitor metuit. occurram neci.
Non eſt, quod ad me veniat. abrumpo moras.
Ignavia eſt, ad Fata timidè repere.
RACH. Retinete, tentat exitum: elabi cupit.
Obſtate & humeris: dumque deſcendam jugo,
Continge ſupplex genua luctantis Thamar.
Stipate malis; floribus cinctam obvijs.
Fulcite, virides ſepiant frondes viam.
Prohibete greſſum lacrymis, precibus, mora.
Ne fidite illi: mente commota eſt: furit.
THAM. Per te, per te, lactea cujus
Vbera ſuxti: noſtra, precamur,
Menulema mane. parce parenti.
Parce coævis. ſic nos igitur
Dura relinques? reditura domum
Multos uno funere perdis.
Saltem lacrymas aſpice noſtras.
Tu quoque, quæ jam fluctu attonitæ:
Ebria mentis, triſte videris
Spernere Letum, fortaſſe gemes:
Sed ſerò nimis, Vadimus umbras
Viſere nigras. quota maternum
Redit in gremium?
MEN. Quid me tenetis? Genitor accinctus vocat.
RACH. Morieris inſons? ſic? & ab amica manu?
MEN. Ergo perire malim ab inimica nocens!
RACH. Facies nocentem. MEN. Vota dum reddit Deo!

RA. Pius impia ſibi quæ vetat reddi Deus?
MEN. Promiſſa ſolvi lege marmoreâ jubet.
RA. Cruenta nunquid culpa promitti poteſt?
MEN. Placuiſſe votum Numini eventus docet,
RA. At diſplicere pariter inſontis necem
Ab uſque Abelis ſanguine & pœnæ docent.
ME. Mutata cauſſa eſt RA. Cauſſa, quæ ſceleri datur?
MEN. Litari ad aras ſancta Relligio petit.
RA. Humana cædes tale nomen non capit.
M. Me Fata poſcunt; non bidentem, non bovem.
Qui noſtra in utero membra compegit; rogo
Reficere in ipſo torrida & tumulo poteſt.
Quid video? qualis animum inundavit color?
RA, Viden, ut repentè Virgo flammetur genas!
M. Quid patior intus? RA. æſtuat ſciſſo ſinu:
Seſéque major exilit. ſpargit comas.
M. Trahor in futurum, fitque præſens, quod procul
Poſitum eſt ab oculis. RA. Mente concepit Deum.
M. Fugiunt tumultus. mœror ignavus fugit;
Curæque triſtes & trucis Leti metus.
RA. Agitatur. ore & lumine abſiſtunt faces.
M. Mandata Patris geſtit animus exſequi.
RA. Confuſa facies ardet. afflata eſt. color
Subitò recedens variat. ora nil ſonant
Mortale. M. Certus ordo ſeclorum ingruet.
In his & Annus ille, Menſis ac Dies:
Qua montis uno in latere VIRGINEA CARO
Pendebit immolanda. *Mundi victimam,*
Mundo priorem, Virgo natam Virgine
Præcedo. ſeries tota conſpectum ſubit.
Feralis arbor ſanguine effuſo rubet.
Præcipio cuncta. ſic amans; ſic innocens,
Sic virgo mecum occumbet. eſt tanti mihi
Sequentis Ævi nobilis præſenſio.
Portendo Lytrum. funeri Funus meo
Innititur cœleſte. *Miranda necis*
Vivax imago, myſticos Maneis gero.
Agone in uno contrucidamur duo.
Vtriusque Fatum Genitor abſolvet ſuus.
Alterius urgent juſſa; ſed Votum mei.

Intus

Imus, Sodales, *imus ad Patrem* mori.
Non eſt novum, ſed cauſſa moriendi nova eſt.
TH. Evaſit. ulnis lubrica explicuit manus,
Cohibere virtus nulla potuit impetum.
Celerate paſſus aſſequi ſi non datur;
Saltem decorum fuerit elapſam ſequi.
CHOR. Rupit teretes ut cerva plagas
Rabie infeſtâ latrata canum.
Volat, ut turbo verbere tortus,
Spacio indulgens, ſiſtique negans:
Donec in orbem ſæpius actus
Séque & puerum verterit orbis.
Fugit, ut nervo canna ſoluto,
Illa per auras ſtridula, ventos
Sua poſt celeres terga relinquit.

SCENA III.

Jephte evigilans.

VBi ſum? gravi ſopore merſus ubi fui?
An, quæ frequentes mœſta voluimus diu,
Simulacra mentis reddit in ſomno quies?
Quidquid negâſtis lumina, invito ſopor
Ingeſſit ultrò. Vidi & agnovi meam,
Tanquam per umbram. vidi & agnovi tamen.
Menulema, quanta & qualis, ante oculos ſtetit.
Virgo per alta montium, cava vallium,
Inambulando carpit huc illuc vias.
Plangente cœtu: *Tene fraudari viro*
Te nuptiarum gaudijs ſic eripi.
Nondum explicata flore pubentem roſa!
Nec poſſe ſancti pignore adiecto tori
Deſideratum ſemen electi Ducis
Ortumque maturare; quò citiùs ſuum
Toties Avis promiſſus inviſat genus.
Heu ſterilis, infæcunda, ſic obis diem,
Vitamque perdis ante tempus: quam tuæ
Proli parens futura debueras dare!
Hæc inter udas fletus aſperſit genas.
Flevere cunctæ, cæterum proles ſibi

Animoſa conſtat. Triſte decretum necis
Adurget ipſa. Virgo conſtituit mori:
Et tu vetabis! patris exſpectat manum:
Tu retrahis, invitante tantò mollior!
Intrepida nudo debitum collo tuum
Expoſcit ictum: at ipſe cunctator ferox
Dubitas ferire? dubito. quia ſunt ſomnia.

SCENA IV.

Lucta ultima, & victoria Iephta, paternos affectus ſubſternentis Voto Religionis.

Aodus. Jephte. Chorus.

AODUS. Supreme judex: nuncium lætum affero:
IE. Effare AOD. Redijt filia incolumis domum.
CHOR. Genitoris iſtum mœror incluſus fugit.
Aureſque dictis ſauciâſſe triſtibus
Ignorat amens. IE, Quando? AOD. proclivi rota
Iaciebat umbras Sol nec omnino breveis,
Nec longioreis. veſper urgebat diem.
Vix media fluxit hora. quod monſtro mihi
Eſt ſimile viſum, Virgo quas comites habet,
Plorant. CHOR. Ab imâ ſede convulſit jecur.
IE. Et illa? AOD. Ridet CH. Riſus hic lacrymas ciet,
Quo more florens Iris in pluvias abit.
AOD. Trepidant, gemunt, queruntur amplexæ Lares,
Hærentque lateri, ſeque ſecerni negant.
Vt ſi columbas fulva cum nimbo ruens
Agat ales in cubile: conſuetis, licet.
Sedeant receptæ trabibus; horreſcunt adhuc,
Atque ex priore contrahunt pennas metu.
IEPH. Et illa? AOD. Triſteis erigit, trepidas fovet.
Solatur omneis. CHOR. O cicatrix! ô novum
Geminumque vulnus. AOD. Vna formidat nihil;
Mœroris expers. CHOR. ſed Patrem mœſtum facit.
Vt ſileat ipſe; loquitur in vultu dolor.
AOD. Ac vix reverſa limen attigerat; novas
Veſtes popoſcit; non peregrini maris
Spumâ nitenteis; non laboratas colu
Gemmante; quaſve pecten illuſo vagus

Diſcre-

Diſcrevit auro. Mater, ajebat rogans,
Da concolorem ſanguini tunicam meo.
Da deinde & albam. lilio ac roſa induar.
Nunc nunc, rubere nuptialem, nunc decet
Candere totam. tempori aptetur color.
IEPH. Nunc, nunc nigrantem ſume centonem miſer.
Miſerande Iephte. CHOR. carus aſperget cruor,
Facturus omni digniorem purpura.
IE. Vt ego trucidem! quod. CH. Voventem quod decet.
IEPH. Quod genui, in ignem noſtra porriciet manus!
CHOR. Vi nempe pacti rigidus exactor Deus.
Votum lituras neſcit humanas pati.
IEPH. Timeo miſer peracta peragenda haut timens:
Peragam timenda! non ferunt libram parem
Cordis tumultus ſemet oppugnant mala,
Quæ fugio demens, rurſus inſtabilis ſequor.
Orbare fructu ventris uxorem potes!
Te Gnatâ! utrumque prole! prolem conjuge!
Sponſo puellam nubilem! ſponſa virum!
Ætate juvenem! debilem fulcro Domum!
Sociâ coævas! &, quod antefero omnibus,
Vitâ innocentem! meliùs, ah, meliùs furor,
Tibi illa Generum debeat priùs, tibi
Caros nepotes. CHOR. Trahitur animus, & trahit
Diſcors, nec omneis unus affectus capit,
Diverſa certant jura. pietatem dolor,
Pietas dolorem victa vincentem fugat.
Vt cùm rebelles carcere effracto ruunt
Venti, ac revulſum turbine invadunt fretum.
Dividitur huc illúcque commotum mare:
Dubiúmque pendet inter ancipites Thetis
Pulſata fluctus; cujus Æolidæ ſequi
Coacta partes ſternat imperiis vada.
IE. Num ferro eodem ſanguinem inimicum, & tuum,
Haurire poteris! facis, & exhorres nefas!
CH. Iterum laborat ac recrudeſcit dolor.
IEPH. In quæ pudendus monſtra, quáſque fabulas
Transſcribar olim, nullus immani reo
Parcet Tragœdus. quiſque ſontem ſentiet,
Aut faciet. omni vapulabit hoc caput

Nocens

Nocens cothurno. CHOR. Nulla diffidit ſibi,
Aut in theatrum progredi Virtus timet.
IEPH. Audite, quotquot vitreas bibitis ſacri
Iordanis undas: quotquot Arnon proluit,
Audite facinus tam cruentum, quàm novum.
Quod omnis ætas horreat, nulla adprobet.
CHOR. Miretur omnis; nulla propterea improbet.
IEPH. Accipite cæca fata, non cæcis tamen
Commiſſa verbis; non inextricabili
Obſcura gripho. clariùs de me loquar.
Myſtes profanus, carnifex piè impius.
Iudex iniquè iuſtus, invitus volens,
Rebus bonis iratus, impatiens malis,
Victuſque victor, immolavit hoſtiam
Similem immolanti. Pænè & ipſe exhorreo
Ænigma tetrum. trepidat interpres ſui:
Et ceſpitantem lingua deſtituit ſonum.
Mentis tribunal ipſe formido meæ.
Vix ille, in alta rupe, qui Sphyngem domans,
Fædus paterna cæde. Thebanum manu
Sceptrum cruenta geſſit, ac diros ſibi
Ex Matre fratres genuit, hunc nodum explicet:
Perplexus ut non hæreat primo objice;
Doleátque vinci; forſan etiam gaudeat.
Mirérne, vaſtò quaſſa ſi tellus hiet
Tremore! totum pondus inclinent Poli;
Pharetraſque vacuent mille fulminibus graveis?
Audimur, anne ludimur? cœlum tonat.
Externat animum ſubitus horror. ſum reus.
Nocui, volendo iam nocere. pes labat.
Sævire ut adigam memet, eneruis negat
Parére dextra. corpus invaſit ſtupor,
Qua me recondam ſede? qua crimen tegam
Tantum cavernâ? Criminis nomen dabis
Voto? triumphi munus oblatum ſacri
Obſignat iſte titulus! iſtâ Numini
Promiſſa ſeruas cultor animoſus fide!
Ignave, vecors, timide: jam ſegnis ſtupes!
Torpent ſolutis languidæ neruis manus:
Ruptis triſulcæ nubibus flammæ micant!

Tonat

Tonat omnis æther! nox timetur Oedipi!
Et quidquid animus fingit inconſtans ſibi!
Si pænitet voviſſe, & exequi piget.
Redde impetratæ gratiam Victoriæ,
Deus hanc ab alto miſit. humana manu
Quid enim peractum dixeris? minimus labor
Pervenit ad te. vix popoſceras opem:
Vt ſubitò in armis major emicui, viros
Quaſi in arma mecum ſumpta centimanos trahens!
Senſi, recordor, ardui afflatum ætheris.
Redde ergo ſpolia cum tropæis hoſtium,
In quæ incidiſti: redde in auxilium tibi
Nimbos ſonanteis, & coruſca fulmina,
Ventóſque miſſos. redde vulnera ac minas,
Pavidíque cordis frigus excuſſum tibi.
Subeunda torto redde nodo vincula.
Subſterne procuruatus Ammonis pedi
Deforme dorſum tabe pingendas tua
Scapulas tyranno ſubice. geſtet manticam,
Geſtet catenas populus in ſeruum redux.
Atqui ſerenâ fronte, ceu ſidus novum
Bellorum in undis ac tenebroſo lacu,
Poſt Servitutis mœſta fulgens nubila,
Squallore pulſo, cara Libertas adeſt;
Glaucíſque foliis vincta cæſariem Salus.
Reſupinus hoſtis calcibus terram ferit.
Pacis reductæ latera pleno Copia
Opulenta cornu ſtipat, & dulcis Quies.
CHOR. Stant omnia uno capite pro cunctis dato.
Dabis? at parata eſt Virgo reſecandum dare.
IEPH. Cunctaris anime! nam quid eligas? nihil
Reſtare cernis debiti pondus tui
Expende *votum eſt*. ſiquid ulterius petis,
Fatum eſt. moras injicere jam nullas licet.
Actum eſt. & , adverſatur ipſa tibi ſalus.
Abſolue luctam. dáque vel tandem manus;
Manibúſque ferrum: Gnata ſe ferro dabit.
Sequor vocantem mollis Abrami nepos:
Sequor. fatenti crimen aliquantæ moræ
Parce; & lacertos eſſe morigeros doce.

Iam

Iam ſum ſacerdos totus ejecto patre.
Vnde novus iſte cordis impulſi calor?
Micat intus, ardet, urget, inſpirat, ſalit.
Quà cœptum eatur, euge: ceſſatum eſt ſatis,
Natâ carebo: nata in hoc eſt, ut ferat
Aliquando mortem. gloriam ex hac conſequar,
Si morbus hinc letalis eriperet mihi:
Quid me maneret, niſi remorſurus dolor,
Plebejus, ater, vilis? & Gnata tamen
Functâ carerem. perdo nunc cum fœnore
Vtilis Honeſti: cauſſa quæ luctum imperat,
Lugere prohibet. Omnia amittes ſimul:
Famam, triumphum, Filiam, mentem bonam:
Simul immò cuncta laude cumulabo nova:
Me, quod mihi cariſſimum eſt, poſt patriam,
Deum, ſalutem civium, Rem publicam
Habuiſſe longè. Sorte privatâ amplius
Audere debet, qui Magiſtratum gerit.
Mercentur alii victimas: ego genui,
Quod immolem. Menulema referat Manibus
Viciſſe Iephten. hic ſit, hic teſtis cruor.
Sobole litavit ante me nullus ſuâ,
Sim primus ergo, torua ringatur, licet,
Natura, fiat. ſatius eſt cœlo obſequi
Vel hæc jubenti: patior, haut facio nefas.
Sed cur nefas ſit? nonne vitam Numine
Repetente noſtram, cauſſa vivendi perit?
Ceſſare ſaltem jure cenſeri poteſt.
O qui coruſcæ lucis habitas in globo
Plenus tuimet: quique nubivagus ſupra
Nimbos curules graderis, ac tonitru ciens
Pennigera latè terga ventorum premis,
Supreme Mundi Rector: è cujus manu
Vitæ necíſque jura & arbitria omnium
Diſpoſita volui ſcimus. *Hanc olim meam,*
Nunc immolandam, iure meliori tuam,
Transſcribo prolem. Meliùs æterno Patri
Mactata vivet, quàm ſuperſtes vel mihi,
Vel ſibi. nequit perire donatum Deo.
Suſcipe puella gratum odorem victima:

Facie

Facie benignâ. nulla tanti adhuc ſtetit,
An aliqua pluris ſtabit? immenſùm quidem.
Neſcio quid in me; neſcio, quid in Filia
Agatur. aliquid agitur. hoc ſolùm ſcio.
Non otioſum ſpiritum mente indui.
Horrenda per me ſeminat præludia.
Imaginoſo turbidum obtutu rotat
Caligo ſacra. video, nec video ſatis.
Sed admovenda eſt denique Holocauſto manus.
Cras cùm renatum fonte Nabathæo jubar
Infundet Orbi Phœbus, explebo Sacrum.

ACTUS V.

SCENA I.

Ariphanaſſo ex variis incertæ Fortunæ jactationibus, Maſpham reverſus; majoribus obnoxius.

Ariphanaſſo.

QVi verba ſemper rebus, & ſpes exitu
Æquare in animum tumidus inducit ſuum;
Me videat. ex quo caſtra juſſus ingredi,
Hoſtem ſupremum quæro in inſidiis latens:
(Dolus anne virtus in tyrannorum necem,
Vtrum requiras?) nulla præteriit mali
Species vagantem. cuncta ſenſi, prô dolor,
Infeſta. ferri dura poſſe & aſpera,
Didici ferendo. paſſus & ſitim & famem,
Poſt compedes ac flagra, cum Pelagi minis,
Totáque conflictatus Æolia domo,
Vix huc reliquias debilis vitæ affero.
Cuniculoſo Marte, mandati memor,
Iugulum ferire, fateor, Ammonis paro.
Fatum fefellit. proditum ſepit cohors:
Nec ſimplici me morte multandum putant.
Trahor ad cataſtam; luce quamprimùm nova
Pinxiſſet Eos ſumma montium juga;
Diis devovendus Inferis, Diis Manibus.
Quid facerem aheno vinctus, in tetra ſpecu,
Ope Dædaléa aliſque ceratis carens?
Dedit ira vireis, & neceſſitas dedit.

Trabale

Trabale telum. ſæva rupi vincula.
Elapſus antro turbidam arripio fugam.
Remeare nullo calle licuit ad meos.
Diſpoſitus hinc excubitor, inde ſemita
Obſtabat anceps, mille in errores patens,
Peragrare Saltum tento, noctis munere.
Per & ferarum luſtra & ignotam viam
Veſtigo flexus. donec ad bifidi maris
Delatus undas, nave conſcenſa, freto
Commiſſus auras atque ventorum fidem
Statui experiri. Vix in Altum ſolveram:
Quum ſubitus Auſter fronte nimboſa minax
Ciere fluctus, frangere antennas, retrò
Quaſſare pinum. ſpumat aſſurgens mare;
Interque cani vortices tortos Sali
Aperta terra eſt. ſtant procellæ in fulgure.
Modò concitatus gurges in cœlum tulit:
Modò, cum ſe arenis miſcuit fulvus color;
Ex arcuato monte in infernas mihi
Præceps videbar ruere convalles, vado
Pandente hiatum, quantus eſt in Tartara.
Sed decuma navis, ecce, divulſæ latus
Fregit procella. lacerat exſuperans hyems
Irrita carinæ texta. Diſiecti natant.
Fortuna miſeros quos premit, preſſos levat.
Reſtituit unâ, quod rapit manu altera.
Me trabe revulſa, pæne eodem in littore
Æſtu repulſum raptus aſſer naufragum
Expoſuit. Heic, dum corna jejunus lego;
Siccóque veſtes, murmur incertum fremit;
Pugnâſſe Iephten. Capto, quà poſſum, ſonos,
Primò ſuſurrus: deinde rumor armiger;
Mox clara latè fama crebeſcit palam,
Viciſſe Iephten. quidquid Ammonis ſtetit,
Iacere campo. ſibilat Victoria.
Quodcunque tandem eſt, impetus totum ſubit
Iter relegere. Vario Perſonæ modum:
Formámque & habitum mihimet aſſuetum exuo,
Ora ſimulatum veſtis alienæ tegit
Hoſtile ſpolium. vacua caſtra tranſeo.

Sedet

Sedet profundum vulnus in Como, ſedet.
Majore ſeſe clade proſtratum negat
Proſtratus ipſe. lapſa ſummo cornua
Cecidere faſtu. fluxit ex ſtruma tumor.
Gemitus ubique. ubique comploratio.
Cruore fumat campus, albet oſſibus.
Exaggeratus inſepultorum jacet.
Cœlúmque fœdat cumulus ingens corporum:
Qui vel crematur igne, vel paſcit feras:
Deſúntque functis foſſæ, & urendis rogi,
Matres capillos erutæ, ſciſſæ ſinum,
Nudæque mammam filios plangunt ſuos,
Nuptæ maritos. Nec dolor ſemper manet
Diſcretus inter conjuges, ſocrum, nurus.
Confuſa cædes, voce confuſâ omnium,
Cum fletu & ira pariter ululatus ciet.
Pars mœſta lamentatur ac lacrymis vacat:
Pars rabida præ furore lacrymari nequit.
Senſum malorum majus obſtruxit malum.
In marmor album more ſtatuarum rigent.
Squallor, metus, caligo ſuffocant diem.
Peſtis timetur ex cadaverum putri
Pætore ſerpens. ſtant acerui funebres,
Atque his veneno mixtus incumbit vapor;
Hauſtus & omneis inquinat puri ætheris.
Ter ô beati, térque felices! quibus
Licuit triumphum, comite Fortuna, ſequi.
Tropæa validâ tanta ſtatuenti manu
Non Cyrrha lauri, tota non dederit ſatis
Palmarum Idume ſerò me referunt pedes.
At Gnata, dulcis virgo, Delicium meum;
Quali decenter duxerit pompam choro!
Effulta gemmis, veſte non molli decens,
Ornata rigidè, digna laurigero Patre!
Vt ad reverſum fuſa Genitorem, manus
Complexa fuerit, oſculóque ſtrinxerit!
Atiphanaſſo; probra non ſentis tua!
Nam te quid infelicius vel ſol videt,
Vel terra portat? Marte confecto redis:
Vmbraticus pugnator, in laruas ferox,

Impa-

Impavidus, audax, fortis, animoſus pugil,
Sed in peremptos. procul ab irato Iove
Caviſſe fulmen dicar: horâ prælii
Latitâſſe poſt carecta. ſic riſum creo!
Menulema quæret; ubi ſit Ammonis caput?
Oſtende largè multa pollicitus ſiles?
Ventos & undas, carcerémque & verbera,
Maneíſque & umbras teſtor in tumulis vagas:
Nihil refugi, quo minùs belli decus
Poſſem mereri. Sortis infelix jocus
Mea culpa non eſt. odia Fatorum luo.

SCENA II.

Iephtæi Sacrificii prima Relatio, obſcura & interrupta.

Aodus. Ariphanaſſo.

AODUS. Quis non pavendas Sortis humanæ vices.
Miretur! albis nigra, lætis triſtia,
Æquis iniqua diſcolor miſcet dies.
ARIPH. Vt video, non ſum ſolus infelix ego.
Hic luget, aut lugetur, alterutrum notes.
AOD. Nil ſtabile cernit Phœbus. AR. Expertus ſcio.
AOD. Phœbéque cuncta mutat. AR. Id, quod ſentio.
AOD. Poſt bella profligata victrici manu,
Aciéſque fuſas, hoſte deleto foris;
Ipſos triumphos funera infamant domi.
ARIPH. Cavenda ſemper prælium ſequitur lues.
Militia peſtem, peſtis horrorem creat.
Mors una mortes pullulans plureis ferit.
AOD. Sed neque puellis parcitur. AR. ſexus tener
Letale virus citiùs afflatu bibit.
AOD. Agimúrne furiis! turbo quis mentem emovet?
ARIPH. Sua an aliena memorat indignans mala?
Sed reliqua tacitus aure compreſſa hauriam.
AOD. Perdiderat IO non peremerat pater
ARIPH. Ideóque multis flevit undis Inachus
Etiam repertam. AOD. filiam heic aliquis ſuam
Non perdidit: peremit; & ſic perdidit.
ARIPH. Aſtræa virgo vindicabit. AOD. Non Arabs,
Non

Non Arabe pejor iſtud immitis Scytha
Feciſſet. ARIPH. Ingens litigat ſecum dolor,
Quærítque latebras, atque in apricum pudet
Prodire. AOD. Sic Natura cedat! ARIPH. Non ſolet.
AOD. Nil lacrymæ, nil jura pietatis valent.
ARIPH. Sum Davus. aures permeat ſonus rudis.
AOD. Poterat Leonem flectere Armenium. AR Leo
Armenius ac jubatus, eſt animal ferox.
AOD. Taleis in uſus dura ſi liqueſit chalybs;
Præſtaret omneis igne ſuccendi fabros,
Fractis & vnà diripi incudes focis.
AR. Quod facinus ergo pœna tam nocens premit?
Grave ſit, oportet. AOD. Ipſa nimirum neci
Conſenſit. eſto. AR. Quid velit, nondum aſſequor.
AOD. Cur autem ad Aram? Dubito, quid magis execrer;
Sacrum anne ſaxum! AR. Mœror inconſtans furit.
Nunc damnat Aras; ante damnavit focos.
Spei auferenti fulcra quid ſupereſt ſpei!
Hinc pendet hominum tota miſerorum ſalus.
AOD. O vultum, & oculos, ac renidenteis genas!
AR. An amat! AOD. cruentam Genitor admôſti manũ!
AR. An odit! AOD. Ecquis funere occurſum luit?
Ego me cavernis abdidiſſem rupium,
AR Sine mente vana ſomnia effingi puto.
Mediúmne pennis levia pervolitant diem?
AOD. Vt verò colli nivea, nuda pectoris i
Incertus ora ſparſit & varius rubor.
Ceu famula quondam fida Iunonis, ſimul
Impoſuit arcum, nube ſignata rubet,
Infecta pulcras mille pigmentis genas,
Omneis colores roſcida & nullos habet.
AR. Omneis ſonos percipio: nullum intelligo.
AOD. Vt virgo patri languidum inflexit genu!
Vt micuit enſis! AR. Vtque tu verba implicas
Nodis, & interciſa carpis murmura!
Eloquere, ſicam cujus aſperſit cruor?
AOD. Cadens in altam cluſit, eheu lumina
Pudica noctem. AR. Quidquid enarras, mihi
Nimis alta nox eſt. diſcute oris nubila.
AOD. Mox gemitus imo corde diductus. AR. Gemit.

AOD.

AOD. Et miſta fletu verba. ſpectator lapis.
Etiam maderet lacrymis. AR. Niobe nova.
AOD. Ah miſera! Genitrix, miſera. non magis anxie
Quæſiſſe luctu potuit Ætnææ facis
Tædifera natam Mater amiſſam Ceres.
AR. Vtinam micaret ſidus optatum & mihi.
AOD. Amiſſa non eſt iſta ferali manu
Hæc rapta verè; fabula eſt Proſerpina.
AR. Proſerpinam quis currus abſtulerit, ſcio.
Quam tu moleſte raptor auſers, neſcio.
AOD Sed & ipſe tandem flevit. ah! ſerò nimis.
Nam quid priùs, quid deinde culpem vel probem;
Ignoro. Nata, pater, ſacerdos, hoſtia,
Inſolita prorſus. AR ſiſte; quem ploras miſer:

SCENA III.

Iephtæi Holocauſti altera Relatio, apertior, ſed barbara.

Bagloas Barbarus. Ariphanaſſo.

BAG. Scelerata, ſæva, plena Manibus nigris
Inceſta tellus. digna Stygiis obrui
Vorticibus: & quod igne Cocytus tumens,
Acherónque ab imo ſulphur eructant vado.
AR. Iterum procella cæca: tempeſtas nova!
BAG. Tu, qui potenti tela moliris manu,
Punire ceſſas? quem penes jaculum triplex,
Et hiulca nubes, & cometarum vapor,
Tonitrúque tellus rupta & à ventis tremens:
Hæc aſpicis, nullúmque jacularis Jovem!
Ferire quercus igne contentus ſacro!
AR. Quid fulminantis iſte vultus excoquit?
Prior furebat mitiùs, raptim gemens.
Hic tactus œſtro totus in flammas abit.
BAG. Cur his in arvis torua non æque virûm
Et ahena meſſis creſcat, ac Cadmi ſolo!
Ferrata ſulcis ſurgat armiferis ſeges.
Vibrantem tela litus in culmo ſonet.
Subitò virentum gleba Terrigenûm ferax
Protrudat hoſtes, mutuo qui vulnere
In ſe ſe & enſes, cæde permiſtâ, ruant.

AR. Ceritus arma ſpirat:ad capulum manus
Eſt dirigenda,ringitur. quorſum hæ minæ?
BAG. En,illa ſancta Natio,ſi qua eſt fides,
Caſtóque ritu ſolita venerari Deum:
Quæ Sacra victrix inchoat,quas hoſtias!
AR. Aculeis quos iſte echinus adpetit?
AOD. At verò nos,queis ſeptimæ lucis quies
Ignava non eſt:quique nequidquam ſues
Veſcas timemus;impii,immanes,feri,
Crudíque habemur; monſtra Carpathii maris.
Omnes hiatu rupis exciſi ſumus.
AR. Et eſtis. ex qua matre te genuit Cyclops?
BAG. Nos belluoſo pontus exſpuit freto.
Virgata nobis ubera admovit tigris.
AR. Et ſiquid illâ ſævius Ganges alit.
BAG. Mactare porcos altiles quidam impiè
Verentur:hominem innoxium,nihil timent.
Luſtralis ajunt eſſe pietatis genus.
AR. Convicium ferre aut loqui non eſt meum.
BAG. Quoties Thyeſten exprobrant & Atreum
Nobis Apellæ?fratris alter liberos
Coxit,fatemur. membra transfixit veru.
Sed juſtus hoſtis,fratris & ſceptri æmulus;
Sed læſus armis,læſus armorum fide:
Sed pulſus inceſtifica, ſed vindex tori
Contaminati: ſed furens,ſed Atreus:
Sed regno in illo; peſſimis avis ubi
Pejor nepotum turba Tantalidæ regunt.
Quorum una virtus,ſemper aut ſcelus fuit,
Aut cauſſa ſceleris. ipſa transgreſſi modum
Flagitia polluére: Furiis triſtibus,
Queſtíſque ſæpe,ſe relinqui criminum
Horrore victas. Viſcera ignarus ſua
Voravit alter,inque cognatas dapes
Abominandam dirus impegit famem,
Propria orbitate paſta trepidavit gula.
Bibit ex capaci ſanguinem ſuum ſcypho!
Madidumque muſto patre proluit patrem,
Sed mente captus: ſed & ineſcatus dolo;
Sed credulus perire poſt datas manus;

Et liberorum ſanguinem cum Libero
Miſtum bibens; ſic, poſſet ut falli ſitis.
AR. In ſubita natus monſtra, dum caveo, feror.
BAR. Impunè an autem & iſta! pœnarum dedit
Plus ſatis uterque. tota contremuit domus
Nutante mensâ. fæda fluitavit cruor
Per labra, in ipſo gutture auditus queri
Ac murmurare. pars ciborum dentibus
Lenta ſtupefactis hæſit, intrudi negans:
Pars jam recepta ventre, luctando exitum
Quæſivit. umbras intus ululanteis pater
Senſiſſe fertur. unde captivi obſtrepunt!
Ignota rabies fodit ungue viſcera.
Quin & trementes Dii refugerunt locum
Epuli cruenti. triſte concutiens caput
Sol hàc & illac pòſt in Ortum devias
Equis recurrens flexit averſis rotas:
Secúmque pulſum rapuit ex Mundo diem.
Adhuc aranteis nec fatigatos boves
Tenebræ obruerunt. noctis inopinæ pavor
Invaſit horas lucis abrupta via.
Verſumque tempus prandii in cœnam fuit.
Prodigia ſint hæc horrida, atque adeò ſuis
Æquata noxis: non & idcircò rea
Nocenſque ſola eſt Pelopis obſcæni domus.
Vincit Mycenas Maſpha. AOD. Maſpha flebileis
Vincit Mycenas! BAG. Imputes ibi omnia
Diris, & hoſti mentis exſorti. furor.
Laceravit artus. hic ſereno de die,
Dum conſtat animus, ménſque, patrantur neces,
Amor enſe ſævus inter atroceis ferit
Gemitus amatam, lacryma ferientis cadit;
Et adhuc ſtat humeris dulce feriendum caput.
Procul ira & odium. nihil in occulto latet.
Palàm doletur. ipſe delinquens ſuum
Plangore facinus damnat; ac diſcors ſibi
Scelus illud odit, quod tamen ſciens facit.
Sacrum hoc vocatur. nunquid Herc æo Iovi
Nos paria vota reddimus ſumptu pari;
AR. Ariphan, aſſo, contines lentam manum!

Tot probra ſentis ingeri,& gladium geris?
BAR. Miri profectò ſunt Apellæ aruſpices.
Rimantur exta virginum,hinc præſagiunt.
Spargam per Orbem viſa:vulgabo nefas.
AR.Niſi properè inſecutus anticipem viam:
Et amputatis pedibus affigam loco;
Linguæque fibris erutis radicitus
Silere cogam.Túne ſecurus mei,
Calumnieris liberè Hebræum genus!
Corripuit Auſtris ocyor turpem fugam.
Qualis Lyæo fertur inſano procul
Stimulata Thyas in Cithæronis jugum
Ceu rapidus ignis;quamque ter circùm caput
Reducta glandem funda Balearis jacit.
Me verò miſerum! ſemper obtundi malis!
Vri moleſta ſemper ignorantia!
Fortuna lacerum rete vixdum cœperat
Reficere:mugil grandis adverſum ruens
Pejore plagâ rumpit,ac medium ſecat.
Quis pepulit aures vocis abſurdæ ſonus?
Maſphæ immolari virgines! hoc barbaros,
Hoc ſcire & illos,qui lutum,calcem,feras,
Lapides adorant.mille qui colunt Deos!
Et nullum & omneis! fallit impurus Geta:
Fallit Procruſtes iſte.cur habeam fidem
Scurræ irreſecto? finge,vera farier.
Non jure demum cuncta flammis miſceat
Rediturus Ammon.redeat armatus,licèt,
Totóque civem & tecta Vulcano obruat.
At enim triumphi ſigna funeſti noto.
Palmæ revulſa fronde languentes jacent.
Lacerata calco ſerta.fractorum cruor
Hinc inde ſparſus ſignat armorum vias.
Tabulis ſolutum pegma turbatis ruit.
Siletur.ipſe ſpirat horrorem locus.
Tecum quid altercaris ipſe?non opus
Eſt lite longâ protinus Maſpham ſubi.
Capiant ut aures multa,plus oculi vident.
In rem fideli teſte præſentem veni.
Tentemus.eia,frontem & ora exporrige.

Quid hoc? recuſant ferre titubantes pedes!
Corpus vacillat. poplitum nervi rigent.
Vrgebo paſſum vel reluctantem ſequi.
Superi quid iſtud! crura propelli negant.
Intrare quoties cupio, decreſcit vigor:
Attonitus hæret truncus immoto gradu.
Quoties recedo; pes ad officium redit.
Séque expedita glomerat in veſtigia.
Vel ſic eatur. frigidos ſalſus fluit
Sudor per artus: aliquid eſt in limine,
Quo faſcinamur. ſiſte: defoſſum hîc nefas,
Polluta terra eſt. retrahe ſtupefactum pedem.
Retrahe immò verba, tunc pollutum voces
Sponſæ cubile; tótque dilectam tibi
Nòminibus Aulam! hæc terra Menulemam capit:
Hæc nutrit illam. O noſtra, confeſſo probrum
Ignoſce. redimam. en, figo terrræ huic oſculum.

Celare tuas carmine curas.
Defeſſa malis pectora mulce:
Et dejectas collige vires.
Sortis dulce eſt meminiſſe gravis.
Non eſſe malum puto, ferre mala:
Non velle, puto, mala ferre, malum eſt.
Poſt exactos mille labores,
Vincula, clathros, æquora, peſtem,
Placeat feſſo jucunda quies.
Sed cur nolens trepido, trepido?
Quænam eſt tanti cauſſa tremoris?
Cur invitis cadit ex oculis
Lubricus humor?
Quid me infelix cura laceſſis?
Sine non meritos pellere luctus.
Doleat ſceleris reus occulti.
Mens ſibi ridet conſcia recti.

Fugiunt toto nubila cœlo.
Fugit mœror, fugítque pavor.
Nova lætitiæ vena coruſcat,
Ictóſque ſalit fuſa per artus.
Libet attritas ponere veſtes,
Et coccineum ſumere pannum.

Libet

Digitized by Google

Libet & crines ungere coſto.
Mixtus balano fragret amomus.
Impare ſurgant lumine tædæ.
Sentio ſtimulos, quos ſubdit amor,
Et in amplexus, Menulema, tuos
Lenè reclinat. Tu ſola meo
Frigus in æſtu, frigore flamma,
Miſces gemino munere vitam.
Inſtrepuit illic cardo. compoſito gradu
Noſter Baraeus, ecce, prodit. hic meos
Abſolvere unus & metus & ſpes poteſt.
Meditatur aliquid. mente collecta prope
Abeſt ab homine. qui negotiis vacat.
Fortè ex ſenatu fronte non læta redit.
Ego arbitrabor tacitus eventum rei.

SCENA IV.

Flebilem Ieptai Sacrificii Cataſtrophen, Ariphanaſſo tandem clarius audit exponi.

Baracus. Ariphanaſſo.

BAR. Conſili prudens, animique ſolers,
Percitas motu ſtimulante fibras.
Semper attentâ moderare cura:
Ne vel in Ponto, vel in Axe præceps
Excidas magnis miſerandus auſis.
Digna laus ſemper Mediocritatis
Limites intra ſtetit atque fineis.
Quidquid eſt extra, vitium vocetur.
Impetus diſcant celeres morari:
Séque feſtinans mora carpat intrà
Tuta cancellos properata raò
Ferre ſucceſſum, nimis experimur,
Credite Vati.
AR. Oraculum cœleſte: Delphis verius.
BAR. Omnis affectus violens ab æquo
Trudit in pejus ſimul occupavit
Pectus, everſa dominatur arce.
Vtque perſultans equa trima campum

Digitized by Google

Excutit ſpreto domitore frenos.
Sævit in primis timor in timentem.
Sæpe Mortaleis miſeros in enſem
Mittit & flammas.adigitque cœlum
Omne,quàm latè patet,invocare.
Poſtibus ſacris tabulæ voventur
Ritè figendæ.numeroſus ordo,
Salſa quas ſpargat mola,victimarum.
Mugiant illæ,modò non loquantur:
Nec ſciant ferrum ſibi præparari:
Et popæ diſtent ferientis ori,
Impare forma.
AR. Primus marinas Tiphys invenit rates:
Timor marinos primus invenit Deos.
Abſque hoc carerent capite cærulei bovis.
BAR. Nomen infelix ovis,aut juvencæ.
Vlla de noſtris recipit puella!
Taurus ignorans ruit in ſecurim,
Et ſtupens mortem mediam lucratur.
Hoſtiam duco magis eſſe flendam:
Quæ,quid acturus,quid agat ſacerdos,
Ante ſpectatos oculata cultros
Novit; & Leti meminiſſe debet.
Certus ad cenſum dolor ac futuri
Præſcius Fati duplicatur ictus.
Eſt adeps nullis adolendus Aris,
Quem ſuo nutrix adolentis uxor
Lacte promovit.pretioſa res eſt
Sanguis humanus,neque venit auro,
Qualis armenti cruor in macello.
Sufficit fundi toties ab hoſte:
Cùm minax ſævum movet ira bellum.
Pace cur fuſus chlamydémque & ora
Tingit amantis?
AR. Agit ſiticinem cui parenter,audiam.
BAR. Proinde conſulta ratione libra;
Si voles quidquam ſtatuiſſe magni
Teſtibus Divis,& habere pondus.
Quod ſemel verò placuit ſtatutum:
Protinus totis retine lacertis:

Sitque,

Digitized by Google

Sitque, quod nunc eſt, anima in medullis:
Et locum vitæ teneat ſecundum.
Pacta plectuntur temerata nulli
Non ſtetit magno violâſſe fœdus.
Vltor à tergo premit infidelem.
Avolat verbum ſemel ore fuſum
Septa trans linguæ; neque ſcit reverti.
Si tamen vireis aliquando Voti
Mente ſortitur, manet, ac doloſum
Damnat auctorem comitante pœnâ.
Vt tibi fluxum videatur inſtar
Amnis, in plumbo ſolidóque ſcripſit
Marmore Numen.
AR. Cautè eſt agendum facilis ire in fœdera
Aut vota, manibus antè verbenam premat.
BAR. Quid Galatino nocuit Dynaſtæ
Quàm repentinus nimiúmque præceps
Ardor in Votum! temerè anne ritè
Editum, juxta eſt quia non licebat
Oris ad primam revocare metam;
Illud inſontis jugulus piavit.
Qui dedit cauſſam truculentus hoſtis,
Expiaturus fuerat nocenti.
Sanctiùs Ammon.
AR. Hîc, fateor, anceps animus hæret. neſcio
Quò longa ſeries flectat has ſententias.
BAR. Hinc fluunt illæ lacrymæ, fluéntque:
Donec areſcat nive paſtus Arnon;
Séque Iordanes iterum revolvat
In caput retrò, ſtatuátque montem.
Victor optaret modò victus eſſe.
Nomen amiſit patris in triumpho.
Gaudium triſtes pepulere Diræ,
Plangor infregit ſonitus tubarum.
Publici fletu maduere plauſus.
Funebris laurum vitiavit herba.
Miles erectis animoſus armis
Ocyus vultu referente luctum
Traxit inverſas quaſi victus haſtas.
Scuta turpavit radiata pulvis.

 Lætiùs

Lætiùs criſtæ fluitare viſæ,
Caſſidis ſummo cecidere cono.
AR. At turbulentas hic quidem exequias canit.
BA. Quiſquis exſultas, reperiſque curru
Gloriæ plenus per acuta belli.
Martis alternos meditare caſus.
Mobilis ſors eſt: ſolitúmque ludum
Ludit in noſtris Dea cæca terris.
Dum pares veſpæ quatit inquieta
Lubrico volui ſuper orbe pennas:
Et levi fallit populos volatu.
Cuncta miſcentur, nihil eſt perenne.
Rebus adverſis inopina turbant:
Anxios reddunt eadem ſecundis.
Vita ſe certis vicibus per omneis
Verſat incertùm varianda partes.
Hunc diem mœſta ſine nube purum,
Blandiùs fulgens dabit ire Phœbus:
Craſtinum ventis pluviáque turpi
Condet obſcurum nebuloſa Pleias.
Nemo ſpe, longas ſibi pollicentis
Nutriat vanos animi tumores.
Ventus inflatos violentus utres
Solvit aut rumpit, minimum eſt, quod alta
Sternit ad ima.
Ille felicis titulum meretur:
Qui per immenſi ſpatioſa ponti
Terga, formidat Zephyro faventi
Credere: & veli modicam phaſelum
Alligat ripæ propioris unco:
Majus in nomen ſpatiumque euntis
Littoris oſor.
AR. Atqui iſta, quantaecunque ſint, hodie mihi
Eruere certum eſt. præloqui viro placet.
Barace: quòd te nominem, affectus facit.
Adhuc amici veteris agnoſcis notas?
Redux Ariphanaſſo ſe ſiſtit tibi.
BAR. Vivíſne noſter, dicte toties mortuus!
AR. Peregrina ne te læna turbet, hoſtibus
Erepta præda. Varia me per caſuum

Vides

Vides relatum. Tu, quod ex vultu patet,
Confuſa mentis ſigna ſollicitæ geris.
Exprome cauſſas, BAR. Aliquid infauſtum petis,
AR. Quos antè dudum, quóſque nunc patior metus,
Quæque ipſe celas Fata, ſolve: ſi minùs;
Imple. paravit non inexpertum tuis
Fortuna curis aſperos caſus tuli.
BAR. Memorare ſuades, quæ cohorreſcens metu
Audire nolis. AR. Delicato te loqui!
BAR. Tacere quædam mos juber, ſapiens ſolet.
AR Crucias tegendo quæ ſciam, levius feram.
Effare tandem quæſo, quodcunque eſt malum.
BAR. Si te juvant funeſta! AR. Ne parce auribus.
Occalluerunt. malo ſcire fortiter,
Quàm turpiter neſcire miſeriam meam.
BAR. Conſcende Maſpham. tota lamentis ſonat.
AR. Hoc miror ipſum. progredi ſemper vetor.
Portas ter aditu tento ter repulit pedem
Inviſus horror. quid retardat? obſecro.
BAR. Plangunt puellæ cinere conſperſæ comas.
Plangit juventus, ſpéſque fraudatas gemit:
Feriuntque mœſtæ ſumma matres ſidera.
AR. Quæ cauſſa planctûs hujus? explanes, rogo.
BAR. Indigna cædes. AR. Expietur legibus.
Nondumne corvi eſca de furca datus
Volucres replevit improbos putri inguine,
Oculiſque foſſis? dignus haut quavis ave;
Sed habente roſtrum, quale defixum ſedet
In jecore Titii. quem novem per jugera
Porrectum aduncus vultur in fibris arat
Semper renatis. Nondum ab alto culmine
Diſiectus oſſa fregit? Ixion vacet,
Et Siſyphi molaris. in rotas eat,
Lapidúmque nimbos, qui triumphum polluit.
Mergatur undis: pabulum fiat feris,
Luſtretur igni crimen; & piaculum
Qui grande fecit, fiat. alioqui Deo
Vltore, ſonteis pœna vos omneis manet.
Redibit Ammon. languidæ ceſſant manus!
Quid ingemiſcis? BAR. Vulnus attrectas tuum.

Digitized by Google

Et liberorum ſanguinem cum Libero
Miſtum bibens; ſic, poſſet ut falli ſitis.
AR. In ſubita natus monſtra, dum caveo, feror.
BAR. Impunè an autem & iſta! pœnarum dedit
Plus ſatis uterque. tota contremuit domus
Nutante menſâ. fœda fluitavit cruor
Per labra, in ipſo gutture auditus queri
Ac murmurare. pars ciborum dentibus
Lenta ſtupefactis hæſit, intrudi negans:
Pars jam recepta ventre, luctando exitum
Quæſivit. umbras intus ululanteis pater
Senſiſſe fertur, unde captivi obſtrepunt!
Ignota rabies fodit ungue viſcera.
Quin & trementes Dii refugerunt locum
Epuli cruenti. triſte concutiens caput
Sol hàc & illac pòſt in Ortum devias
Equis recurrens flexit averſis rotas:
Secúmque pulſum rapuit ex Mundo diem.
Adhuc aranteis nec fatigatos boves
Tenebræ obruerunt. noctis inopinæ pavor
Invaſit horas lucis abrupta via.
Verſumque tempus prandii in cœnam fuit.
Prodigia ſint hæc horrida, atque adeò ſuis
Æquata noxis: non & idcircò rea
Nocenſque ſola eſt Pelopis obſcœni domus.
Vincit Mycenas Maſpha. AOD. Maſpha flebileis
Vincit Mycenas! BAG. Imputes ibi omnia
Diris, & hoſti mentis exſorti. furor.
Laceravit artus. hic ſereno de die,
Dum conſtat animus, ménſque, patrantur neces,
Amor enſe ſævus inter atroceis ferit
Gemitus amatam, lacryma ferientis cadit;
Et adhuc ſtat humeris dulce feriendum caput.
Procul ira & odium. nihil in occulto latet.
Palàm doletur. ipſe delinquens ſuum
Plangore facinus damnat; ac diſcors ſibi
Scelus illud odit, quod tamen ſciens facit.
Sacrum hoc vocatur. nunquid Hercæo Iovi
Nos paria vota reddimus ſumptu pari;
AR. Ariphan, aſſo, contines lentam manum!

Tot probra ſentis ingeri,& gladium geris?
BAR. Miri profectò ſunt Apellæ aruſpices.
Rimantur exta virginum,hinc præſagiunt.
Spargam per Orbem viſa:vulgabo nefas.
AR. Niſi properè inſecutus anticipem viam;
Et amputatis pedibus affigam loco;
Linguæque fibris erutis radicitus
Silere cogam. Túne ſecurus mei,
Calumnieris liberè Hebræum genus!
Corripuit Auſtris ocyor turpem fugam.
Qualis Lyæo fertur inſano procul
Stimulata Thyas in Cithæronis jugum
Ceu rapidus ignis;quamque ter circùm caput
Reducta glandem funda Balearis jacit.
Me verò miſerum! ſemper obtundi malis!
Vri moleſta ſemper ignorantia!
Fortuna lacerum rete vixdum cœperat
Reficere:mugil grandis adverſum ruens
Pejore plagâ rumpit,ac medium ſecat.
Quis pepulit aures vocis abſurdæ ſonus?
Maſphæ immolari virgines! hoc barbaros,
Hoc ſcire & illos,qui lutum,calcem,feras,
Lapides adorant.mille qui colunt Deos!
Et nullum & omneis! fallit impurus Geta:
Fallit Procruſtes iſte.cur habeam fidem
Scurræ irreſecto? finge,vera farier.
Non jure demum cuncta flammis miſceat
Rediturus Ammon.redeat armatus,licèt,
Totóque civem & tecta Vulcano obruat.
At enim triumphi ſigna funeſti noto.
Palmæ revulſa fronde languentes jacent.
Lacerata calco ſerta.fractorum cruor
Hinc inde ſparſus ſignat armorum vias.
Tabulis ſolutum pegma turbatis ruit.
Siletur.ipſe ſpirat horrorem locus.
Tecum quid altercaris ipſe?non opus
Eſt lite longâ protinus Maſpham ſubi.
Capiant ut aures multa,plus oculi vident.
In rem fideli teſte præſentem veni.
Tentemus.eia,frontem & ora exporrige.

Ff Quid

Quid hoc? recuſant ferre titubantes pedes!
Corpus vacillat. poplitum nervi rigent.
Vrgebo paſſum vel reluctantem ſequi.
Superi quid iſtud! crura propelli negant.
Intrare quoties cupio, decreſcit vigor:
Attonitus hæret truncus immoto gradu.
Quoties recedo; pes ad officium redit.
Séque expedita glomerat in veſtigia.
Vel ſic eatur. frigidos ſalſus fluit
Sudor per artus. aliquid eſt in limine,
Quo faſcinamur. ſiſte: defoſſum heîc nefas,
Polluta terra eſt. retrahe ſtupefactum pedem.
Retrahe immò verba, tunc pollutum voces
Sponſæ cubile; tótque dilectam tibi
Nòminibus Aulam! hæc terra Menulemam capit:
Hæc nutrit illam. O noſtra, confeſſo probrum
Ignoſce. redimam. en, figo terrræ huic oſculum.

Solare tuas carmine curas.
Defeſſa malis pectora mulce:
Et dejectas collige vires.
Sortis dulce eſt meminiſſe gravis.
Non eſſe malum puto, ferre mala:
Non velle, puto, mala ferre, malum eſt.
Poſt exactos mille labores,
Vincula, clathros, æquora, peſtem,
Placeat feſſo jucunda quies.
Sed cur nolens trepido, trepido?
Quænam eſt tanti cauſſa tremoris?
Cur invitis cadit ex oculis
Lubricus humor?
Quid me infelix cura laceſſis?
Sine non meritos pellere luctus.
Doleat ſceleris reus occulti.
Mens ſibi ridet conſcia recti.

Fugiunt toto nubila cœlo.
Fugit mœror, fugítque pavor.
Nova lætitiæ vena coruſcat,
Ictóſque ſalit fuſa per artus.
Libet attritas ponere veſtes,
Et coccineum ſumere pannum.

Libet

Libet & crines ungere coſto.
Mixtus balano fragret amomus.
Impare ſurgant lumine tædæ.
Sentio ſtimulos, quos ſubdit amor,
Et in amplexus, Menulema, tuos
Lenè reclinat. Tu ſola meo
Frigus in æſtu, frigore flamma,
Miſces gemino munere vitam.
Inſtrepuit illic cardo. compoſito gradu
Noſter Baraeus, ecce, prodit hic meos
Abſolvere unus & metus & ſpes poteſt.
Meditatur aliquid. mente collecta prope
Abeſt ab homine, qui negotiis vacat.
Fortè ex ſenatu fronte non læta redit.
Ego arbitrabor tacitus eventum rei.

SCENA IV.

Flebilem Ieptai Sacrificii Cataſtrophen, Ariphanaſſo tandem clarius audit exponi.

Baracus. Ariphanaſſo.

BAR. Conſili prudens, animique ſolers,
Percitas motu ſtimulante fibras,
Semper attentâ moderare cura:
Ne vel in Ponto, vel in Axe præceps
Excidas magnis miſerandus auſis.
Digna laus ſemper Mediocritatis
Limites intra ſtetit atque fineis.
Quidquid eſt extra, vitium vocetur.
Impetus diſcant celeres morari:
Séque feſtinans mora carpat intrà
Tuta cancellos properata rarò
Ferre ſucceſſum, nimis experimur,
Credite Vati.
AR. Oraculum cœleſte: Delphis verius.
BAR. Omnis affectus violens ab æquo
Trudit in pejus ſimul occupavit
Pectus, everſa dominatur arce.
Vtque perſultans equa trima campum

Excutit ſpreto domitore frenos.
Sævit in primis timor in timentem.
Sæpe Mortaleis miſeros in enſem
Mittit & flammas, adigitque cœlum
Omne, quàm latè patet, invocare.
Poſtibus ſacris tabulæ voventur
Ritè figendæ, numeroſus ordo,
Salſa quas ſpargat mola, victimarum.
Mugiant illæ, modò non loquantur:
Nec ſciant ferrum ſibi præparari:
Et popæ diſtent ferientis ori,
Impare forma.
AR. Primus marinas Tiphys invenit rates:
Timor marinos primus invenit Deos.
Abſque hoc carerent capite cærulei bovis.
BAR. Nomen infelix ovis, aut juvencæ.
Vlla de noſtris recipit puella!
Taurus ignorans ruit in ſecurim,
Et ſtupens mortem mediam lucratur.
Hoſtiam duco magis eſſe flendam:
Quæ, quid acturus, quid agat ſacerdos,
Ante ſpectatos oculata cultros
Novit; & Leti meminiſſe debet.
Certus ad cenſum dolor ac futuri
Præſcius Fati duplicatur ictus.
Eſt adeps nullis adolendus Aris,
Quem ſuo nutrix adolentis uxor
Lacte promovit. pretioſa res eſt
Sanguis humanus, neque venit auro,
Qualis armenti cruor in macello.
Sufficit fundi toties ab hoſte:
Cùm minax ſævum movet ira bellum.
Pace cur fuſus chlamydémque & ora
Tingit amantis?
AR. Agit ſiticinem cui parenter, audiam.
BAR. Proinde conſulta ratione libra;
Si voles quidquam ſtatuiſſe magni
Teſtibus Divis, & habere pondus.
Quod ſemel verò placuit ſtatutum:
Protinus totis retine lacertis:

Sítque,

Digitized by Google

Sitque, quod nunc eſt, anima in medullis:
Et locum vitæ teneat ſecundum.
Pacta plectuntur temerata nulli
Non ſtetit magno violâſſe fœdus.
Vltor à tergo premit infidelem.
Avolat verbum ſemel ore fuſum
Septa trans linguæ; neque ſcit reverti.
Si tamen vireis aliquando Voti
Mente ſortitur, manet, ac doloſum
Damnat auctorem comitante pœnâ.
Vt tibi fluxum videatur inſtar
Amnis, in plumbo ſolidóque ſcripſit
Marmore Numen.
AR. Cautè eſt agendum facilis ire in fœdera
Aut vota, manibus antè verbenam premat.
BAR. Quid Galatino nocuit Dynaſtæ
Quàm repentinus nimiúmque præceps
Ardor in Votum! temerè anne ritè
Editum, juxta eſt quia non licebat
Oris ad primam revocare metam;
Illud inſontis jugulus piavit.
Qui dedit cauſſam truculentius hoſtis,
Expiaturus fuerat nocenti.
Sanctiùs Ammon.
AR Hîc, fateor, anceps animus hæret. neſcio
Quò longa ſeries flectat has ſententias.
BAR. Hinc fluunt illæ lacrymæ, fluéntque:
Donec areſcat nive paſtus Arnon;
Séque Iordanes iterum revolvat
In caput retrò, ſtatuátque montem.
Victor optaret modò victus eſſe.
Nomen amiſit patris in triumpho.
Gaudium triſtes pepulere Diræ,
Plangor infregit ſonitus tubarum.
Publici fletu maduere plauſus.
Funebris laurum violavit herba.
Miles erectis animoſus armis
Ocyus vultu referente luctum
Traxit inverſas quaſi victus haſtas.
Scuta turpavit radiata pulvis.

Digitized by Google

Lætiùs criſtæ fluitare viſæ,
Caſſidis ſummo cecidere cono.
AR. At turbulentas hic quidem exequias canit.
BA. Quiſquis exſultas, reperiſque curru
Gloriæ plenus per acuta belli.
Martis alternos meditare caſus.
Mobilis ſors eſt: ſolitúmque ludum
Ludit in noſtris Dea cæca terris.
Dum pares veſpæ quatit inquieta
Lubrico volui ſuper orbe pennas;
Et levi fallit populos volatu.
Cuncta miſcentur, nihil eſt perenne.
Rebus adverſis inopina turbant:
Anxios reddunt eadem ſecundis.
Vita ſe certis vicibus per omneis
Verſat incertùm varianda partes.
Hunc diem mœſta ſine nube purum,
Blandiùs fulgens dabit ire Phœbus:
Craſtinum ventis pluviáque turpi
Condet obſcurum nebuloſa Pleias.
Nemo ſpe. longas ſibi pollicentis
Nutriat vanos animi tumores.
Ventus inflatos violentus utres
Solvit aut rumpit. minimum eſt, quod alta
Sternit ad ima.
Ille felicis titulum meretur:
Qui per immenſi ſpacioſa ponti
Terga, formidat Zephyro faventi
Credere: & veli modicam phaſelum
Alligat ripæ propioris unco:
Majus in nomen ſpatiumque euntis
Littoris oſor.
AR. Atqui iſta, quantæcunque ſint, hodie mihi
Eruere certum eſt. præloqui viro placet.
Barace: quòd te nominem, affectus facit.
Adhuc amici veteris agnoſcis notas?
Redux Ariphanaſſo ſe ſiſtit tibi.
BAR. Viviſne noſter, dicte toties mortuus!
AR. Peregrina ne te læna turbet, hoſtibus
Erepta præda. Varia me per caſuum

Vides

Vides relatum. Tu, quod ex vultu patet,
Confuſa mentis ſigna ſollicitæ geris.
Exprome cauſſas, BAR. Aliquid infauſtum petis,
AR. Quos antè dudum, quóſque nunc patior metus,
Quæque ipſe celas Fata, ſolve: ſi minùs;
Imple. paravit non inexpertum tuis
Fortuna curis aſperos caſus tuli.
BAR. Memorare ſuades, quæ cohorreſcens metu
Audire nolis. AR. Delicato te loqui!
BAR. Tacere quædam mos jubet, ſapiens ſolet.
AR Crucias tegendo quæ ſciam, levius feram.
Effare tandem quæſo, quodcunque eſt malum.
BAR. Si te juvant funeſta! AR. Ne parce auribus.
Occalluerunt. malo ſcire fortiter,
Quàm turpiter neſcire miſeriam meam.
BAR. Conſcende Maſpham. tota lamentis ſonat.
AR. Hoc miror ipſum. progredi ſemper vetor.
Portas ter aditu tento ter repulit pedem
Inviſus horror. quid retardat? obſecro.
BAR. Plangunt puellæ cinere conſperſæ comas.
Plangit juventus, ſpéſque fraudatas gemit:
Feriuntque mœſtæ ſumma matres ſidera.
AR. Quæ cauſſa planctûs hujus? explanes, rogo.
BAR. Indigna cædes. AR. Expietur legibus.
Nondumne corvi eſca de furca datus
Volucres replevit improbos putri inguine,
Oculiſque foſſis? dignus haut quavis ave;
Sed habente roſtrum, quale defixum ſedet
In jecore Titii. quem novem per jugera
Porrectum aduncus vultur in fibris arat
Semper renatis. Nondum ab alto culmine
Diſiectus oſſa fregit? Ixion vacet,
Et Siſyphi molaris in rotas eat,
Lapidúmque nimbos, qui triumphum polluit.
Mergatur undis: pabulum fiat feris.
Luſtretur igni crimen; & piaculum
Qui grande fecit, fiat. alioqui Deo
Vltore, ſonteis pœna vos omneis manet.
Redibit Ammon. languidæ ceſſant manus!
Quid ingemiſcis? BAR. Vulnus attrectas tuum.

BAR. Seria, cruenta, vera memoravi nimis.
AR. Aſtra in bitumen verſa liquefactum globis
Obruite terram cædis hujus conſciam.
Tonent ab omni parte flagrantes Poli.
Præter malignam nulla vitalis facem
Luſtret Manaſſen flamma. ſolis ſplendeat
Fulminibus æther, grando, & ignivomæ trabes,
Piceáque nube devoluta me priùs,
Per méque Iephten ſaxa carnificem petant.
BAR. Potuiſſe fieri, facta quæ vidi tamen,
Et miror, & vel ipſe vix credo mihi.
AR. Quis me relicto ventus infami ſolo,
Ad inhoſpitales potiùs Heniochos ferat!
Aut ubi culina corpus humanum coquens
Pelopeia fumat: atque convivas ferus
Conviva mandit! Atreum nocentior
Facit innocentem. Nunc potens Ammon redi,
Optate nunc & juſtè, ſed vindex redi,
Involve Maſpham cædibus. non ſexui.
Parcatur ulli. poſt puellam principem
Sic interemptam, nullius nec nubilis
Me miſeret ultra. cuncta depopulans volet
Vbique flamma, primus à Iephtæ domo
Incipiat ignis. BAR. Quin priùs ſummam accipis?
AR. Vbi ſumus? in qua parte Mundi? quo ſitu?
An non Bootos frigore extremo premit?
An calida torret ſole nigranteis plaga?
Cur me remiſit debitum Fatis mare?
Decumanus ô ſi fluctus abſorptum vado
Merſiſſet imo, Nereum evaſi trucem:
Tolerarem ut iſta! carcerem effregi manu:
Perferrem ut iſta! Pharia ſprevi numina,
Viderem ut iſta! ſiſtra projeci Iſidis,
Audirem ut iſta! jam recordor, hoc erat,
Quod exprobravit barbarus, viſus furens;
Quod puduit aliquem voce manifeſta eloqui.
Ego Thrax obeſæ naris, aſper, barbarus,
Ego Scytha mente captus abrupta fui.
Hoc lapſa rigido membra tremefecit gelu.
Nos, non videmur furere. Iephte turpius.

Vnde hauſta labes? vnde vertigo caput?
Tinctum rubeta poculum immiſſa bibit?
An quod novercæ virus Æmoniæ coquunt?
BAR. Vllo veneno vim ſibi factam negat.
Natam ut ſaluti devoveret civium,
Super incubantis ſenſit afflatum Dei.
Sic memorat. AR. Et ſic fallit. audimus fidem
Habitura nullam. trucibus hæc Thebis cane.
Innocua colſo pignora obtorto trahi
Ad ignem & enſes! aliquis hoc factum probat!
BAR. Probat ipſe. AR. Sed quis præter ipſũ? BAR. ſpiritu
Pleni ſonante, & enthei. AR. Muti canes,
Latrare timidi, quóſque paraſitos fovet
Ducum ſuperbus error, ac pingueis dolo
Aliena paſcit olla furtiva dape.
Verbo: efferavit pipere boletus virum.
Tumultuosè cuncta. BAR. Præcipiti nihil
Turbine peractum: ſpatia conſiliis data:
Deliberatum eſt: tempus incertum fuit
Dilata cædes. dum reſideret pavor:
Vtriuſque Fatum dum probaretur morâ:
An ipſe poſſet imperare huic funeri;
Oppetere an ipſa vellet: interea ſuos
Bis Trivia torſit, orbe completó, boves.
AR. Deferbuiſſe potuit iſto tempore.
Seu militaris furia ſubjecit faces;
Seu pia ſubegit vel ſuperſtitio impia:
Debuerat evaneſcere excæcans vapor.
BAR. Hinc cura triſtis atque tabificus dolor,
Amor inde Natæ (& talis!) ancipitem diu
Verſabat animum. ſuaſit aliud inſita
Viſceribus ipſis, perque latebras ac ſinus
Natura penetrans: aliud icti fœderis
Teſtis Deus, votique violandi metus.
Hic pepulit hominem denique; hic vicit Patrem,
Penituſque ſtravit. arbor alti ut ſtemmatis,
Securis ictu tota nondum ſaucia
In utramque partem nutat; & firmat pedem
Durante trunco donec in læſum latus
Incubuit Eurus fracta tum demum cadit;

Iuvenem-

Digitized by Google

Iuvenémque eodem proruit ſecum loco.
Nondum illa largis explicanda ſolibus,
Saturata trudens folia, minuebat diem.
AR. Quid ad iſta Mater? BAR. Illa, comperto, necem
Gnatæ parari, jamque ſuccingi ſtolam,
Furibunda primum, qualis è Naxo ruit
Niſæque monte Mænas, inſanum Euoe
Clamans, & Evan, téque florens Baſſareu,
Quatiens amiſtam vellere albo perticam,
Deformè ſævit. Turbido queſtu forum
Clamoſa replet: rapitur iteratò domum
Convulſa crineis, foribus impacto ubere,
Certamen ingens cum viro mulier gerit.
Mea quoque Nata eſt. ſi rapis partem tuam;
Aliena ſalva maneat. ex æquo nequis
Dividere; maneat integra: & maneat, precor,
Vtriuſque tota. Quid ſiles? en, accido
Ad genua ſupplex. per dati iura annuli,
Primamque noctem & pacta genialis tori,
Perque omne dulce, quod tibi de me fuit;
Aut eſſe, Iephte, potuit, aut deinceps erit;
Miſerere. ſic locuta blanditias ſinu,
Oculis, amore, fletu & amplexu movet.
Mox redit in iram, ſpumat, igneſcit: ſolum
Pede pulſat amens, rurſus admovit preces.
Precibuſque vota miſcuit, votis minas.
Quid agis marite? vera ſi pietas placet;
Primum in tuos pius eſto ſi placet ſcelus;
Oſtende manus, adige ferrum, qua potes.
Matrem adde Natæ. media me me interſero.
Hunc ante, perque hunc Filiam Coniux feri.
Vterumque monſtrat dumque monſtrat, labitur
Semianima, pallens, tremula. AR. Non gemitum dedit?
Non torſit ora? non remiſit impetum
Maritus? omneis flectit extremus dolor.
BAR. Euboica qualis pila vaſti fluctibus
Oppoſita ponti; quanquam & Eurus & Notus
Boreaſque contra bella diſruptis fremant
Agitata clauſtris: hinc procelloſum mare
Inſultet atque hinc, ſaxeum tundens latus;

Imago mentem triſte ſimulacrum intimos
Pervadit animæ, fulguris jactu, ſinus.
Sed inertis eſt parumque conſtantis viri,
Audire mala non poſſe, quæ Virgo tulit.
Proſequere. vultus ipſa velavit ſuos,
An aliqua peplo texit ex notis comes?
BAR. At non inani nube ſuſtinuit tegi,
Videam ſupremum, libero cœlo fruar:
Non patior, inquit, *ut pudori ſit pati,*
Spectetur enſis, & mori me ſentiam,
AR. Non horruiſtis? BAR. ſola conſtitit ſibi.
Vibrare carptim venæ & artus omnium.
Ipſæ applicatâ palpebræ occludi manu.
AR. Crudelis iſto ſed quid articulo Pater?
BAR. Paullùm morari lacrymis: mox æthera,
Tum ſeque miſerum, noſque reſpectans miſer:
Gemitumque fundo cordis ex imo trahens,
Librare gladii pondus, ac capulum priùs
Exoſculari. denique, ut certùm locum
Signavit oculis; GENITOR uno FILIAE
Dejecit ictu verticem. truncus cadit.
AR. Cadite & cupreſſi, quotquot in Libano nemus
Habitatis altum, cadite ſublimes cedri.
Cecidit cupreſſo pulcrior, cedro altior.
BAR. Deſecta cum procideret, antrorſum ruens
Partes tegendas tum quoque admota manu
Operire ſtuduit, ac recompoſuit togam.
Vſque adeò honeſtas corporis curæ fuit.
AR. Abſiſte. toto ſpiritum corde extrahis.
BAR. Cervicis ictæ fuſus emicuit cruor,
Vt rutila preſſi ſpuma prorumpit croci.
Nec ſecius quàm lympha, quæ tacitè meat
Intra canales: ſubter ingenti ſpecu
Sicubi foramen reperit, indignans tegi;
Incluſus amnis reſonat, ac totidem locis
Vivax in auras, ære perfoſſo, ſalit.
AR. Lugete Nymphæ: lugeat florum Dea.
Sic durus unguis nitida pratorum metit:
Virideis odora germina inclinant comas.
BAR. Reſperſit Aram ſanguis, huc primum fluens;

Digitized by Google

Poſt & Parentem. AR. pœna ſit culpæ comes.
Hoc teſte factus Genitor eſt lictor nocens.
Quodcunque facinus quærit auctorem ſuum.
Satura tyranne carnibus fauces tuas:
Satura tuo cruore. BAR. Sublatum Caput
Venerans rigansque, mille fotum ſuaviis
Appreſſit ori, ſuſtulitque ad æthera.
AR. Hoc laudo tandem. ſic mihi Iephte places.
Non es tyrannus jam videris innocens.
BAR. Nec mora: cremandum traditur funus rogo.
AR. Spectante patre? BAR. Et admovente victimam.
AR. Tyranne! ſævis etiam in extinctam! furis
Etiam in cadaver! BAR. Ipſe ad aram conſtitit.
Ipſe eſt ſacerdos. ipſe per ritus facit.
AR. Inſanus ipſe eſt BAR. Ipſe componit pyram.
Flatu tepenteis ipſe prunas ventilat.
Ipſe involutum corpus in flammas jacit.
AR. Crudelis, execrande, deteſtabilis.
Furore toto, viribus totis ſuos
Catulos tuentur Africæ immanes feræ.
Homo ſecat, urit quodque generavit, cremat.
BAR. Addit corollas: addit & ceſton ſuper.
Superque ceſton ſpargit ex nardo graveis
Myrrhaque prima lacrymas: etiam ſuas,
AR. Miſerande Iephte! *lacrymas! etiam ſuas!*
Dat quondam & ignis ſigna, ſi Superis placet
Pacale Sacrum. fare, quem tenuit modum?
Dextra anne læva parte conum ſuſtulit?
BAR. Dextra; neque illum ſordido fluctu gravem
Sed luculentum. AR. Nil ſiniſtri nuncias!
Ardente certus limes in ſulco ſtetit;
An diffidentem turbo divertit pyram?
BAR. Placido per artus flamma complexu, quaſi
Lambens cucurrit. AR. Hoc quoque omen proſperũ eſt.
BAR. Fragravit uncto fuſus in ſaxo cruor:
Quidamque nidor gratus ac nareis ciens
Afflavit omneis. AR. Qualis & Abelis fuit.
Crepitante buſto clarus effulſit color:
An nube miſta dubius & turpis rotans
Fumi volumen. BAR. clarus effulſit color.

De

De crine cæſæ Virginis candens apex
Puram nitore lucis effudit jubam.
AR. Nulla ergo prorſus nebula viſa ſerpere?
BAR. Nulla, niſi qualem Luna vaneſcens habet;
Vel habere credas. AR. Tot quidem monſtra audiens
Pænè ipſe monſtrum fio. nam quid aſſeram?
Iephtæ cruentum facinus abſolvit Deus.
Votiva fauſti bella ſucceſſus probant.
Sed damnat horror aurium, & novitas atrox.
Nam quando votis legitur Hebræis homo
Impenſus; aut combuſta virgo vicem rubræ
Suppléſſe vaccæ! Plura ſcitari libet,
Totum cadaver arſit, an partem cadens
Favilla fugit? BAR. Mater optabat quidem
Sollicita, ſaltem capite detonſo, comam
Servare in auro, Filiæ pignus ſuæ:
Supra capillos, Niſe, pretioſum tuos,
At hæc negare: ſeque devotam Deo,
(Quantum liceret Nazaræos feminæ
Subæmulari) proinde totum cauſtico
Corpus cremandum ritè deberi Sacro:
Nil ſubtrahendum; nilque ſubtractum fuit.
Conſumpta tota eſt. reſtat exiguus cinis.
AR. Ex hac puella reſtat exiguus cinis!
Truculento Genitor. vivere etiam nunc poteſ!
BAR. Altè dolorem condit; ac gemitum premens
Mala contumaci fortiter vultu domat.
Dat jura populo. digerit cauſſas Fori,
Auditque. nulla cæde perfunctum putes.
AR. Quid verò Genitrix? BAR. Plorat implacabile.
AR. Hæc vera Mater: nomine indignus ſuo
Pater, Sicano cæſus ex ſcopulo fuit.
BAR. Æſtuat amaro corde veſanus dolor.
Velut ad Niphaten orba fætu bellua;
Vix deeſſe catulum notat, & atris incipit
Horrere maculis; tam ſuis, quàm non ſuis,
Adeò furenti in tigride variatur tigris.
Ac, quia rapinam (quippe raptor jam procul)
Vtcunque curſu certet, ulciſci nequit:
Incuſat antrum, nemora, monteis: ſe quoque.

Si mulier ulla debet in ſtatuam ſalis
Converſa credi, nec fides dictis abeſt:
Fons iſta flendi fiet uſu. flet tuo
Squallore Bybli triſtior, Canace tuo,
Veſtes, cubile, torus, pavimentum natant.
Hoc miſera ſucco vivit: his fruitur malis.
Quoties in illam fertur abſentem, ſui
Oblita! quoties ſola Menulemam vocat!
Menulema nulla eſt, clamor in ventos abit.
AR. Quis planctus oritur? audio Leſſum cani.
BAR. Illic Sodales Mortuæ exequias agunt.
AR. Sonus appropinquat clarior, triſtes modi!
Ferale carmen. BAR. fertur ex vacua cinis
Collectus ara. pondus, heu, nimium leve.
Flentes puellæ crine demiſſo gemunt,
Modicumque funus viva ducunt funera.
Tua, ecce portant vota. Totum hoc ex tua
Supereſſe Sponſa cernis. Hoc ſolum eſt tuum.
I, quidquid ignis halat extremi, rape.

SCENA ULT.

Chorus Virginum, Sodalium Menulemæ, *immolatam Iephtiaden plangentium.*

Rachel, Thamar, cum Choro cæt.
Virg Ariphanaſſo.

RACH. Occidit triſti MENULEMA Fato:
Morte crudeli, nece ſingulari.
Matribus flenda, patribus pudendâ.
Liberis certè nimium tremendâ.
Occidit ruptâ, neque ſic vocante
Lege Parcarum. periit Virago,
Cæſa funeſti gladio parentis
CH. Nullus Genitor ſic exegit
Debita vitæ reddenda ſibi.
Filia nunquam reddidit ulla
Pietate pari.
RACH. Tantum ex toto funere reſtat.

Hac

Digitized by Google

Hac in phialâ Iephtias illa,
Et tota quidem concluſa jacet.
THAM. Aperi loculum forte minorem.
Liceat caras in relliquias
Fundere rorem, liceat tenui
Saltem viſu libare, Soror,
Vltima celebris munera buſti,
Figite centum baſia labro.
Oſcula gemmæ figite mille.
RACH. Bibuli cineres, bibite has lacrymas.
Rabies magni ſicca doloris
Strangulat intus. facite officium
Oculi veſtrum: gemituque foras
Inteſtinum mittite luctum.
Triſtis flendi ſit cauſſa, licet,
Quædam tamen eſt flere voluptas.
AR. Tu verò ſiccis ſtas adhuc pumex genis,
Ariphanaſſo! flere quem decuit priùs,
Et ferre primas, ultimus nondum gemit!
Vides, ut iſtæ ſaxa rumpant queſtibus:
Tu ſaxa geſtas pectore, & non rumperis!
Nimio tumultu contumax facies riget.
Conare ſaltem elicere vel guttam ſalis.
Sale macerato ſparge tabenteis genas.
Tua MENULEMA mortua in cinerem jacet.
Superadde & alium. Te cremandum, te quoque
Immitte flammis. igne comburi times?
Affunde lymphas, nondum in Oceano natas?
Nondum rigaris! juſta ſemper eſt dolor
Menſura amoris. Quod potes, quod non potes,
Oſtende. frontis æneæ cœlum cava
Perrumpe dextrâ. lacryma vel tandem cadens
Amâſſe te teſtetur ereptam tibi.
Heu, ſicca verba nullus imber excipit!
Obdurui, ceu monte concretus lapis.
Eſt, quando fletum nimius includit ſtupor:
Vt ſæpe pluviam nimius avertit calor.
Contende nervos, qui madent cryſtallino
Humore: per quos pectus ardens liquitur.
Incumbe in undas: perque ſiphones aquam

Educe

Digitized by Google

Educe vivos; quanta derivarier
In teſqua vultûs hujus ex oculis poteſt.
Hanc faciem, & iſtud ſterilis Ægypti ſolum
Præcordiorum fonte fœcundet liquor:
Superque caput hoc capitis ignoti ruat
Septena Flumen ora demergens mari.
Iam denique Auſter madidus in frontem ſuas
Excuſſit alas. humor optatus fluit.
Iam fletus adeſt. *Satiare malis,*
Sponſe infelix: ô luctificis
Debite Fatis. Quiſquis plorat,
Ne ſibi male ſit, plorare bene
Studet, & cauſſæ favet ipſe ſuæ.
Lacrymæ proprium ſolamen habent,
Vtque aqua gyros percuſſa facit;
Spargi & mæror gaudet in orbeis.
Quibus expletis ſe diviſum
Minui ſentit: quoties tremulus,
Corde quieto vanuit icta
Annulus unda.
RACH. Animi fluctum pupilla levat,
Antlia qualis nautica cymbam.
Fremat in fundo pectoris angor;
Pelagoque pares ſuſcitet æſtus:
Luctus ab oculo ſpumans reſilit,
Velut ad ſcopulum fracta procella.
Simul hoc nimbo maduere genæ;
Iam tempeſtas lenè reſidens
Mediam partem reddidit Auſtris.
AR. Qui parcit lacrymis Menulema immanè perempta
Sævior eſt trimam frangente leone juvencam,
Matris inexperto lambentis turpior urſo:
Horridior ſetis apri currentis in haſtam:
Panthera maculis vulpiſque doloſior aſtu.
Iracundior in pſyllum ſurgente ceraſta:
Nequior alta lupis ad ovilia ſtantibus albis:
Zelotypi in campis furioſior impete tauri:
Deterior rictu voces ſimulantis hyena:
Dirior & barris ſubjecto ſanguine viſo
Fœdior ad Scyllæ latrantibus inguina monſtris:

Ira

Irrequietior infami rabidaque Charybdi.
Flete Galadinæ Menulemam fletæ puellæ.
RACH. Fidæ comites, flere jubemur.
Laxet madidas luctus habenas.
Fluat in veſtes imber obortus
Implete ſinum. CH. Tibi lamenta,
Has tibi lacrymas, Menulema, damus.
TH. Non tu DAPHNE florida Virgo:
Peneus ubi Theſſala flavas
Spumoſus aquas voluit in arva:
Cùm Leucadiæ dilecta Deo
Sua ſentiret pede terga premi;
Fugiens juvenem luſit amantem,
In frondifluam verſa figuram.
Fieri Nymphe maluit arbos;
Quàm ſervato corpore læſo
Veteris formæ retinere notas,
Et Virgineam perdere Zonam.
Ergo Æmoniis quamquam periit
Innuba campis; major ab ipſo
Funere Daphne, vivit in omni
Mortua lauro, creſcit in hortis,
Regnat in Aulis: & læta Ducum
Feſtis cingens tempora ramis.
Caſtra coronat.
CH. Vtinam ſaltem ſimili Fato
Mutata fores, retinens virideis
Menulema comas. addita ſertis
Caput ambires mille ſororum.
Cinis exiguа pyxide cluſus
Heic tota jaces, ah! quid foliis
Te fraudatam querimur lauri?
Non tamen imples tantilla locum:
Cujus figi tumulo poſſit
Mœſta cupreſſus.
AR. Qui ſuper hoc Fato nulla pietate movetur,
Durior eſt armis Sicula fornace recoctis:
Surdior & ſcopulis, pulſoque ad littora ponto:
Formidabilior vibrati fulminis ala.
Tetrior imbrifera de nube cadentibus hœdis:

Ejaculante procul ſaxa impacatior Ætna:
Grandinis aſperior ſternente mapalia nimbo.
Frigidior Bruma, verna inconſtantior aura:
Trudente antiquam glaciem violentior Hebro.
Cum furit Orion, maris inclementior æſtu:
Acrior hyberno ſtridentis flamine Cauri.
Omnibus Æolis turbis inſanior antri.
Flete Galadinæ Menulemam flete puellæ.
TH. Mora nulla. dolor noſter abundat,
Lacrymaſque ſuo pondere juſtas
Habet in promptu. fundite Nymphæ.
CH. Reſonas gemitu tundimus auras.
Tibi nuda gravi feriunt ictu
Pectora palmæ.
RACH Æsoni feſſo vetuloque fulſit
Lætior ſors hæc: ut inquioreis
Poſſet annorum replicare rugas.
Adfuit Colchis malè nota virgo:
Enſe quæ collum ſoceri recluſit.
Putris egeſtâ ſanie cruoris,
Membra compleſcuntur meliore ſucco.
Vena criſpato ſalit icta pulſu:
Vnde & obliqui tremuêre rami.
Surgit ex trunco tumulos olente
Corpus arrectum. juvenilis Æſon
Ridet exſultans, poſitiſque canis,
In coma & vultu nova vernat Ætas.
Scilicet tantas habuere vireis
Carnem, & notæ regionis herbæ,
Munus ingrato dedit hoc marito
Barbara Conjux.
CHOR. Tale nos auſæ nihil innocentem
Sed nec auſuræ ſumus in Puellam.
Flamma quam totam ſacra devoravit.
Integrum forſan poterat cadaver
Imbui vita, Superiſque reddi.
Orpheo qualis rediiſſe conjux
Viſa, ſed tantum rediiſſe viſa eſt,
Plus nec evicit Citharœdus arte.
Noſtra apud ſurdos Menulema Maneis
Quam-

Quamlibet multas feriamus odas;
Verſa in arenteis penitus favillas
Quando redibit? RACH. Flevimus omnes:
AR. Qui ſicco ſpectare poteſt hoc lumine Funus;
Vipereo galli prolapſo immitior ovo eſt:
Deteſtabilior floreis perimente pruina:
Meſſe ſub aſtiva madidis ingratior auſtris:
Culta per abrupto torrente rapacior arva:
Crudior ad Lethen natis radicibus alga:
Triſtior autumno Sodomitica poma ferente:
Caule venenato taxoque nocentior atra:
Vilior & vicia, calamique agreſtis avena:
Depaſcente putres cancro immanſuetior artus:
Sontibus urticis inamabiliorque cicuta.
Palmitis ex ſpina naſcentis acerbior uva:
Felle, ſoporiferaque dracinis amarior offa.
Oſsibus & calvis, ſtygiaque inamœnior umbra.
Flete Galadinæ Menulemam flete puellæ.
TH. Non tu PHOENIX novus exſtincto
Sibi ſuccedens; functus & heres;
Pater & gnatus morte renatus.
Ille ſenili tardante gelu
Hebetes alas; fragiles Cilicum
Libros nido colligit uno:
Medios inter turis honores;
Et ſicca ſedens cinnama, notam
Titanis opem poſcit alumnus,
Secula paſſus: jam paſſurus
Grave diſcrimen lucis & umbræ.
Radios poſtquam bibit ætherios;
Fulgure jacto totus in ignem
Inſilit ardens, vapiduſque ſuo
Inſtat agoni. Mox & ab igne
Procedit ovans lepidoque modo
Redivivus adeſt: utile damnum,
Geminata ſibi Fata lucratus;
Ne diſpereat, dum ſponte perit.
Volucri fervens ſanguine pruna.
Quique ſepulcrum nidus olebat.
In cunarum vertitur uſum.

Clangit

Clangit ſubitò partus, & aſtrum
Geniale vocat; neque Materno
Eget ad vitæ munia niſu.
Se patre ferox, ſe matre potens
Ventris & ovi ſupplere vices.
Quoties genitor, toties genitus:
Idem pullus, pullique nepos
Durat in ævum:
Semper eundem ſimilemque ſui
Certa ſequeſtro fœdere flamma.
Sic natura dante, remittit.
Ita perpetuis vicibus ludit
Impunè Deas fila ſecanteis:
Et ab occaſu tendit in ortum.
More Heſperii Solis anhelos
Gurgite Eoo revehentis equos.
RACH Tu quoque ſacro combuſta rogo,
Fulta Sabææ meſſis acervo,
Et odoriferis dignior herbis;
Hujus in auras avis exemplo
Mereare tibi Virgo renaſci.
Ah! Cur teneris tale puellis
Invida donum Natura negat!
Siccine nobis dura noverca eſt!
CH. Flevimus omnes.
A. Qui, Menulema, tuam vel nunc quoque non amat (Vmbram;
Putidior Fauno e·t, Faunumque ſequentibus hircis:
Barbarior popu·o, quem ſanguu paſcit equinus:
Meandro revocante ſuas fallacior undas:
Pejor adulantem vultum fingente tyranno:
Tritone improbior, Polyphemo immanior ipſe.
Ipſius Ammonis tota truculentior aula.
Flete Galadinæ Menulemam flete puellæ.
TH. Credat hoc quiſquam? tibi comparata,
O decus noſtrum, miſeranda non eſt
Thraciæ pellex Philomela, non eſt.
Hæc quidem rapti ſpolium pudoris,
Clauſa ſilvarum ſtabulis, & unà
Perdidit linguam, tamen arte pictum
Crimen evulgans trepidæ ſorori,

Fortiter

Fortiter ſtricto fuit ulta ferro.
Inde conformeis ſibi ſumpſit alas:
Iamque per ſcenas nemorum vagatur
Auribus dulcem modulata Leſſum:
Dumque non uno varium canore
Guttur exercet, reficitque luctus;
Omnibus dirum ſilvis & agris
Terea damnat.
CH. Quid tibi, Virgo, cita mors reliquit
Enſe devotam perimens & igni!
Fata quo plectro tua mitigabis?
Quem reum dices? cinis, ecce, mutus
Cogeris tantum facinus ſilere.
Nec velit Tereus pater eſſe, nec tu
Cecropum proles; licet uſque cantet:
Interim ſucciſa taces, & altum!
RACH. Pandionios mittite queſtus,
Nos confuſo decet ore queri,
Nos lugubres iterare modos.
Rapta ſub umbras Menulema nequit,
Nulla ſuperſunt Manibus ora.
TH. Flevimus omnes.
AR. *En modicam digito ſtringendi funeris urnam!*
Vix bene craterem pulvis tenuiſſimus implet.
Nec tamen in cineres qui te, Menulema, redegit
Solus hic ignis erat lignis nemoralibus ortus.
Arſit amor patriæ, fecitque hoc nobile buſtum.
Flete Galadinæ Menulemam flete puellæ.
RACH. Mutate vices: ſolvite nexus.
Quæque inceſſum premat alterius.
Chorus abſiſtat paſſibus æquis.
Incompoſitos Nænia numeros
Ordine nullo poſcit & omni.
Lætiùs olim cum Iephtiade
In gramineis ludente toris
Choreas licuit plaudere pedibus.
Nunc funeream ducere pompam
Monet aſpectæ mortis imago.
AR. O *ſemper memoranda mihi Iephteja Virgo!*
Innocuo cujus Victoria ſanguine parta eſt;

Morte

Digitized by Google

Cadit electri liquor ex ramis.
Qui fronte prius, nunc fronde fluit.
Ignea madidæ lacryma lucis
Cortice ſudat.
CH. Pectus illiſis reſonet lacertis.
Claros planctus audiat Æther:
Audiat omnis vicina domus.
Creſcant noſtris flumina nimbis.
Non turba rudis ſumus ad gemitus.
Tener ac facilis moneat ſexus,
Cum flere vacat, cedere nulli.
In lugendi molli officio
Turpe eſt duro à milite vinci.
AR. *Sic, ſic triſtitia toto ſquallore vacandum eſt.*
Vos quoque cæruleis latè fulgentia campis,
Condite terribili ferrugine ſidera vultum.
Occubuit cunctis Virgo formoſior aſtris.
Vt Gabaonitas contra ſtetit æthere in alto
Immoto Sol orbe: ſtetiſſes tu quoque Luna,
Ni tua complèſſes celeri bis cornua gyro:
Dulcis adhuc hodie Menulema imponeret Aris
Purpureos floreis; non ipſa impoſita fuiſſet.
Nunc age, funeream rea criminis indue pallam:
Et ſubiens totam fratri ſoror eripe lucem.
Quodque micat radiis ac fila argentea vincit,
Candens ſanguineo peplum mergatur aheno.
Flete Galadinæ Menulemam flete puellæ.
RACH. Exundent lacrymis lumina frontium.
Sed quædam ex oculi fonte cadentibus
Inſit digna viro ſpuma ferociæ.
Vir magnanimus Menulema fuit.
Menulema vir eſt, ſive virago.
Non communi more mulierum,
Ægra aut prægnans thalamos preſſit,
Tulit intrepidos Patris ad ictus
Fataque vultus.
TH. Plangite. ſua ſunt præmia juſto
Fixa dolori Iephtæas ante
Obitum nobis has exuvias,
Vltima Fati monumenta ſui,

Pignora mentis tribuenda dedit.
Hauſta rogali cætera flammâ
Cinis altus habet. Plangite mecum.
AR, *Nulla fuit vita nec erit quoque dignior ulla:*
Nulla tamen vita eſt indignius altera pulſa.
Quid moror inviſam lucem? caligo profunda
Irruat, inque diem, qui te, pulcerrima rerum,
Abſtulit, inferna noctu graſſentur habena.
Terra flagellatis nutet tremebunda columnis,
Summaque ſubſidat: librataque pondera jactet
Ventus, & emota vellat radice cavernas.
Æquati cœlo ſcopuli diducite coſtas.
Findantur cautes, & hiantia marmora venis
Diſsiliant. Manes ruptis exite ſepulcris.
Omnia confuſis, præſentio legibus ibunt.
Vmbra per attonitam ſpectanda vagabitur Vrbem.
Mors ſuperis functos, Cœlo miſcebit Avernum.
RACH Accipe ZONAM virginis Vmbræ,
Solitam caſtum vincire latus.
Tuus hic CRATER, nos inter heri
Lababat adhuc pocula rubro
Condita mero. *Credite*, dixit,
Vos, dum Calicem ſumitis iſtum,
Memores noſtro ſanguine paſci:
Quem pro patria victima fundam.
TH. Quo ſingultu, quo verba ſono
Vltima fixit! micuit toto
Sacer ex vultu præſcius ardor.
AR. *Accipio dignos ſervandum munus in uſus,*
Felices. quibus ex illo guſtare licebit
Ambroſiam Cœli; de vera ſanguine vitis
Immortale merum. Nos *muſtea proluit umbra.*
RACH Simplice textu tua ſit TUNICA.
Negat in partes ſcindier aptas,
Veſtis nulla ſutilis arte,
Nullum ſenſit forficis ictum.
Integra pretium toga majus habet.
Ah! ne lucrum ſibi contemptrix
Alea jactu vindicet uno!
SPINA ex auro fabrefacta, tua eſt.

Vtilis alto turbine ſtructas
Criſpare comas. mira vepreti
Species iſta latet in Spina.
Hac ſudorem SINDONE terſit.
Minio certans ruber unde color?
Etiamne fluit cruor ex oculis!
Iſte in digitis ANNULUS hæſit,
Tres eſſe putes, in ſe triplici
Orbe reflexos. ſunt tamen unus,
Numero plures. quique eſt alius,
Aliud non eſt. Tam principio
Quàm fine caret: Quemcunque vides,
Negat abjungi. librare velis?
Gravitate pari, lancibus æquis
Intrà ſecum extraque feruntur.
Par pondus habent. Duo non majus,
Non minus unus. Pulcrior alter
ANNULUS iſto eſt! aurea pala
Adamante nitet. Qui geſtat eum,
Sentiet ictas ſanguine puro
Fulgere venas. Cor lætitia
Pænè ſecari,
AR. *Neſcio, cur atrox gemituſque moduſque gemendi.*
Incrementa trahens, magis ac magis aſtuet intus.
Sentio longa tamen ſuſpiria, nec bene nota.
Quidquid id eſt, quod me ſingultibus interrumpit;
Magnum aliquid credo portendere: magna futuris
Evenient ſeclis. quibus hac praſagia pandet
Sepoſitum tempus. Neque enim ſibi Numen ad aras,
Cæco errore patris, fruſtra permiſerit unquam
Virginis humana gnata cervice litari.
Suſpenſum arcani reverentia detinet Ævi.
RACH. Suavè fragrantem carpe COROLLAM.
Dignæ ſtetit in vertice Nymphæ.
Quam præſignat copia florum,
[Vates utinam fallar] acutis
Tota marinis ſentibus horret.
Ambiit iſtud colla MONILE.
Tereti bacca fulget & auro.
Ah! ne rigido durius ære

Succedat onus, corpuſque gravet.
Ex his CLAVIS partior unum
Ferrugineæ ſimilem gemmæ.
Iephtias illum noſtra ſolebat
Iam certa mori verſare manu.
Hanc ARMILLAM tibi dilecta.
Triſtis Amator, donat habere.
Inſere dextræ. munere gemino
Ornatus abis. ſingula membra
Nectit achates. Vis mira ſubeſt.
Prædico: metum creat. atque pilos
Horrere facit: mox exhilarat
Nobile pectus. Quoties tulerat
Inclyta Virgo: ſibi viſa graveis
Ferre catenas. procul armorum
Audire ſonum: quaſi captivum
Aliquem ſtridens duceret hoſtis.
AR. *Ex hoc deteſtor fragilis connubia Tadæ:*
Cum mihi Iephtiaden contraria Fata negârint.
Mortales alio diſcedant pectore formæ.
Vnica formoſa eſt noſtra ex tot millibus uni
Succumbam in tumulum. quod ſi placet altera virga.
Alter Hymen: adigat triſtem me fulmen ad Orcum.
Nos Sinus Abrami, neptes ac mille nepotes
Complexus, thalami votis felicius olim
Reddet: ubi tuto caſtas miſcebimus Vmbras.
Nunc ô nunc ſalve æternum mea lux, meus Ignis,
Æternumque vale: Cineres, mea flamma, valete,

CHORUS.

TAndem ſatis, ah! ſatis eſt fletum.
Siſtite fontes: claudite rivos.
Titan propior Gadibus ultra
Plorare vetat. *Iam quartus aquas*
Subit, ac ſparſos pulvere crineis
Pelago feſſus merget Ibero.
Toties rutilo Veſper in auro
Lunæ famulos prætulit igneis.

Simul

Simul exactum circulus annum
Sub lanigera face reddiderit,
Pandente novi tempora Veris:
Nos quoque reddi luctibus æquum eſt.
Veniet, veniet ſerior Ætas;
Cujus imago ſtamus ad urnam:
Iuſtius altas illa querelas
Tumulo allidet. Funebre ſaxum,
Ex rupe recens virgine caſum:
DOMINI *ſacris Manibus olim*
Debita ſedes: ſed non Dominum
Habitura tuum: pretium majus,
Miri capies HOSPITIS *oſſa:*
Nunquam ſatis & toties uncti.
Plebs pia circum pectora tundens
Lugubre gemet. Quattuor una
Exiget atro mœrore dies.

* * *

Quibus in luctu ritè peractis,
Aurea terris ſecula ſurgent.
Terget lacrymas pollice Riſus.
Inopina metet gaudia Mœror.
Ipſi propter vulnera plaudent
Nivea induti veſte Dolores.
Ipſi ſertis tempora vincti
Sua præripient funera Manes.
Pax erit avibus, pax alma feris,
Nullus in herba ſæviet anguis.
Simul errabunt lupus, agna, leo:
Et concordes oſcula jungent.
Eadem cervi pavidiſque canes
Miſti damis pocula ſument.
Lacteus amnis prata ſecabit.
Mellea trudent flumina ſilvæ.
Olei torrens dolia rumpet.
Ripæ vino ſpumante frement.
Violas ilex mirata feret.
Pretium cocco demet ovilis
Succida mutans vellera ſandyx
Nova parturiet ſidera cœlum.

Non obſcuris tunc implicitum
Nebulis griphi : ſed enim certum,
Et in aperto poſitum ſole,
Dea nobiſcum, MENULEMA ſoror
Rediviva ſuum nomen habebit.
DEUS EMMANUEL, MENULEMA DEUS,
Toto clarum NOMEN in orbe.
Quod *Luna* triplex ſemper adoret :
Candida Cœlo, *Rubicunda* Solo,
Fuſca ſub Orco.

Cum licentia Superiorum.



FACUL-

FACULTAS R.P. PROVINCIALIS Societatis Jesu per Superiorem Germaniam.

EGo Georgius Muglinus, Societatis Jesu per ſuperiorem Germaniam præpoſitus Provincialis, factâ mihi poteſtate ab admodum R. P. N. Goswino Nickel, Præpoſito Generali, Poëmata Jacobi Balde, è Societate Jesu, ſparſim edita, nunc collectâ, & in certas claſſes diſtributa, ſicut a Patribus deputatis cenſa, probataque fuerunt, typis vulgari permitto à JOANNE BUSÆO, Cive & Bibliopola Colonienſi: eique jus Cæſarei Privilegii hactenus indulgeo, ut eo, Auctoréve invito, eadem Poëmata nemo recudere; nemo intra S. R. I. fines, & hæreditarias S. Cæſ. Majeſtatis Provincias importare, aut venum exponere audeat: Roborandæ facultati ſigillum officii mei appreſſi, & nomen meum ſubſcripſi. Neoburgi, VIII. Decemb. A. D. M. DC. LIX.

Georgius Muglinus.

Digitized by Google

Digitized by Google